PRAELECTIONES
IURIS CANONICI

QUAS

IN SCHOLA INSTITUTIONUM CANONICARUM

HABEBAT

P. MARIANUS DE-LUCA S. I.

NUNC TEXTUS DECRETALIUM

PROFESSOR IN PONTIFICIA UNIVERSITATE GREGORIANA

ET S. CONGREG. CONCILII CONSULTOR

LIBER DE PERSONIS



ALMA COLLEGE
348.7
LIBRARY
L 963
Alma, California
BIBL. TH.
P. R.

ROMAE

EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA

S. C. DE PROPAGANDA FIDE

M DCCC XCVII

3918

PRAEFATIO

Quandoquidem in iure ecclesiastico privato ea Ecclesiae potestas, quae in iure publico ecclesiastico recognita est, in actus erumpit, ut certis propositis legibus seu canonibus, debito ordine interna politia ac disciplina regatur; itâque Christifideles eidem Ecclesiae subiecti, propositum vitae aeternae finem, quantum fieri potest, certissime assequantur; potestas autem Ecclesiae in suos pro natura ipsa societatis perfectae, qualis Ecclesia est, triplex sit: legifera, iudiciaria, coactiva: hinc profecto aptissima divisione tres in partes ius canonicum distribui posset: quarum Prima esset de Ecclesiae canonibus, qui ad officium potestatis legiferae strictius pertinent; Altera, quae canones complectatur, quibus iudiciarius ordo statuitur; Tertia, quae canones referat, quibus delicta coercentur. At nos partitionem in quatuor partes seu libros retinuimus, videlicet de Personis, de Rebus, de Iudiciis, de Delictis et Poenis, quae usitata hactenus fuit, quaeque re eadem est ac prior.

Potestatis quidem legiferae proprium hoc esse in iure publico perspectum est, media ad societatis con-

servationem, eiusdemque finis assecutionem necessaria, cum auctoritate proponere. Iamvero ad duplicem speciem in qualibet societate eiusmodi media omnino referuntur, ad *res* nimirum et ad *personas:* quandoquidem non modo certis quibusdam rebus societas, quaecumque tandem illa sit, ad semetipsam conservandam et ad finem suum assequendum indiget; verum etiam *ministris,* id est *personis,* quae ipsam mediorum oeconomiam moderentur et ad rectum eorumdem usum eos, qui societatis membra sunt, cum auctoritate dirigant. Hinc sub hoc respectu a quibusdam in duas sectiones distribuitur pars I^{a}: quarum altera de personis, altera de rebus; quamque partem divisam nos distincte appellamus librum I^{m}. seu de personis, librum II^{m}. seu de rebus.

Itaque obiectum libri de Personis est Hierarchia ecclesiastica, quae duplex habetur, seu series et coetus personarum, quas Deus et Ecclesia dirigit ad populum docendum, regendum ac gubernandum, et sanctificandum seu Iudicem varium ecclesiasticum, in quo determinando et efformando totus est liber I^{us}. Decretalium. Dixi *seriem personarum ad docendum, regendum, sanctificandum:* nam finis Ecclesiae proximus, per quem ultimus obtinetur, qui est vita aeterna, cum sit sanctificatio animarum; sanctificatio autem animarum habeatur per gratiam sanctificantem, quam Christus per sacramenta conferre voluit, accedente cooperatione hominis sive per idoneas dispositiones ad illam acquirendam, sive per bona opera ad eam conservandam et augendam; hinc plane sequitur ad duo capita eorum curam, quibus mediorum oeconomia in Ecclesia concredita est, esse directam, I°. ad *efficienda sacramenta,*

2°. ad *fideles apte regendos*, ut divinae gratiae, quae per sacramenta confertur, uti par est, cooperentur. Quo fit, ut duae in Ecclesia distingui debeant potestates, quae *Hierarchiae* appellantur, altera *Ordinis*, quae recte definitur: *Potestas, quae ordinatur ad efficienda sacramenta, eaque consecratione quadam, quam ordinationem dicunt, et deinceps videbimus, suscipitur;* altera *iurisdictionis*, quae recte dicitur *potestas pascendi*, h. e. gregem Christi cum auctoritate regendi, tum quoad intellectum per doctrinam rectae fidei, tum quoad voluntatem per verum ac proprie dictum imperium, eaque, ut infra videre erit, *legitima missione* confertur.

Utriusque Hierarchiae personarum, sive singillatim sive collegialiter, sive proprie vel in communi ipsae spectentur, iura et potestates, officia, privilegia.... exponere, ac methodo scientifica explicare, praecipuum obiectum est *libri de Personis:* quod utrum ea dignitate, qua par est, et uti ferunt Institutiones, simus assecuti, iudicet benignus Lector.

LIBER PRIMUS

SEU

DE PERSONIS

LIBER PRIMUS

DE PERSONIS

TITULUS I.

DE IURE PERSONARUM

PRAENOTANDA DIVISIO TRACTATIONIS IN LIBROS DE PERSONIS, DE REBUS, DE IUDICIIS, DE DELICTIS ET POENIS.

1. Institutionibus Iuris romani consona est divisio tractationis nostrae *in libros de Personis, de rebus, de iudiciis, de poenis atque delictis.* Nam finis iuris generatim est, suum cuique tribuere; hinc necesse est scire quid sit suum cuiusque; deinde qua ratione, si id ultro non praestetur, ab invito obtineamus. Porro cognitio *eius quod cuiusque est* vel ex persona sumitur vel ex rebus, seu ex iure quod quisque vel conditione et statu personae suae habet vel ratione rerum externarum. Quod statum ac conditionem personae sequitur dicitur *ius personarum,* et hinc *liber de personis;* quod ex statu rerum consequitur, constituit *librum de rebus,* actiones vero, quibus vel contra criminosos ius nostrum vindicamus, poenis in sontes inflictis, exhibet *liber de iudiciis, de poenis et delictis.* Quilibet liber in titulos varios dirhibetur.

In libro de personis a scriptoribus praemitti solet titulus de iure personarum, quia exhibet *notiora,* quae aliis sequentibus lucem adfundere valeant, principia generalia in speciales conclusiones solvenda, uti ordo logicus postulat. Iamvero hoc titulo innuitur conceptus personae, statuitur amplissima personarum divisio in Clericos et laicos, generalia quaedam de singulis huius adaequatae divisionis membris afferuntur: sit ergo

I. DIVISIO PERSONARUM IN CLERICOS ET LAICOS.

Assertum. – Declarata 1) notione personae, 2) statuitur in Ecclesia divisio personarum in clericos et laicos; 3) illis autem non his monachi adcensentur.

2. *Decl. 1. pars.* Praescindendo ab acceptione sive etymologica, i. e. a personando, h. e. histrionum larva, sive philosophica, i. e. rationalis naturae individua substantia, *persona* iuridice sumi potest prout dicit subiectum civilis libertatis caeterorumque iurium civilium, vel prout hominem simpliciter significat et ipsum subiectum alicuius iuris.

α) *Generatim* enim persona in iure dicitur *subiectum iuris*, quod si est unum, vel individuum physice est, dicitur persona physica; dicitur autem persona moralis si plurium collectio instar unius exhibetur, sive haec collectio pluribus personis physicis constet (corpora), ceu capitula ecclesiarum, e. g. cathedralium, monasteria, civitates, collegia..... seu minus, e. g. hospitalia, beneficia ecclesiastica, sive, ut aiunt, universitates bonorum. Nos in toto iure can. sive individua sive collectionem plurium spectamus: et in exhibenda notione personae, huius ratio convenit tum individuo tum individuorum collectioni, quoniam haec relate ad subiectum iuris, instar individui habetur.

β) *Speciatim* persona in iure civili sensu sumitur, quo Vinnius in tit. 3. Inst. *de iure personarum* « Initium fit a personis, quarum causa cetera constituta sunt (nam omne ius redditur personis de rebus per actiones et iudicia). Is titulus eiusdem plane argumenti inscribitur *de statu hominum*. Unde intelligimus personam hic non qualitatem civis sed hominis designare, aut potius hominem simpliciter: eamque appellationem tam servo competere, quam homini libero: sicut et in iure passim etiam servo tribuitur.... Item ius personae hic esse, quod statum et conditionem personae sequitur: nam status ipse est personae conditio aut qualitas, quae efficit, ut hoc vel illo iure utatur, ut esse liberum, esse servum, esse ingenuum, esse libertinum: esse alieni, esse sui iuris.... Itaque status rationem causae, ius effecti habet ». *Cf. et ibid. Heinec.*

Iure veteri discrimen erat inter hominem et personam. Homo dicitur cuicumque contingit in corpore humano mens humana... Ast persona est homo statu quodam veluti indutus; status vel naturalis est vel civilis. Quoad naturalem servus persona dicebatur... non quoad civilem. Quum enim libertatis nec civitatis nec familiae particeps erat servus, hinc res mancipi, imo nullus, denique mortuus habebatur. Quo sensu per summum nefas denegabatur servis dignitas nomenque personae: si enim spectetur status hominis naturalis respectu iuris civilis libertatis... omnes homines nati sunt gaudere civili libertate, aliisque iuribus, ipsaque natura per se non facit alios liberos, alios servos. Ipsi autem servi sunt veri homines, non res; suppositum sunt rationalis naturae.

γ) Si spectetur usus ecclesiasticus, antiquitus personarum nomine quandoque intelligebantur tantum maiores inter clericos, ex quo ortus est *Personatus*, qui in solo ecclesiasticae personae honore sive praeeminentia absque officio et iurisdictione consistit. At in posterum strictius et pressius personarum nomine veniunt quotquot ingressi sunt in Ecclesiam, subiecti scilicet huius legibus. Et merito: nam etsi iure civili conceptus iuridicus personae sumatur ad significandos veros cives et liberos, Christiani per baptismum renascuntur in libertatem filiorum Dei et efficiuntur cives urbis caelestis Hierusalem. Quo sensu a persona excluduntur omnes et soli infideles: ergo non recta personarum apud quosdam divisio est in fideles et infideles.

3. *Decl. et prob. 2. pars,* in qua **iure divino statuitur amplissima omnium et adaequata personarum divisio in clericos et laicos:** *amplissima* quia α) cum omnia apprehendat membra Ecclesiae, maior ea intelligi nequit: β) *ab omnibus recepta,* et γ) quia in *ipsa natura* societatis seu constitutione Ecclesiastica omnino *fundatur.* Porro tria praestanda sunt: 1. ratio nominis reddenda; 2. ex variis fundamentis colligenda; 3. eique iuridicus valor adsignandus.

a) Adiectivum κληρικός, qui ad clerum spectat. Unde sicut λαός populus vox est, quae indicat aliquid *commune,* sic κληρικοι a κλῆρος sors seu *haereditas* dicuntur. Ergo adsumpti ad vacandum divino cultui, atque ad ecclesiasticam potestatem

adlecti, omnino recte appellantur *clerici:* quae vox *aliquid peculiare ac non communi conditione distributum ceu privilegium significat.*

Prob. *divisio.* 1) Historice enim constat hanc divisionem Clericorum a laicis cum ipsis Ecclesiae primordiis nexam esse. Nam usu antiquissimo *(ait Palm. de R. P. prol. p. 74. VII),* cuius initii memoria non extat, clericorum nomine in Ecclesia veniunt, qui ministeriis sacris sunt mancipati *(Bellarm. l. 1. de Cler. c. 1.),* iidemque a λαικοῖς discernuntur *(Paulus 1. Corinth. XIV. 16, pro laico dixit* ἰδιωτὴν). *Cf. Canones apostolicos 1um et 15um, constitutiones apostolicas, l. 2. c. 26; et Canones Nicaenos 1, 2, 3, 8, 17, 18, 19.* Communionis laicae concessae Episcopo poenitenti meminit Cornelius R. Pontifex ad Fabium *(Euseb. H. E. l. 6. c. 43).* Clemens autem Romanus ep. 1. ad Cor. n. 40 opponit λαικοὺς sacerdoti et levitis. Tertullianus de Monogamia c. 12. « Cum extollimur et infla« mur adversus clerum κλῆρον, tunc unum omnes sumus, tunc « omnes sacerdotes, quia sacerdotes nos Deo et Patri fecit « (ad hoc scil. testimonium provocamus). Cum ad peraequa« tionem disciplinae sacerdotalis provocamur deponimus in« fulas et impares sumus ». — Patet proinde discrimen esse inter clericos et laicos duplicemque ordinem distinctum eos in Ecclesia constituere. Imo 2) si non tantum voci sed rei voce significatae insistamus, historia apertissime docet eam a Christo, ab apostolis deinceps semper clericos fuisse omnino a laicis distinctos. Et re vera numquam *(Palm. l. c. n. IV. p. 68)* ex omnibus fidelibus generalia concilia convocata aut eorum suffragia ex auctoritate petita: sed ex solis episcopis, utpote successoribus apostolorum, concilia collecta, eorumque tantum authentica suffragia expetita: numquam universis fidelibus facta potestas instituendi praesides et episcopos: sed distincto iure ferendi testimonium atque etiam postulandi, et iure eligendi ac conferendi potestatem, illud quidem permissum fidelibus fuit, hoc semper negatum.

Hinc traditio PP. praesertim Hieronym. *ep. ad Nep. n. 5.* « Clericus qui Christi servit Ecclesiae interpretetur primum vocabulum suum, et nominis definitione prolata nitatur esse quod dicitur. Si enim κλῆρος graece, latine sors appellatur,

propterea vocantur clerici vel quia de sorte sunt Domini, vel quia Dominus sors, i. e. pars clericorum est. Qui autem vel ipse pars Domini est, vel Domini partem habet, talem se exhibere debet ut ipse possideat Dominum vel possideatur a Domino ».

2) Idem prob. iuris ecclesiastici sanctionibus, vel sola prolatione, *can. Duo sunt 7. caus. 12. q. 1.* « *Duo sunt genera Christianorum. Est autem unum genus, quod mancipatum divino officio, et deditum contemplationi et orationi ab omni strepitu temporalium cessare convenit, ut sunt clerici et Deo devoti, videlicet conversi.* Κλῆρος *enim graece, latine sors. Inde huiusmodi homines vocantur Clerici, idest, sorte electi. Omnes enim Deus in suos elegit. Hi namque sunt Reges, idest, se et alios in virtutibus regentes: et ita in Deo regnum habent..... Aliud vero genus est Christianorum, ut sunt laici.* Λαὸς *enim graece, est populus latine.... His concessum est uxorem ducere, terram colere, inter virum et virum iudicare, causas agere, oblationes super altaria apponere, decimas reddere: et ita salvari poterunt, si vitia tamen benefaciendo evitaverint* ».

3) Ex ipsa humani generis traditione, consensione et historia religiosa comprobatur. Rerum enim natura exigit, ut qui in societate praesunt distinguantur ab his, qui subsunt, et consensus pariter totius generis humani in agnoscenda divinitate eique cultu proprio reddendo, praesertim in sacrificio litando, atque specialem curam, delectum, reverentiam adhibendo circa operantes sacra, ostendunt natura sua agnovisse eiusmodi discrimen.

4) Et merito: sine hac enim divisione, neque iuris sanctiones valent intelligi; cum sit talis divisio ceu fundamentum iuridicum, quo omnis socialis iuris sanctiones nituntur. Ius enim seu lex involvit in suo conceptu legislatorem ac praesidem et subditos, quibus lex proponitur: ergo merito supponitur distingui rite eos, qui praeesse, ab iis, qui parere in societate ac proinde in Ecclesia debent; et iura eatenus vera quatenus ab iis dimanant, qui potestatem habent in Ecclesia.

5) Theologice ex ipsa manat Christi lege atque Ecclesiae constitutione. Ipse enim Christus Dominus potestatem instituens Ecclesiae suae non eam universo fidelium coetui communicavit, ut ab hoc certis ministris delegaretur, 1) sed certis

personis immediate contulit, 2) propagandam perpetuo ab illis in alios; 3) qui determinato ritu et legitima auctoritate assumerentur; 4) porro isti sic assumpti *clerici* appellantur usu universali et constanti in Ecclesia.

Constat 1^um^ ex Evang. *Matth. XVI. Tu es Petrus...* etc. eam potestatem (qua Christus Dominus ut sibi exclusive propria et a quovis subditorum consensu independenti fideles suos regebat in terris) fuisse ab eodem tantum collatam Petro primum, deinde Petro cum aliis apostolis, quos Christus speciali ratione sibi devinxerat et ab aliis secreverat: tum fuisse illis collatam non prout erant coetus fidelium vel illum repraesentaverant, sed ut erant personae distinctae a caeteris. 2^um^ *Hanc potestatem communicandam ab illis in alios* patet ex *Matth. 28. 20;* ex perennitate Ecclesiae etc. 3^um^ *Ritu sacro,* ut patet ex doctrina Sacramenti ordinis et ex potestate iurisdictionis. 4^um^ *Sic assumpti dicuntur Clerici usu ecclesiastico:* κληρος dictus est collegium eorum, qui sacris functionibus vacantes, cultui Dei sunt specialiter deputati, secundum id, quod populus Israelis vocabatur κληρονομια Dei, quo notabatur gratuita electio et magnum a Deo bonum; qui enim erant κληρονομια Dei, eisdem Deus κληρος erat, i. e. sors, pars, haereditas (1).

Hisce fundamentis innixa divisio manifeste ex iure divino dimanat α) prout nos edocet Concil. Trident. *Sess. 23. can. 6. de Sacramento Ordinis.* « *Si quis dixerit in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constat ex Episcopis, Presbyteris et ministris, A. S.* ». Unde dogma fidei est hos distingui a laicis. Iamvero quotquot in Clerum cooptati sunt, pertinent ad unam ex tribus recensitis classibus. β) Et re quidem vera, si spectetur 1. *Hierarchia ordinis,* ea refertur ad sacrificium Eucharistiae et Sacramentorum administrationem, quae omnia sunt iuris divini. Christus Dominus ministros sacramenti instituit: 2. *Hierarchia iurisdictionis,* tum ex eius natura, tum ex Christi institutione est. Ergo. Clerici enim sunt qui plus minus potestate sacra fruuntur in Ecclesia; cum

(1) Sicut Laicus a λαος turba, sic Clericus a χληρος sors, sive portio a χλάω frango seu divido. Sunt enim divisi a turba et in partem sollicitudinum Christi vocati, adeoque portio quaedam particularis ipsius Christi eiusque veluti *curia.*

ergo ex Christi institutione sint quidam aucti potestate sacra, qui perenni successione continuantur, iique soli: patet eos esse iure divino distinctos et secretos a laicis, quibus nulla competit in sacra potestas. Quod γ) disertis sacrarum Literarum testimoniis *(Act. 13, 2; 20, 28)* confirmatur.

Unde Ecclesia constat duplici personarum classe, scilicet ex iis, qui sanctificant, docent, regunt; et ex iis, qui santificantur, docentur, reguntur: sanctificant Clerici potestate ordinis, docent reguntque potestate iurisdictionis.

4. *Decl. 3. pars.* Quaestio est an monachi accensendi sint clericis? Ratio dubitandi est, quia cum ex una parte pluribus privilegiis, quae clericorum sunt propria, participent et Regulares; ex alia vero, plures Regularium nullo ordine initiantur, ut sunt laici et conversi, vel ordinis cuiuscumque prorsus incapaces, e. g. moniales, quaeritur an ii laicorum, clericorumve censu habendi sunt?

Et respondemus **censu Clericorum Monachos esse referendos.**

Nam 1) Triplex hac in re distinguatur respectus. I. *Ratio formalis clericatus,* sub qua nonnulli dicunt laicis esse adcensendos Monachos; quia character proprius Clericorum est ut praesint laicis, hi vero subsint: atqui degere vitam tribus ligatum votis in communitate, non est praeesse. Rectius forte dicitur Regulares, qua tales, rationem formalem clericatus neque includere neque excludere per se. Et quoniam ad Clericatum requiritur vocatio divina, hinc qui vocati non sunt in censu remanent laicorum.

II. *Conditio historica,* sub qua Regulares considerati non solebant antiquitus nisi raro initiari sacerdotio; nunc vero fere omnes virorum ordines, paucis admodum exceptis, sacerdotium habent; et tandem

III. *Conditio iuridica:* Regulares sive pertineant ad ordines proprie dictos Regulares, sive ad Congregationes Regulares votorum simplicium a S. Sede adprobatas, Clericis adnumerantur eorumque fruuntur privilegiis.

2) Insuper distinguatur accuratius quae sit propria atque

essentialis Clericorum notio. Haec est ut Clerici sint in Ecclesia Christi personae a reliquo populo discretae, eo quidem fine, ut ministri sint ad caeterorum sanctificationem et salutem curandam. Iamvero proprius directusque modus curandae animarum salutis ac sanctificationis in eo profecto est, ut gratia sanctificans per dispensationem sacramentorum infundatur, et necessaria hominis cooperatio sive ad rectam fidem, sive ad bonam vitam pertinens excitetur et dirigatur. Ergo primaria ac propria Clericorum notio haec est, ut sint in Ecclesiae ministerium assumptae personae tum ad Sacramentorum dispensationem exequendam, tum ad christianum populum in recta fide atque ad bonam vitam dirigendam. *Et hi natura sua sunt Clerici.*

Cum autem, praeter hanc propriam ac directam rationem animarum sanctificationis curandae, alia quoque sit indirecta, quae est per vitae exemplum, hinc factum est ut per sacros Canones, ii quoque clericis accensiti sint, qui sanctius vitae institutum ad evangelica consilia compositum et legitima auctoritate ecclesiastica approbatum aggressi sunt, sive ad virilem sive ad foemineum sexum pertineant. Quamobrem hoc sub respectu generalior clericorum notio exorta est, iuxta quam clerici ii dicuntur, qui divino cultui solemniter mancipati sunt. Et hi quatenus ecclesiasticos ordines non habent *privilegio sunt Clerici. Cf. Can. 7. ca. 12. q. 1.*

Tertia quoque notio clericorum habetur, atque in usu loquendi frequentissima; qua scilicet clerici peculiari ratione appellantur, qui inter clericos stricte sumptos inferiorem gradum habent, quique nondum ordines sacros attigerunt. Hoc enim naturale est et in quolibet genere commune, ut inferiores species, quae peculiari nomine honestatae forte non sint, generis ipsius nomine appellentur. In his usu loquendi Clericorum nomen restrictum est.

Si quis autem quaerat, in hac varia clericalis nominis significatione, quaenam retinenda sit, si in aliquo canone simpliciter et sine ulla declaratione clericorum nomen exprimatur, respondendum est, generalibus de interpretatione regulis id esse iudicandum. In genere autem dici potest *in rebus favorabilibus* Clericorum nomen sensu magis generali sumendum

esse; nisi subiecta materia, aut aliud quidpiam obstet; *in odiosis,* sensu magis quam fieri potest particulari, *Reiff. in tit. de Vita et hon. Cleric. n. 11. sqq.* Hinc apparet triplex haec notio non philologica tantum, sed iuridica. Inde enim extensio legis de Clericis latae dimetitur iuxta generales regulas interpretationis.

3) Unde nominis Clericorum triplex significatio est, *latissima,* quae opponitur populo, *Can. 5. et 7. Ca. 12. q. 1.; latior,* quae opponitur et populo et monachis, *arg. tit. 50. lib. 3. Decr. Ne clerici vel monachi* etc.; *strictior,* quae eas tantum personas indigitat, quae nulla insigniti dignitate ecclesiastica aut canonicatu, sola tonsura aut ordinibus minoribus initiati sunt, *arg. can. 38. Ca. 11. q. 1. Reiff. in Ius canon. l. 1. tit. 2. n. 436.* et *Doctores* communiter. De primis heic a nobis responsio sumitur et agendum est, quos ita recte describes *ut sint Christiani utriusque sexus, qui negotiis curisque saecularibus reiectis, divino cultui rite sunt mancipati.*

4) Ex qua notione sequitur: 1. Etiam moniales, nedum monachos tonsura non initiatos, clericis accenseri *arg. c. 1. de iuram. calum.,* collata § *Nam cum Imperator cum* § *Nos itaque, Reiff. l. 1. tit. 3. n. 12.* aliique communiter.

11. Mancipationem cultui divino rite factam esse oportere i. e. legitimo modo, qui duplex est aut per tonsurae susceptionem *C. 1. de aet. et qual. et ord. praefic.,* aut per ingressum in adprobatum ordinem regularium *arg. c. 21.* § *Quamvis de sent. Excom. in 6.* Unde Eremitae eatenus Clerici habentur, quatenus et in congregatione vivant, et ab Episcopo sint adprobati *Cf. Fagnan. in C. Nullus de foro compet. n. 59. sqq.*

5) Quoad *adscriptionem per tonsuram,* qua scilicet Clerici liberi i. e. saeculares clero adleguntur ad Episcopi officium pertinere, et eos excludere, quos minime utiles aut necessarios suis Ecclesiis iudicaverint, et admissos certae Ecclesiae aut pio loco addicere, ut suis fungantur muneribus, declaravit *Conc. Trid. Sess. 23. C. 16. de R. Bened. XIII. Constit. In supremo 23. Sept. 1724;* quae addictio si in ipsa ordinatione omissa fuerit, fieri deinceps *potest* Episcopi arbitrio si agatur de Clericis, qui ecclesiasticum beneficium nullum habeant; *debet,* si habeant. *Bened. XIII. Const. cit.;* Clerici autem eiusmodi servitium renuentes, poenis sunt adigendi.

Quae tamen hoc cum temperamento sunt intelligenda. 1. Si qui iniuria exclusum se esse existimat, is ad Apostolicam Sedem recurrat, quae Metropolitano aut Episcopo viciniori solet committere ut causam exclusionis ab Ordinario requirat sique legitima non sit, eum, qui exclusus est, posteaquam frustra Episcopo suo ter preces dederit, ordinet *S. C. C. apud Giraldi Expos. Iur. Pont. P. 2. sect. 106.* — II. Poenas adversus renuentes Ecclesiae servire, cui sunt adscripti, ita temperandas esse censet *Bened. XIV. de Syn. l. II. c. 1. n. 13. et l. 12. c. 6. § 1.,* ut ordinandos ad altiores ordines Episcopus non promoveat, ordinatos beneficiis non augeat. In specie autem poenam pecuniariam non esse heic adhibendam docet *S. C. C. l. c. apud Giraldi,* licet contrarium teneat Antonelli *de Iur. et oner. Cler. l. 2. p. 6. c. 8. n. 4.* aliique.

6) Notandum tandem est quoad adscriptionem per *ingressum in religionem,* Episcopos ab eiusmodi ingressu non posse quemquam prohibere etiamsi clericus sit animarum cura vel ecclesiastica dignitate distinctus. *Bened. XIV. Const. Ex quo 14 Ian. 1747.* — *Leonis XIII* iussu data est responsio 1882 ad diaconos cuiusdam dioecesis Bavariae cuius Episcopus eos ordinare nolebat ad sacerdotium, nisi iurato scripto se obligassent ad serviendum dioecesi per sex annos uti presbyteri saeculares: porro in responsione clericis generatim asserta legitur canonica libertas *statum maioris* perfectionis amplectendi.

Can. Duae sunt 2. Ca. 19. q. 2. quem Berardius falsum et confictum esse censet, sed falsis et nullius ponderis argumentis (1).

(1) Adde *Can. Clericis Ca. XIX., q. 1.* quem quia negare non potest Berardius in peiorem sententiam trahere studet, inquiens de criminosis clericis scriptum esse. Sed plane perperam fideque pessima. Ipse enim canon ait eos respicere, qui contemplationis desiderio, non criminum poenitentia ducuntur; et quia ad meliorem (ex bona ad meliorem) vitam transire volunt. Canon etiam, qui sequitur in hoc Conc. Tolet. V, est plenus honoris quoad Monachos. Inique, etiam Berardius mala dicit de Monachis ita ut de illis in genere referat quoddam dictum Monachi Hieronymi « vix optimum monachum ad Clericatus honorem admittendum ».

II. DE LAICIS GENERATIM.

Summarium — Laicorum habitus ad Ecclesiam hic est, ut 1) **censeantur iure subditorum;** 2) **pro quibus sint tum bona et iura dimanantia ex actuali cum Ecclesia communione, tum generatim exerceatur potestas ordinis et iurisdictionis, quarum incapaces sunt; ita** 3) **ut excepto matrimonio et baptismo in casu necessitatis, non valeant efficere Sacramenta, neque reliquos producere actus sacros, qui ex iure divino exigant potestatem ordinis:** 4) **potestatem autem iurisdictionis ordinariae non posse,** 5) **quibusdam vero in causis delegatam a Romano Pontifice ad singulos casus posse exercere.**

Praenotandum. — Quicumque per baptisma ingressi sunt Ecclesiam, hi cum per ipsum baptismum suscepti sint a Deo in adoptionem filiorum, ab eoque Ecclesiae potestati traditi, ut spiritualiter alantur, educentur et ad finem propositum i. e. ad ipsam domum patris sui perducantur, hi sunt de quibus in iure canonico agi potest. Qui non sunt baptizati non sunt filii, adeoque non pertinent ad nutricem filiorum Dei, quae est Ecclesia neque proinde ad eius curas atque leges, quibus constat: tunc soli baptizati sunt personae Ecclesiae. Sed cum personarum duplex in Ecclesia esse genus ex divina ipsius Ecclesiae constitutione in antecedentibus iam vidimus, *Laicos,* quibus fidelium multitudo constat, et *Clericos,* qui a reliquo populo rite separati, divinoque cultui mancipati existant: hi eaedem illae personae sunt, de quibus agit Ius canonicum, quibus scilicet mediorum oeconomia in Ecclesia commissa est, quique curis ac ministeriis suis coeteros ad propositum finem dirigentes et ipsi media sunt ad eiusdem finis assecutionem *Can. Duo sunt 7. Ca. XII. q. 1.* Quapropter fundamentalis ea lex est, et praedictae Eccl. Constitutionis veluti caput « Laicos incapaces esse potestatis ecclesiasticae » *arg. Matth. XVI. 18. 19. XVIII. 18; Io. XXI. 15. Cap. Decernimus de iudiciis,* ubi vide *Gonzalez Comment. in c. 2. de iud., et ceteros Doctores.*

Nihilominus cum non aeque ab omnibus ecclesiasticis negotiis ius divinum Laicos arceat, hinc, ne praefata regula ge-

neralis plus aequo extendatur, exponenda est, et in particulares alias resolvenda prout in Summario indicatur.

5. *Declaratur 1^m^*. **Laici censu subditorum habendi sive populus sit, sive reges qua tales,** quos in iure publico iam consideravimus. In mentem dumtaxat revocamus *a*) saeculares Principes nil posse in Ecclesiam in iis, quae sive directe sive indirecte, sive mediate sive immediate ad huius finem pertineant: *b*) *can. 11. dist. 96.* « *Si imperator catholicus est, filius est non praesul Ecclesiae. Quod ad religionem competit, discere ei convenit non docere. Deus enim voluit saeculi potestates si fideles sunt, Ecclesiae suae sacerdotibus esse subiectos* »: *c*) ex damn. *prop. 54 Syllabi* « *Reges et Principes non solum ab Ecclesiae iurisdictione eximuntur verum etiam in quaestionibus iurisdictionis dirimendis superiores sunt Ecclesia* ».

Hinc frustra Iansenistae pro Principibus, media in via sese opponunt, proferentes et iura maiestatica in Ecclesiam, et *ius advocatiae*, quam appellant, ius protegendi Ecclesiam, atque Canones custodiendi, vindicandique: nam ex parte Principum nullum ius est seu imperium, quod exerceant, sed meram obligationem et officium, quod, ad nutum Ecclesiae ipsius adimpleant. Solent in medium afferre et ius investiturae. De Investituris Cf. quae decreta sunt in Conc. later. sub Paschali II. an. 1112; et adeundus est Baron. an. § 18; qua de re digna est quae legatur decisio Rotae, quae est XLII in fine operis Io. Caroli Antonelli *de iuribus et oneribus clericorum.*

6. *Declaratur 2^m^*. **Pro Laicis et generatim fidelibus sunt bona et iura Ecclesiae.** Cum Laici omnes sint subditi, qua tales seu qua pars Ecclesiae regendae, docendae, sanctificandae, illud obtinent ius, quod cives generatim relate ad bona ipsius civitatis seu societatis, cuius sunt membra. Inter haec praecipuum est, ut societatis potestas, tota quanta est, 1) *exerceatur in bonum ipsorum subditorum;* 2) *ut quae bona et iura ab illa potestate efficiuntur et procedunt, horum omnium subditi participes evadant.* Omnis enim socialis potestas non in bonum et commodum illorum, qui eam obtinent, sed aliorum, qui gubernantur, est instituta. Imo ut Arist. ex naturali principio ratiocinatur « hoc interest, ait, herilem dominatio- « nem inter et domesticam ac socialem praefecturam, quod in

« ea ad domini commodum gubernatio dirigatur, in hac gu-
« bernatio domestica et socialis, eorum gratia est qui reguntur »
Pol. l. 3. c. 6. Iamvero potestas in Ecclesia instituta ad dirigendos fideles ad finem est duplex: ad fidem veram et rectam vitam cum imperio proponendam, et ad sacramenta administranda. Fideles porro omnes in Ecclesiae communione existentes sunt veri cives caelestis Hierusalem ac proinde gaudere debent iuribus et bonis huius civitatis, quorum praecipua continentur versu « *Res sacrae, ritus, Communio, Crypta, potestas, Praedia sacra, forum, civilia iura.*

7. *Decl. et prob. 3^m*. **Incapaces generatim sunt Laici tum ministerii tum potestatis.** Instituimus solvere quaestionem an possint Laici in aliquo inferiori gradu praestare ea, quae Clerici, e. g. veritates fidei docere, exercere quoquo modo iurisdictionem spiritualem, et generatim munia ordinis obire?

I. Respondeo generatim Laicos fieri participes sacrificii per suas orationes, α) atque ita dicuntur etiam offerre sacrificium, praeterquamquod offerant illud ut membra totius Ecclesiae, quae per suum sacerdotem offert. Possunt docere veritates in societate domestica et herili, quo sensu aiebat Aug. primos filiorum sacerdotes domi esse ipsos parentes: β) quo sensu mulieres ceu matresfamilias christianam doctrinam puellas edocere possunt, sicut diaconissae ab Ecclesiae initiis praeponebantur cathecumenis feminis; γ) ad hoc etiam sacramentum Matrimonii est a Christo Domino institutum ad prolem nempe suscipiendam atque in timore Dei christianaque religione strenue educandam.

Dixi posse Laicos docere veritates catholicae religionis: hac in re tamen animadvertatur non posse generatim de fidei mysteriis *praesertim publice* cum haereticis disputare, praedicationis officium exercere, ut praesentibus clericis, ipsis non negantibus, docendi officium obeant. Missio enim et gratia Spiritus Sancti requiritur ad haec omnia « *dabo vobis os et sapientiam cui non poterunt resistere omnes adversarii vestri* ». Porro haec gratia praesertim manuum impositione tribuitur. Ergo.

Disputare cum haereticis interdictum erat laicis ab ipsis

imperatoribus christianis pluribus legibus, quas affert Berardi in suis commentariis ad *L. 5. Decr. p. 1. dis. 2. c. 1.* quod confirmavit *Alexander IV. in cap. 2. de haer. in 6.* et alii posteriores Pontifices ratum habuerunt, ad pericula disputantium et scandala amovenda.

Prohibitio tamen haec cadit in disputationem veram et formalem, non in materialem, vel fictam aut moralem, quae fit exercitii causa ad veritatem magis recognoscendam ac errores refutandos, quae licita quidem est, et ad meritum multum confert. *Gonzalez ad Cap. Cum ex iniuncto de Haer.* Illa insuper fieret licita in casu necessitatis vel utilitatis, veluti si in aliquo loco esset haereticus, qui fideles perverteret nec ibi adessent ecclesiastici docti, qui fidei partes susciperent. *Barbosa ad cit. cap. 2.*

Extremis hisce temporibus, quibus haeretici et athei undique scatent, videtur inesse ratio necessitatis et utilitatis, propter quam possent Episcopi facile hanc licentiam dare, debitis servatis cautelis: et eruditi fideles zelo religionis incensi eam forte retinent praesumptive concessam, ut rati sunt plurimi: qui S. Theologiam et Ius canonicum callentes contra Ecclesiae inimicos strenue decertarunt et libris in orbe, oratione in circulis, ac recitationibus in scholis, magnopere rem Christianam iuvarunt.

Animadvertatur quod sapienter monet *Leo XIII. Litt. encycl. Sapientiae christianae 10 Ian. 1890.* « Profecto praedicandi, h. e. docendi, munus iure divino penes magistros est, *quos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei....* Nihilominus nemo putet industriam nonnullam eadem in re ponere privatos prohiberi, eos nominatim, quibus ingenii facultatem Deus cum studio bene merendi dedit: qui quoties res exigat, commode possunt, non sane doctoris sibi partes assumere, sed ea quae ipsi acceperint, impertiri ceteris, magistrorum voce resonantes tamquam imago. Quin imo privatorum opera visa est Patribus Conc. Vaticani usque adeo opportuna et frugifera, ut prorsus deposcendam iudicarint. *Omnes Christifideles maxime vero eos, qui praesunt vel docendi munere funguntur, per viscera I. Chr. obtestamur, nec non eiusdem Dei et Salvatoris nostri auctoritate iubemus ut ad hos errores a S. Ecclesia arcendos et eli-*

minandos atque purissimae fidei lucem pandendam, studium et operam conferant. Ceterum serere fidem catholicam auctoritate exempli, professionisque constantia praedicare quisque se posse ac debere meminerit ».

II. Speciatim vero *a*) quoad potestatem ordinis: hanc nullam habent laici, unde nec conficere nec administrare sacramenta possunt: cum eiusmodi potestas sit supernaturalis, eamque dumtaxat habent qui sub ritu divinitus instituto a Christo Domino acceperunt. Ergo non habent laici. Imo, qua tales, incapaces sunt administrationis sacramentorum: uti patet ex singulis tractatibus de sacramentis in specie et in genere, ubi de ministro omnium et singulorum Sacramentorum proprio: *b*) *salvo tamen matrimonio,* cuius ministros ipsos esse contrahentes extra controversiam positum est, *arg. Const. Paucis Bened. XIV. 19 Martii 1758.* § *Dubitabatur;* itemque *ex ep. Pii IX. ad Sardiniae Regem 19 Sept. 1852,* quae extat in opere authentice edito, quod inscribitur *allocuzione della S. di N. S. Pio Papa IX nel concistoro secreto del 22 Gennaio 1855,* inter monumenta quae ibidem adiecta sunt n. II.; et *salvo baptismate* in casu necessitatis, uti patet ex suo tractatu de ministro baptismi; *c*) quoad reliquos actus sacros, singulae species sunt exponendae: utrum scilicet potestatem ordinis ita necessario exigant, aut iuri divino ita utcumque adversetur a laicis exerceri, ut ne auctoritate quidem Romani Pontificis eos exercendi facultas laicis delegari possit propter talem connexionem cum ordinis potestate: quandoquidem ad hos actus vis supernaturalis necessaria est, quam Christus nonnisi per ordinis sacramentum conferri voluit (1).

8. *Declaratur 4^m. scilicet:* **Quoad potestatem iurisdictionis ne Romanus quidem Pontifex iurisdictionem ordinariam in causas ecclesiasticas potest laicis conferre,** i. e. ut illam iure suo exerceant: cum Ecclesiae divinae con-

(1) Dicitur ab Albitio laicus in articulo mortis non solum potest sed etiam debet absolvere ab excom. – Imo excommunicandi facultas etiam foeminae data videtur *Hallier de Hierarch. L. 4, c. 4, a. 2,* §. 2. Equidem dicerem ad executionem canonum promovendam seu ad Praelati communicandam voluntatem potius quam ad sententiam ferendam datam esse facultatem. *Cf. Gonz. in C. 2. de Iud. n. 10* – Ne Clericus quidem coniugatus cum unica et virgine potest Vicarius esse. *Antonelli de Reg. Ecc. L. VI. c. 10. n. 5.*

stitutioni id manifeste adversetur. Dixi in causas ecclesiasticas, quales sunt de Sacramentis, de fide, de ritibus, de caeremoniis, de censuris, de beneficiis, decimis, ecclesiis, et de ecclesiasticis personis, *cf. Gonzales l. c.;* atqui laici, qua tales, nullam dignitatem habent, nullumque ecclesiasticum officium, cui ex Christi institutione talis ecclesiastica iurisdictio sit adnexa; quia *a*) Christus secrevit clericos a laicis ita, ut illi praeessent, hi vero subiicerentur; *b*) quod *Paulus ad Rom. X. 15.* probat doctrina de legitimae missionis necessitate: *c*) tum quia ipsa natura potestatis ita instituta est, ut sit exclusive propria coetus secreti a Christo Domino; *d*) huius oeconomiae testis est *S. Clemens ep. ad Corinth. n. 42. 44.* Causae porro matrimoniales praesertim quoad vinculum, in quo uno inseparabiliter consistit ratio sacramenti et ratio contractus, sunt negotium spirituale, in quo nil omnino possunt reges laica potestate, nisi excipiantur civiles quidam effectus matrimonii.

9. *Declaratur et prob. 5^m^.* **Delegatam posse exercere.** 1°. Potest scilicet eiusdem Romani Pontificis auctoritate conferri iurisdictio *delegata,* quae nimirum et ipsius auctoritate exerceatur, et ab eius auctoritate dependeat, *cf. Hallier de Hierarch. l. IV. c. 4. a. 2. § 5.,* ita tamen, ut diploma eiusmodi facultatis indubium esse debeat, neque ulla possit consuetudine licet immemorabili praesumi, *Urban. VIII. Const. Romanus Pontifex 5 Iun. 1649. Fagnani in cap. Cum contingat de Foro comp.;* e. g. privilegium Urban. II. Rogerio Calabriae et Siciliae comiti concessum, de quo *cf. Baron. ad 1097* et anonym. in opere inscripto *Istoria della pretesa monarchia di Sicilia, Roma 1725. cap. 17. et 35. Cf. Sentis,* « *Sicula Monarchia* », *cf. et Pius IX. Const. Suprema 25 Ian. 1867.*

2°. Episcopi in causis sive natura sua ecclesiasticis sive criminalibus Clericorum nullam possunt laicis iurisdictionem delegare; possunt autem in civilibus, non tamen ex commissione generali ad omnes causas civiles *Gloss. in can. Bene quidem L. 96. § Praeter, et in can. Pervenit L. 95; in Cap. 2. de Iud. et in eo DD.;* quia delegatus ad universalitatem causarum habetur uti iudex ordinarius; et laicus non potest esse.

Unde breviter ad quaest. *an laicus saltem delegatam possit accipere iurisdictionem:*

R. *Distinguo:* in iis, quae necessario exigunt etiam potestatem ordinis, aut statum clericalem generatim *Nego:* in iis, quae meram iurisdictionem requirunt, possunt a Papa accipere delegatam *Concedo:* ab Episcopis *subd.* in causis natura sua ecclesiasticis, vel in causis criminalibus Clericorum *Nego:* in causis civilibus *subd.* universali concessione seu commissione *Nego,* in singulis casibus *Concedo.*

3°. Quamvis autem laicus in supradictis causis nequeat esse iudex ordinarius, aut α) arbiter nec ad eas causas definiendas ab Episcopo delegari (cum solus Papa hoc facere valeat, ubi ius divinum non resistit); β) tamen in iisdem causis laicus a partibus *(c. 1. de Procur. in 6.)* vel ab Episcopo potest constitui *procurator;* potest constitui *assessor* iudicis ecclesiastici, quia talis assessor iudicandi potestate non pollet, nec aliquam consequitur iurisdictionem. γ) Item potest esse *notarius;* tum quia notarius exercet officium testis, tum quia clericus generatim tabellionem agere nequit *c. 8. Ne Clerici vel Monachi.* Potest esse *cancellarius* Episcopi, *Monacelli p. 1. tit. 1. for. 5. n. 7* Ubi vero Cancellarius Episcopi sit laicus, eo uti nequit Episcopus ad efformandum processum pro canonizatione Sanctorum et in visitatione Monialium: harum enim monasterium ingredi nequit, etsi esset officialis monasteriorum *Bulla Dubiis Greg. XIII.*

4°. Dixi quoad primum scilicet laicos arbitros (arbitri enim sunt Iudices consensu litigantium electi) in caussa ecclesiastica esse non posse *Cap. 8. de arbit.:* intellige *a*) nisi forte una cum clerico aliquo et concurrente superioris auctoritate, *cap. 9. eodem: Fagnanus in dicto cap. 8. ibique DD.; b*) licere nihilominus laico in ecclesiasticis causis arbitratorem esse i. e. merum conciliatorem absque ulla iudicis specie, Fagnanus in dicto *Cap. 8. n. 15. et seqq.*

5°. Cum autem iurisdictioni honores ut plurimum sint adnexi, hinc non licet laicis intra Presbyterium cum Clericis esse, *Cap. 1. de vita et honest. Cleric. ibique Gonzal.;* neque peculiares honores a Clero in Ecclesia exigere, eosque praesertim, qui iurisdictionem aliquam praeseferant, e g. ut peristromata cum pulvinaribus sibi deferantur: nisi de regalibus personis agatur, *Clem. XI. Const. Proposito 1 Oct. 1701.*, aut alia similia

iisdem praestentur, de quibus consulendae sunt Constitutiones *Leonis X. Ad aures 25 Maii 1520, Clem. VIII. Ex debito 15 Dec. 1593 et Romanum decet 31 Maii 1604* (ubi de thure, de throno, de loco inter honorificos) *Urbani VIII. Exponi nobis 10 Mart. 1629 et Alias felicis 14 Apr. 1639.* Neque tamen spernenda omnino est hac in re consuetudo praesertim vetusta et pacifice admissa: nisi quid irrationabile in ea contineatur, *cf. Constit. Clem. VIII. Decet Romanum 21 April. 1603.*

In genere illud semper retineatur, ne aequiparari quidem, multoque minus praeferri in ecclesiasticis honoribus Clericis laicum posse.

Laicis igitur ab ecclesiastico ministerio exclusis, restat ut tota de Clericis, haec iuris canonici pars sit, quae de personis inscribitur, atque etiam pars 2^{a} seu liber 2^{us}, qui est de rebus scilicet Ecclesiae et Ecclesiasticarum personarum, ita ut hi duo libri sint veluti duae partes tractationis *de mediis in Ecclesia Christi propositis ad finem consequendum.*

III. DE CLERICORUM DISTINCTIONE IN DUPLICI HIERARCHIA.

Summarium. — Porro Clerici α) inter se gradu et potestate inaequales sunt, ut constituant veram Hierarchiam; β) duplicem ordinis et iurisdictionis; γ) in quam initiationis ritus est prima tonsura, ut quis deinceps ad ordines sive minores sive maiores adscendat.

10. *Declaratur 1^m.* Heic agimus de altero summae divisionis membro, quod est nobilius i. e. de Clericis non tamen de singulis eorum classibus aut ordinibus; sed ita de omnibus, ut generatim totius Hierarchiae veluti brevis adumbratio exhibeatur, et sub uno obtutu iuxta ordinem, quo gaudent, officiis ecclesiasticis personae variae indicentur. Neque circa varios ordines controversiae theologicae a nobis resolvuntur; cum hae ad Theologos spectent.

Supra ostensum est ex iure divino totum Ecclesiae corpus duplicem in classem distingui, quarum altera populum contineat, altera coalescat ex illis, quibus cura finis remoti et proximi Ecclesiae demandata est, quique *Clerici* appellantur.

Clerici potissima pars sunt, circa quam maxime canonica versatur legislatio. Ex praecipuis enim mediis ad finem Ecclesiae consequendum, cum ipsi sint eius ministri, congruum sane fuit, quod in iis elaborandis eiusdem Ecclesiae studium plurimum immoraretur. Quaproptet iis constitutis, quae omnibus communia sint et primam veluti formam in iis inducant: ne inepta, aut quod gravius est, noxia fiant instrumenta ad propositi finis assecutionem, ad eosdem hinc perficiendos propius accedit, legesque particulares constituit, quae suo quemquem muneri exercendo idoneum faciant, ac dirigant. Est enim Clericorum coetus, prout decuit et oportet, apto ordine distributus tum ratione potestatis naturae plane diversae, quam exercet, tum etiam ratione gradus, quem in unaquaque potestate tenet.

Porro **Clericos non esse omnes aequales gradu et potestate; sed alios aliis esse maiores, atque inferiores subordinatos esse superioribus ita, ut vera existat Hierarchia, eaque duplex; pariter iuris est divini.** Et prob. *a*) doctrina definitionis *in Trid. Conc. § 23. can. 6. et Cap. 4. de Sacramento Ordinis; b*) ex ipsa Christi lege, atque inde manante Ecclesiae constitutione. Nam Christus Dominus (uti constat ex iure publico ex tract. dogm. de Eccl. et Sacramento Ord.) ita Ecclesiam suam instituit, ut non solum essent in ea qui imperare et qui parere deberent, qui sacris omnino dicati, non possent se temporalibus implicare negotiis, et, qui temporalibus negotiis militarent, non possent munia obire sacerdotii; non solum discrimen posuit inter eos, qui sanctificarentur, et eos, qui sanctificarent, qui docerent et docerentur, sed etiam inter rectores et sanctificatores gradus et potestatis distinctionem voluit teste *Paulo 1. Cor. 12. Posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores... Sed quid numquid omnes Apostoli? numquid omnes Prophetae? numquid omnes Doctores?* etc. Hae autem variae personae sicut et potestas, qua gaudent tum quoad Ordinem, tum quoad iurisdictionem *Hierarchia* i. e. sacer Principatus vocatur. Hierarchia generatim definiri solet Ordo et series personarum Deo dicatarum, quae in diverso gradu officii et potestatis simul concurrunt ad observantiam procurandam divinae et ecclesia-

sticae legis « vel *Coetus seu ordo praesidum et sacrorum ministrorum ad regendam Ecclesiam, et gignendam in hominibus sanctitatem divinitus institutus* ».

11. *Declaratur 2^m scilicet:* **Hanc ecclesiasticam Hierarchiam duplicem existere, aliam ordinis, aliam iurisdictionis.** Cl. Phillips invexit 3^m membrum divisionis Hierarchiae scilicet ministerii, magisterii et imperii. Sed haec trimembris distinctio fundamentum non habet *a*) quia Hierarchia magisterii cogentis, praecepti ecclesiastici ritu, ad potestatem iurisdictionis reducitur; *b*) quia est contra communem ab omnibus receptam; *c*) quia *S. Th. 2. 2. q. 39. a. 3.* ait: « spiritualis potestas una quidem Sacramentalis est, alia iurisdictionalis. Sacramentalis..... quae per aliquam consecrationem confertur... potestas autem iurisdictionalis est, quae a simplici iniunctione hominis confertur ».

1^a. ergo ratio sit auctoritas DD. admittentium duplicem Hierarchiam Ordinis et Iurisdictionis; 2^a. ex diversis muniis quibus fungitur utraque potestas. Nam potestas et Hierarchia ordinis ad hoc est, ut quis possit sui ordinis ponere actum, fiat capax Sacramenta conficiendi et bona spiritualia fidelibus communicandi. Potestas seu Hierarchia iurisdictionis ordinatur ad hoc, ut quis possit regere, gubernare, leges ferre. Illa directe ad Corpus Christi physicum ordinatur; absolute non supponit subditos; tribuitur per consecrationem vel ordinationem; imprimit characterem, et semel obtenta numquam potest amitti. E contra potestas iurisdictionis refertur ad Corpus Christi mysticum, necessario supponit subditos et per missionem, seu iniunctionem datur, atque utpote pendens a voluntate mittentis, revocabilis est.

Insuper potestas Ordinis diversa est a potestate iurisdictionis: ergo duplex distinguenda Hierarchia. Diversitas autem desumitur a diversitate obiecti formalis. Confectio enim et administratio sacramentorum, quod est obiectum potestatis ordinis et per sacrum imperium efficax directio fidelium ad bona opera et generatim ad cooperationem gratiae, quod est obiectum potestatis iurisdictionis, sunt formaliter distincta atque diversa. Ergo prout Ecclesia gaudet duplici distincta potestate altera in media sanctificationis per gratiam sacramen-

talem, altera in liberam hominis cooperationem per verum imperium, duplicem complectitur Hierarchiam Ordinis scilicet et iurisdictionis.

Dixi *Ecclesiam gaudere potestate in media sanctificationis.* Christus enim Dominus voluit ut finis proximus, qui est sanctificatio animarum, habeatur per gratiam sanctificantem, quae, ex eiusdem voluntate, nonnisi per sacramenta accedente hominis cooperatione, sive per idoneas dispositiones ad illam adquirendam, sive per bona opera ad eam conservandam et augendam, obtineri possit. Hinc merito factum vidimus in Iure publico, ut ad duo capita eorum cura, quibus mediorum oeconomia in Ecclesia concredita est, Clericorum scilicet fuerit directa: 1. ad sacramenta efficienda, 2. ad fideles apte regendos, ut divinae gratiae, quae per sacramenta confertur, uti par est, cooperentur. Iamvero potestas Ecclesiae ordinata ad efficienda sacramenta dicitur *potestas ordinis* seu efformat *Hierarchiam ordinis,* si series personarum ad ea sacramenta efficienda considerantur. Potestas vero regendi Christi gregem, tum quoad intellectum per doctrinam rectae fidei, quae praecepti ritu credenda proponitur, tum quoad voluntatem per verum et proprie dictum imperium ad liberam hominum cooperationem gratiae efficaciter dirigendam, est potestas seu Hierarchia iurisdictionis.

Utraque autem potestas inter se ita colligatur, ut potestatem iurisdictionis nemo regulariter habere valeat, nisi qui in aliquo potestatis ordinis gradu sit constitutus: potestas scilicet iurisdictionis ordinarie in nullo esse potest, nisi in eo, qui saltem in limine sit potestatis Ordinis; potestas autem ordinis sine ulla potestate iurisdictionis, *esse* quidem possit, *exerceri* non possit; cum exercitium ab eiusdem iurisdictionis actu habeatur, seu etsi regulariter coniuncta esse debeat, cum tacita saltem potestate iurisdictionis ut ordinem suum quis exerceat; nihilominus per se esse potest etiam sine ulla potestate iurisdictionis, puta in suspensis: et quamvis amitti ipsa non potest, eius tamen usus utique amitti potest per potestatem iurisdictionis.

12. *Declaratur 3^m. Ut quis autem Hierarchiae ordinis adcenseatur aliquis initiationis ritus necessarius est,* qualis in Ecclesia

catholica per 1^am^ tonsuram habetur, de qua suo loco, cuius sit iuris et naturae, aut quae eius requisita et consectaria, erit agendum. Modo nosse sufficiat tonsurae susceptionem haberi ceu modum legitimum se mancipandi cultui divino et Clericorum ordini adscribendi *Cap. 11. De aet. et qual. et Ordine Praeficiendorum, et Cap. 21. § Quamvis, de Sent. Excomm.*

Restat ut in genere et brevissime dicamus **quot sint gradus Hierarchiae Ordinis.**

1°. In infimo gradu sunt qui nullum ordinem proprie dictum habent. (*Cf. c. 11. de aet. et qual. et ord. praefic. ubi* Innocent. III. ait per tonsuram clericalem ordinem conferri i. e. statum clericalem, non potestatem ordinis), sed tyrocinium veluti agunt Clericatus, adeoque ad Clerum vere pertinent; sunt autem qui *tonsuram* susceperunt, quae est *ritus quidam ecclesiasticus, quo quis a laicis segregatur ac discernitur et in Clerum cooptatur, atque ad ordines suscipiendos disponitur, arg. C. 11. de aet. et qual. et ord. praef.,* conf. cum *Conc. Trid. § XIV. de Ref. c. 2.* ad ea verba « *ad aliquos sacros, vel minores ordines, aut primam tonsuram* ».

2°. Sequuntur gradatim, qui initiati sunt proprie dictis ordinibus: quorum quidem ordinum et quae sit generalis notio, et quotuplex species, paucis absolvimus.

a) Generalis, inquam, notio, quatenus hac voce *Ordo* omnes eiusdem gradus complectimur, et qui adiunctam habent sacramenti dignitatem, et qui forte non habent *(Cf. Bened. XIV. de Synod. l. VIII. c. 9),* eadem tradi potest ac de Hierarchia Ordinis traditur, ita nimirum ut Ordo sit « *Potestas spiritualis, quae ad efficienda sacramenta praecipue ad Eucharistiam sive immediate sive mediate ordinatur* »; *b*) *species* autem est duplex, alii videlicet *minores,* alii vero *maiores, Conc. Trid. Sess. XXIII. Can. 2.* ex utraque autem specie septem exoriuntur gradus *(Conf. Catech. Conc. Tr. P. 2. c. 7. n. 24 et seqq.).*

3°. In inferiori gradu sunt *minores,* qui quatuor sunt, iique hoc ordine disponuntur, ut proximus post tonsuram sit Ostiariatus, deinde Lectoratus, tum Exorcistatus; denique Acolythatus. Reliqui tres *Maiores* dicuntur, quorum infimus est subdiaconatus, maior Diaconatus, eique superior Presbyteratus: Episcopatus autem, qui supremus est, eiusdem presbyteratus

extensio, perfectio et complementum communius habetur, *cf. Catech. Conc. Tr. l. c. n. 50.*

Porro ex his sive ordinibus sive gradibus personarum, unde utraque Hierarchia constat, alii ad hanc pertinent ex divino, alii ex humano iure. Ad *Hierarchiam ordinis* pertinet *a*) ex *iure divino* Episcopi, Presbyteri et Diaconi adeo, ut qui secus dixerit, anathema fiat ex *Trid. sess. 23. c. 6; b*) *ex iure autem humano* in Ecclesia latina Subdiaconi, Acolythi, Exorcistae, Lectores, Ostiarii; in Ecclesia Graeca Hypodiaconi, Lampadarii, Psaltes, Anagnostae.

Ad Hierarchiam iurisdictionis in foro sive interno sive externo pertinent iure divino Romanus Pontifex et Episcopi: Presbyteri ad iurisdictionem in foro interno. Ex iure autem ecclesiastico ad ipsam pertinent Cardinales, Patriarchae, Primates, Metropolitae, Abbates et generatim Praelati inferiores.

Nota. *Epiphanius in Exposit. fidei n. 21.* duplicem velut seriem ordinum describit, in 1. collocat Episcopos, Presbyteros, Diaconos, Hypodiaconos, Lectores; in 2. exorcistas, interpretes, laborantes, curatores mortuorum, ostiarios, et quicumque disciplinae caussa instituti sunt. In Ecclesia latina iam tertio saeculo omnes ordines reperiebantur, qui nunc vigent, eademque subordinatione in Ecclesia Romana existentes enumerat Cornelius Romanus Pontifex ad Fabium Antiochenum *Euseb. Hist. Eccl. l. VI. c. 43.*: iidem, saeculo IV. desinente, enumerantur canonibus carthaginiensibus. Canones Carthaginienses recensent sub Ostiario psalmistam, quem et cantorem vocant: ubi liquet esse potius officium, quam ordinem. Auctor Anonym. opusculi *de septem ordinibus inter opera Hieron.* satis doctus, et antiquus minores ordines sic recenset Fossarios, Ostiarios, Lectores, Subdiaconos, ad quos additis Diaconis, Presbyteris et Episcopis existunt ordines. Ex his quaedam probabiliter erant officia tantum.

Ordo dicendi de Clericis.

13. Quamvis ex dictis pateat personarum seriem duplicem, ex qua duplex constituitur Hierarchia, non esse ceu duo collegia, aut duo corpora seiuncta ac distincta, ita ut separatim

de utraque agi possit, quin de una nonnihil intermisceatur, cum de altera directe sermo habeatur; ac proinde incongruum esse videatur de iis separatim agere; tamen plurium scriptorum morem sequuti dicemus 1. de Hierarchia ordinis, seu de iis Clericis, qui directe ex ipsa ratione ordinis in ecclesiastica Hierarchia censentur; (non ita quod ex ipsa ordinatione in Hierarchia quoque iurisdictionis ipso facto censendi sunt; sed quia unusquisque ordo institutus est ad aliquam partem Hierarchiae iurisdictionis); 2. De Hierarchia iurisdictionis eos etiam complexi sumus, qui in subsidium Romani praesertim Pontificis et Episcoporum ad iurisdictionis Hierarchiam vocati sunt. 3. Et quoniam Regularibus, tum quoad ordinationes, tum quoad iurisdictionem quaedam specialia sunt: hinc de Clero Regulari in utraque Hierarchia specialia haec breviter aperiemus disserentes simul de ipsorum statu religioso, quem profitentes sub latiori saltem sensu Clericorum intelliguntur.

Hinc postquam de iis dictum sit, qui magis propria ratione Clerici sunt, ordinate de aliis minus proprie Clericis disseratur: in tres ergo partes hic tribuetur liber, quarum altera de Ordinis, altera de iurisdictionis Hierarchia, tertia de Regularibus agatur.

PARS PRIMA

DE HIERARCHIA ORDINIS

Praenotandum

In Hierarchia ordinis agemus I. de iis, qui promoveri non possunt; II. de iis, quae positive requiruntur ad ordines suscipiendos; III. de Tonsura atque de ipsis singulis ordinibus, sive minoribus, sive maioribus, deque summo Hierarchiae ordinis apice seu de Episcopatu. IV. Hinc spectabimus quae inde consequuntur: 1°. Communia Ordinum minorum et maiorum *a*) sive officia sint, sive *b*) privilegia et iura Clericorum omnium propria: 2°. Communia Ordinum maiorum. Hanc universam materiam in titulos seqq. distribuimus.

TITULUS II.

DE IIS QUI PROMOVERI NON POSSUNT.

Praenotandum

14. Triplicem generalem considerationem praemittimus, antequam de singulis vel Ordinibus, vel Ordinum classibus disseramus, scilicet de iis, qui promoveri ad ordines non possunt, de requisitis ac de modo ordines recipiendi, et tandem de ritu initiationis clericalis, seu de Tonsura, quae est praeparatio ad omnes ordines. Sicut enim in qualibet ordinata societate, qui ceteris praeesse, aut publicas functiones adimplere debent, nonnisi ordinata serie per gradus, conditionibus servatis plurimis, vel minimum suscipere officium altioresque scandere gradus nequeunt; ita in ordinatissima Ecclesiae Hierarchia. Unde merito Ecclesia suas condidit speciales leges seu canones, quibus conditiones promovendis ad tales gradus praescribit. Hae porro conditiones aliae *negativae* h. e. prohi-

bentes, aliae *positivae* h. e. exigentes sunt. In hoc tit. de prohibentibus, quibus scilicet quosdam Ecclesia arcet a S. Ordinis Hierarchia et hi *irregulares* appellantur, in tit. seq. de ceteris.

§ I. DE IRREGULARITATIBUS IN GENERE.

Summarium. — Irregularitatis 1) notione et 2) divisione tradita, indicatur, quis irregularitates 3) constituere, et quis generatim 4) contrahere; 5) vel auferre possit.

15. *Declaratur 1^m^.* Irregularitas vox parum latina ab Innoc. III. *in c. 5. de Renunt. et a Greg. in c. 10. de cler. excom.* introducta, idem est ac contra regulam, unde irregularis dicitur etiam *(V. Dist. 25. 3.; 87. 4) alienus a canone.* Definitur irregularitas *impedimentum canonicum, quod vetat, ne quis ordinetur, aut si ordinatus sit, ne quis in susceptis ordinibus ministret;* vel *impedimentum canonicum, quo quis ordinum susceptione et per consequens eorum exercitio prohibetur.*

Impedimentum, quia irregularitas neque exemplum, neque emendationem spectat, sed honorem ac reverentiam s. Ministerii: nec proinde censura aut poena est, sed quasi inhabilitas quaedam, ob deformitatem, quae rei seu facto, unde oritur irregularitas, cohaeret. *Canonicum,* quia cum ad ordines impedimenta sint quaedam iure divino, ut in foeminis, quaedam iure canonico, ut in spuriis, nos agimus de impedimentis ex iure can. quae *irregularitas,* ex alio iure impedimentum *incapacitas, inhabilitas* proprie dicenda est. *Quod vetat ne quis....* exhibent obiectum, circa quod versetur: *ne quis ordinetur.....* quia obiectum irregularitatis sunt ordines, et quidem primarium directe et per se est susceptio ordinis praesertim sacerdotalis, atque adeo, cum omnes ordines tendant ad sacerdotium, susceptio omnium ordinum etiam (verius) tonsurae; secundum vero indirecte et per consequens est exercitium maiorum ordinum. *Ex c. 2. de Cler. pug. in duello, c. 17 de temp. ord.* Unde regula « *quod est* impedimentum ad suscipiendum ordinem, post susceptionem exercitium ordinis impedire »: videtur enim absonum, ordinem, quo quis suscipiendo prohibetur, susceptum impune exercere.

Dixi irregularitatem respicere hoc exercitium secundario... quoad ordines tantum *maiores;* quia quoad *ordines minores,* a laicis quoque horum munia hodie obiri solent. Praeterea adest analogica quaedam irregularitas, scilicet circa *beneficium,* quod exhiberet obiectum magis indirectum. Cum enim irregularitas indirecte prohibeat ordinatum exercitio ordinum, atque ideo officium ipsi interdicat, cumque beneficium detur propter officium, eum removet magis indirecte, et quasi per accidens ab obtinendis beneficiis, *(ex c. 2. de Cler. pugn. in duel.),* quibus adnexum est officium, quo defungi irregulari non licet *(ex c. 10 de cler. non ord. min.).*

Non convenit autem inter Doctores utrum haec irregularitas *ipso iure* reddat incapacem eis obtinendis. S. Alphonso probabile est, si collata fuerint, collationem valere. *cf. d' Annibale summula Th. mor. v. 1. n. 399* qui sequutus s. Alphonsum ait « rectius. Utcumque, in dubio collatio possidet. At praeterea (irregularitas) nihil aliud adimit; non ea, quae communia sunt Clericis et laicis, nec ea, quae in tonsura fundantur; atque ideo non privat beneficiis antea obtentis; non adimit iurisdictionem, non prohibet officii recitationem in choro. Et qui violat irregularitatem nullam poenam eoque minus novam irregularitatem incurrat ».

Prohibetur autem omnino ab exercitio eorum ordinum, quos quis suscepit cum iam contracta irregularitate; ab exercitio vero eorum, quos non alienus a canone susceperat, seu antequam contraheret irregularitatem, regulariter removetur eatenus tantum, quatenus eis defungi rite non potest *(can. ult. dist. 55.)* e. g. Diaconus qui missam celebravit aut oculum amisit, presbyteratum recipere, sed non in diaconatus ordine ministrare prohibetur.

Ex dictis intelligitur, quî differat irregularitas *a censuris,* quae nonnisi poenae medicinales sunt, et nominatim α) *ab excommunicatione et interdicto;* cum haec prohibeat a susceptione ordinum uti consequenter et indirecte; β) *a suspensione,* cum haec prohibeat ab exercitio ordinum directe et per se.

16. *Declaratur 2^m^.* **Divisio** praecipua, vel fere unica est in irregularitates *ex delicto,* et irregularitates *ex defectu,* ut indicetur ex duplici capite oriri posse irregularitatem: irregularitas ex de-

licto nititur deformitate ex crimine contracta, irregularitas vero ex defectu nititur praesenti deformitate. Quae adcensentur primo capite, exprimuntur versu « *Fonte reus, sacris, censura, crimine, letho* », et sunt 1. *Homicidium,* 2. *iteratio baptismi,* 3. *violatio censurarum,* 4. *pravus ordinis usus,* 5. *haeresis vel apostasia a fide,* 6. quibus heic iuxta plures Auctores additur *infamia,* quae ob quaedam crimina irrogatur, quamvis alii eam recenseant inter irregularitates ex defectu.

Quae vero secundo capiti accensentur, pariter exprimuntur vers. *Natales, animus, libertas, corpus et aetas. Non bigamus, lenis, nec mala fama notat,* seu, hac ultima scilicet *infamia* relata ad 1^m^. classem eiusmodi irregulares sunt 1. *ex defectu animi:* 2. *ex defectu corporis,* 3. *ex defectu natalium,* 4. *ex defectu aetatis,* 5. *defectu libertatis,* 6. *bigamia seu defectu sacramenti,* 7. *ex defectu lenitatis.*

Dixi *fere unica divisio* Irregularitatis in suas species: quia haec certa apud omnes: cum alia e. g. in 1) *perpetuas et temporaneas* est controversa; 2) in *totales et partiales* ita, ut *illae* inhabilem reddant tum ad ordines tum ad beneficia, vel a susceptione omnium ordinum et eorum exercitio, atque adeo ab omni officio et beneficio excludunt; hae vero ab uno ex his: divisio scilicet eiusmodi tota non pertinet ad ea, quae irregularitas directe et per se praestat: 3. irregularitas quae contrahitur in toleratam et vitandam, omni caret fundamento.

17. *Declaratur 3^m^.* **Irregularitas sive totalis sive partialis ex iuris dispositione fertur,** h. e. ea tantum viget, quam constituit Legislator in corpore iuris, eique nullatenus in posterum fuerit derogatum: seu **nullo modo contrahitur irregularitas, nisi fuerit in iure expressa,** veluti axioma certissimum esse debet *c. 18. de sent. Excom. in 6.* « Is, qui in Ecclesia sanguinis aut seminis effusione polluta, vel qui praesentibus maiori excommunicatione nodatis, scienter celebrare praesumit, licet in hoc temerarie agat, irregularitatis tamen *(quum id non sit expressum in iure),* laqueum non incurrit » ubi illud *quum id non sit expressum in iure* veluti axioma a Communiori Canonistarum et Theologorum, etiam quoad alias irregularitates, recipitur. Dicitur in *iure scilicet canonico, expressa, scilicet manifeste.* Ergo nec est, nec esse potest a con-

suetudine, nec ab alio iure ecclesiastico. Constitutae porro in iure can. irregularitates non excedunt proprium casum, et in proprio casu strictissimae sunt interpretationis.

Hinc duo notanda: alterum est, *Benninghausen* asserentem *(tract. iurid. can. de Irreg. monasterii 1863)* induci posse irregularitatem ex consuetudine universali, errare, ut nobis videtur contra cit. text..; alterum est, si quis dubitat an irregularitatem contraxerit vel sit contracturus, ea non intelligitur contracta sive dubium sit iuris, sive sit facti, sive negativum, sive positivum.

18. *Declaratur 4^m^*. Ex notione tradita patet **quis irregularitatem contrahere possit,** ii solum scilicet iique omnes, qui ordinis capaces sunt sive suspiciendi, sive exercendi. Unde exceptis mulieribus, et regulariter omnibus infidelibus nondum baptizatis, *omnes* sive Clerici, sive laici, Episcopi quoque et Cardinales, licet non exprimantur, incurrere possunt irregularitatem: nec unam tantum, sed plures, sive ob diversas causas, sive ob eamdem causam e. g. ex iteratione baptismi, et homicidio; ex pluribus infantibus rebaptizatis, vel ex pluribus hominibus occisis vel mutilatis.

Quaestio est an incurratur irregularitas ex delicto ab ignorante illam huic esse adnexam. Qua in re non una est Doctorum sententia, cum alii requirant cognitionem legis dumtaxat divinae vetantis illud delictum, alii insuper ecclesiasticae legis prohibentis illud notitiam exigant, alii tandem etiam cognitionem adnexae irregularitatis poscant. Unde respondemus in foro externo applicanda esse, quae diximus de ignorantia excusante iuxta Cap. 13. Reg. I. « *Ignorantia facti non iuris excusat* ». Caeterum in foro veritatis seu conscientiae usus esse potest secundae et tertiae sententiae, iuxta quam nemo irregularitate se obstringi putaverit, si eam ignoraverit.

19. *Declaratur 5^m^*. **Irregularitates auferre generatim potest sola dispensatio Romani Pontificis:** supponuntur scilicet adesse actu irregularitates et non cessasse ex se, uti potest accidere quoad aetatis defectum, vel infamiam facti etc., unus autem Pontifex Romanus auferre potest, quia agitur de lege communi: nisi in iure Episcopos quoque posse exprimatur; aut nisi ratio vehemens in casibus dubiis, aut in ne-

cessitate magna urgente, quoad occulta cogat Episcopos dispensare subditos suos.

Iamvero 1. *posse Episcopos dispensare* in occultis irregularitatibus ex delicto, excepto homicidio voluntario, et aliis deductis ad forum contentiosum *statuit Conc. Trid. sess. XXIV. C. 6. de R.;* quod ideo possunt et Vicarii Capitulares non vero *Praelati nullius,* neque Cardinales in suis titulis. 2. In omnibus irregularitatibus dubiis possunt pariter Episcopi dispensare dispensatione valida, etsi postea reperiatur certe irregularitatem fuisse contractam: quia leges Ecclesiae non obligant cum gravi incommodo; 3. dixi aut in necessitate urgente haud levi seu magna; tamen si agatur de impedimentis occultis, nec Romanus Pontifex facile adiri queat; aut secus, nisi aut exerceri aut suscipi permitteretur ordo, gravis perturbatio, aut scandalum, aut infamia exoriretur. Cum vero dicitur Episcopus posse, ille intelligitur, cuius est ordines conferre, aut cuius est exercitium ordinum permittere.

Insuper animadvertatur 1) quamvis unius Romani Pontificis sit dispensare in omnibus irregularitatibus ex delicto praesertim publico et notorio, raro tamen dispensationem concedit, si agatur de homicidio voluntario, publico et notorio.

2) Etsi cognitio *defectuum inducentium* irregularitatem ad Ordinarium spectet; tamen ab eiusmodi irregularitate dispensatio ad unum Romanum Pontificem semper spectat: cum sit lex universalis Ecclesiae.

3) Generatim haud facile super defectibus corporis dispensari ex illis patet exemplis, quae extant apud Richter ad *Trid. Conc. Sess. XXIV. de R. c. 6.*

Tandem 4) Difficilius clericum promovendum, quam promotum sacerdotem dispensari *S. C. C. semper* tenuit *ibid. n. 12.*

Antequam haec pars dimittatur, ad quaestiones: *Qui pluribus praesertim irregularitatibus detinentur, an ab omnibus dispensari possunt; an omnes exprimendae in postulatione; quomodo interpretandae eiusmodi dispensationes etc.* respondemus verbis *cl. d' Annibale l. c. n. 405.* « Dispensari autem aliquis potest, si pluribus teneatur, vel ab una, vel ab aliquot vel ab omnibus. Qui autem dispensationem petit, si pluribus sit obstrictus, necesse habet omnes exprimere, quae diversae speciei sunt. An

et si eiusdem? Utique si circa diversa subiecta versantur; ut puta, si quis plures rebaptizavit: sin circa idem subiectum, non item, ut ecce si irretitus censura pluries celebravit: illae enim seorsim consistunt, hae sunt unius subiecti velut accidentia, et quasi circumstantiae simpliciter aggravantes. Sed etsi obstrictus pluribus censuris exercuit ordinem sacrum, non ideo plures irregularitates contrahit; a quibus autem quis dispensatus sit, pendet ex intentione dispensantis. Data autem dispensatio neque extensivam, neque restrictivam interpretationem desiderat, sed declarativam tantum: nihilominus tenendum est dispensatione tacite contineri ea, sine quibus dispensatione uti nequires: adeoque dispensatus ad subdiaconatum recipiendum, ad minores quoque ordines recipiendos dispensatus intelligeris. Ipsa vero dispensatio nulla indiget certa forma verborum: imo dari potest re quoque et facto: ut ecce, si Episcopus irregularem ex delicto occulto ordinaverit sciens prudens, vel ei dimissorias concesserit ».

Quoniam ex duplici capite oritur irregularitas ex delicto atque defectu, hinc duplex pars tituli.

§ 2. DE IRREGULARITATIBUS EX DELICTO.

Summarium. — Recensitis conditionibus, 1) quibus purificatis contrahitur irregularitas ex delicto; 2) ostenditur primum delictum esse homicidium voluntarium criminosum dumtaxat; 3) a qua irregularitate unus Romanus Pontifex dispensare potest.

Praenotandum

19. Si pro matrimonio constituuntur impedimenta, a fortiori pro ordine, et reapse non modo incapacitas atque ex iure divino et naturali, sed et canonicae irregularitates sunt impedimentum. Cum irregularitates ad hoc inductae sint ab Ecclesia, ut *suos sibi eligeret ministros* atque Deo dicaret *perfectiores,* quos assumere posset, quosque Clericatus, praesertim sacerdotalis sublimissima dignitas exigere queat, pronum erat arcere ab altaris ministerio quotquot inficerentur vel occulto aliquo crimine: nec non corporis animique ceteris

defectibus notarentur. Dixi vel *occulto* aliquo crimine: verum enim et ex historia omnino constare videtur, quod *Bened. XIV. de Syn. l. II. c. 2. n. 17.* iuxta sane multos AA. ait: « Auctores « sane multi qui de rebus ecclesiasticis accurate scripserunt, « hanc putant canonicae disciplinae legem usque ad undeci- « mum Ecclesiae saeculum inviolabiliter servatam fuisse, ut « qui post baptismum conscientiam suam lethali aliquo cri- « mine ac praesertim incontinentiae peccato maculassent, ab « omni spe ingrediendi in clericalem ordinem perpetuo exclusi « manerent; vertente autem saeculo undecimo ex humanae « fragilitatis consideratione factum esse, ut nova succederet di- « sciplina, per quam huiusmodi criminibus antea inquinati ab « ordinibus nequaquam excluderentur: dummodo occulta es- « sent eorum delicta: atque ipsi vere poenitentes de illis essent ».

Quod si modo aliquatenus immutata est disciplina, quoad hoc vigilantia Pastorum duplicanda est; huc facit facultas Tridentini Concilii facta Episcopis, posse ex informata conscientia in Clericos animadvertere, eos suspendere, prohibere ab ordinibus.....

Quae delicta nunc irregularitates inducant, ad sex capita, iuxta v. « *Fonte reus, sacris, censura, crimine, letho* » et nos revocanda diximus. Non affertur textus expressus quoad unamquamque, nisi infra, cum agitur de singulis. Modo contenti sumus illud unum animadvertere, quod est simul discrimen inter delicta, quibus adnexa est infamia, et alia quinque delictasupra indicata: hoc porro discrimen in eo est positum, quod delicta, quibus adnexa est infamia inducentia irregularitatem, si sint occulta reapse non inducunt, quia infamia, donec occulta manent, non est: e contra cetera delicta expressa *Fonte reus* etc., semper impedimentum pariunt, sive occulta sint, sive manifesta.

20. *Declaratur 1^m^.* **Conditiones ad habendam irregularitatem, ex delicto** his concluduntur: Irregularitates ex delicto sunt *instar* poenarum. Ideo ex uno capite non contrahuntur nisi ex delicto *vero, admisso ex animo,* post *baptismum consummato et gravi;* quamvis prorsus occulto. Ex altero vero ab eis sicut a ceteris poenis excusant metus et ignorantia seu facti, seu iuris canonici, imo et irregularitatis, quia est poena extraordinaria.

Verum quia non est poena medicinalis, et deformitas ex eo contracta infecta fieri nequit non excusat *poenitentia patrati* delicti post illud admissum et ante effectum sequutum: secus ac in censuris, quae sine contumacia non contrahuntur. *(Cf. D'Annib. heic 407 cum not).*

I. IRREGULARITAS EX HOMICIDIO VOLUNTARIO CRIMINOSO

21. *Declaratur 2^m.* **Irregularitas contrahitur ex homicidio voluntario.**

Haec vox *voluntarium* vobis indicant aliquam speciem, in quam homicidium dividatur: et reapse penes Doctores dividitur in casuale seu fortuitum, in voluntarium, in mixtum, et necessarium.

Casuale quod praeter patrantis intentionem omnino est, adeoque nec praevideri potuit nec debuit e. g. *in cap. 23. de Hom.,* cum sacerdos campanas pulsaret, ut signo dato ad divina mysteria populus conveniret, et inde cadens tintinnabulum quemdam puerum interfecisset, homicidium casuale est: unde Honor. III. respondit « *quod dicto sacerdoti, qui dabat operam rei licitae, nihil potuit imputari, si casus omnes fortuitos non praevidit* ».

Voluntarium seu criminosum « quod ex deliberata voluntate ita procedit, ut sit simul imputabile tamquam culpa » h. e. iniusti homicidii e. g. si gladio, veneno, et huiusmodi aliquem directè interfecit: directe et in se intendens.

Mixtum quod de utroque participat, scilicet quod est actu praeter intentionem, in causa vero est voluntarium, si agatur de effectu qui praevideri potuit et debuit, et quidem si potuit et debuit impediri. E. g. Titius clericus in venatione sclopetum explodit; tamen, cum, exorto dubio probabili, non exploravit utrum homo esset an fera, et hominem loco ferae occidit.

Necessarium quod ad legitimam sui defensionem, servato tamen moderamine inculpatae tutelae, committitur. Porro de hoc ultimo patet irregularitatem non haberi.

Ad ista autem animadverte: 1) si casuale excipias, *omne* aliud homicidium est voluntarium vel in se, vel in causa: sed ex usu, seu aliis verbis ex re voci subiecta, factum est, ut homi-

cidium criminosum appelletur voluntarium. 2) Homicidium est hominis *occisio,* adeoque abortus foetus animati homicidium est: occidere est vitam adimere, nec interest quantum vitae spatium quis ademerit, vel quomodo eam ademerit, ut e. g. fame, veneno.... 3) Quoniam agitur de irregularitate orta ex delicto verificari debent conditiones supra expositae, praesertim quod homicidium non casu fuerit admissum, neque culpa civili, quippe quae haec quoad conscientiae forum in casum recidit, sed culpa theologica, seu ut fuerit voluntarium, sive in se sive in causa, et gravis culpa intelligitur; 4) contrahitur irregularitas, etsi plures concurrerint: si quidem, communi consilio omnes contrahunt, secus, is qui occidit. Generatim contrahunt irregularitatem quotquot facto, mandato, consilio, exhortatione et auxilio participes caedis aut mutilationis sint, quique animo occidendi causam ponunt, ut mors consequatur. Tamen non contrahit qui non prohibuit, vel ratum habet homicidium *contrahere illum, qui opem proximam* praebuit communissime, aut illum, qui consilium praebuit communius a Doctoribus recipitur: sed sine certo iure utraque sententia est, et Lugo probabilem censet contrariam. 5) Nomine homicidii venit mutilatio: porro *mutilare* est membrum abscindere: membrum dicitur quod in corpore propriam et a ceteris distinctam functionem praestat: *abscindere* autem est separare a corpore.... sive agatur de proprio, sive alieno membro.

Hisce positis ad probationem huius partis nonnisi scilicet **homicidium quod sit crimen, inducere irregularitatem** notandae sunt sequentes regulae quas proponunt Schmalzgrüeber, Vecchiotti et quidam alii, scilicet:

Reg. I. Qui dat operam *rei licitae* et eam diligentiam adhibet, ut nulla ratione homicidium (ex communiter contingentibus) praevideri potuerit, irregularis non fit etiamsi homicidium inde sequatur.

Reg. II. Est: Qui dat operam *rei licitae* sed omissione debitae diligentiae, aut artis imperitia hominem occidit, irregularis fit.

Reg. III. Dans operam *rei illicitae,* quamquam diligentiam debitam adhibeat ne mors sequatur, tamen irregularis fit, si quempiam occiderit vel mutilaverit.

Reg. IV. Qui mortem aliter vitare non valens, suum invasorem occidit, non fit irregularis.

Porro 1ª. et 4ª. regula nullam praeseferunt difficultatem, et omnes Doctores conveniunt non contrahi irregularitatem ex homicidio casuali, quod 1ª. regula exhibet, neque ex homicidio necessario, quod exhibet 4ª. regula: quia in his non verificantur conditiones supradictae.

Secunda vero et tertia versantur circa homicidium mixtum seu voluntarium in causa; iamvero 2ª. non simpliciter admitti potest, sed propter artis imperitiam aut omissionem debitae diligentiae praecavendi homicidium eatenus hoc imputabile sit agenti, uti *grave* delictum, quatenus praeviderit, aut praevidere debuit, talem effectum ex sua actione sequuturum, et omissio diligentiae aut peritiae artis sit in se *gravis;* h. e. sit culpa lata, cum diligentiam non adhibuerit, quam solent homines in tali negotio adhibere; 3ª. autem nullatenus est admittenda, ex eo quod enim actio, unde praeter intentionem accidet homicidium, illicita sit, non sequitur, *si omnis sit adhibita diligentia,* insequens homicidium esse crimen vel culpam. Nam ut agenti aliquis effectus imputetur, requiritur etiam ut agens teneatur causam non ponere vel positam auferre, et quidem etiam ideo teneatur, ne sequatur effectus ille pravus.

Ergo restat quod nonnisi ex homicidio voluntario sive in se, sive in causa, quae praevideri potuit et debuit, contrahatur irregularitas tamquam ex delicto, sicut in *c. XI. et XX. de Hom. et toto tit. eodem;* et *in Trid. Sess. XIV. c. 7. de Ref.* Atqui hoc est illud voluntarium homicidium, quod criminosum seu crimen a Doctoribus dicitur. Ergo.

Quod de homicidio dictum est, id et de mutilatione dicendum; ita ut qui sciens volens mutilat sive alium sive seipsum fiat irregularis *c. 4. de Rapt.*

22. *Prob. 3ᵐ.* Quamvis ab irregularitatibus ex delicto, si sint occultae, dispensare possint Episcopi residentiales, tamen ab hac facultate ex iure *(Trid. sess. XXIV. c. 6. de R.)* ipsis concessa excipitur semper dispensatio ab irregularitate ex homicidio voluntario; quin imo in homicidio voluntario praesertim publico et notorio etiam ipse Pontifex raro dispensationem concedit, quemadmodum et ipse solus dispensare potest ab ir-

regularitate ex delicto, ex aliis criminibus in iure expressis, si publica sint. *Cf. Conc. Trid. l. c.* Quoad occultum homicidium Episcopis vetitum est ab hac sola irregularitate dispensare, quae oritur ex *occulto homicidio voluntario,* quod quis nempe sponte et ex proposito seu sciens volensque admisit. Unde Episcopi dispensare possunt ab ea irregularitate, quae oritur ex mutilatione voluntaria *occulta,* aut ex homicidio *casuali,* quoad omnes ordines, si manet occultum, vel quoad minores tantum, si est publicum.

II. IRREGULARITAS EX ITERATIONE BAPTISMATIS.

Summarium. — Secundum delictum, ex quo contrahitur irregularitas, est iteratio baptismatis scienter facta tam activa, quam passiva.

23. *Declaratur et prob.* Dicitur **iteratio baptismi scienter facta**; agitur enim de irregularitate ex delicto: et hac de causa dicitur etiam tam **activa**, quam **passiva**; quia tum rebaptizans tum rebaptizatus gravissime peccant; hinc adulti supponuntur, et unus sine altero eiusmodi peccatum non committeret: et etiam qui iterationi baptismatis palam ministrat contrahit irregularitatem *Cap. Ex litterarum de Apost. et iter. bapt.* ubi *Cf. Barbosa in Collectaneis DD. et Giraldi.* Haec autem irregularitas non ab exercitio susceptorum, sed a susceptione aliorum ordinum prohibet.

Ad quam tamen contrahendam opus est sacro baptismo *vero ac perfecto:* ideo non contrahitur, si quid eius valori desit, e. g. materia, aut forma, aut intentio suscipientis vel conferentis: hinc neque contrahitur, si conditio ab alterutro fuerit serio apposita e. g. si non sum, vel si non es baptizatus: 2°. *publico c. 12. de Apost.:* sed publicum alii *notorium* accipiunt, alii *solemne:* ergo non intelligitur irregularitas, nisi ex notorio et solemni tam passive quam active.

Iam ad Quaestionem Quid, si baptismus sub conditione iteratus fuerit? irregularitatem non induci saltem probabiliter, quia rebaptizans iam baptizatum atque conditionem iterationi adiiciens, *si non es baptizatus,* revera non rebaptizat. Sciens esse baptizatum et volens adhuc rebaptizare sub conditione

idem esset ac si diceret *te non baptizo*. Sed alii nituntur auctoritate Catechismi romani perperam intellecti, et ratiuncula, « quia conditio apponitur in fraudem legis ac si nullatenus apponeretur » quod duplex momentum nullatenus suadet.

Eamdem denique contrahit irregularitatem, qui absque necessitate baptismum recipit ab haeretico, quod nonnisi de adulto intelligendum est *Can. Ventum est 18. C. 1. q. 1., Can. Qui 10. C. 1. q. 7. Cf. de apostatis et iter. bapt.*, et ibi *DD. Bened. XIV. Instit. 8. 84.; Suarez in 3. p. S. Th. t. 2. q. 71. a. 4. Disp. 31. sect. 6. dub. 5.*

III. IRREGULARITAS EX VIOLATIONE CENSURAE.

Summarium. — Tertio, ex violatione censurae contrahitur irregularitas, i. e. ab eo, qui cum sit irretitus aliqua censura, seu cum sit suspensus, interdictus vel excommunicatus, temere et culpabiliter exercet verum et proprium aliquem actum ordinis, quem habet, irregularitas poenae instar contrahitur ipso iure.

24. *Declaratur et prob.* Communis et certa est assertio ob iura clara; nam *de* **suspenso** patet *ex c. Apostolicae 9. de Cler. Excom. ministr.; et c. 1. § fin. de sentent. et reiudic.* « Quod si in suspensione durante damnabiliter se ingesserit divinis, irregularitatis laqueo se involvit » de interdicto *can. Is cui, 20. eod. in 6.* « Is, cui Ecclesiae interdictus est ingressus etc. irregularis efficitur, si contra interdictum eiusmodi, divinis in ea se ingerat ».

De Excommunicato autem textus sunt in *can. Si quis Episcopus, Dist. 81. et seq. c. 11. q. 3. iuncto cap. penult. et ult. h. t.*

In Summario ipso apparet *a*) quod debeat esse iam censura irretitus; ergo si tantum prohibitus sub censura ordinem exercere, illum exerceat, non fit irregularis: et insuper illa debet esse censura quae vetat ordinem exercere; hinc non fit irregularis Episcopus, qui suspensus a Pontificalibus *celebrat* in apparatu pontificali *(s. Alph. l. VII. Th. mor. n. 314)* vel suspensus ab ordinibus conferendis, celebrat. Excommunicatio intelligitur maior etiam occulta, etsi vitandus non sit, qui est excommunicatus; *b*) apparet scilicet duplex servanda conditio:

1ª. est, ut verum et proprium actum ordinis exerceant, e. g. celebratio Missae, collatio Sacramenti Ordinis, confirmationis, etc. 2ª. est, ut censuratus temere et culpabiliter exerceat verum seu proprium aliquem actum ordinis *c. Lateres 4. de Cleric. excomm. deposito vel....* « *Postquam interdicti vel excommunicati fuerint, divina praesumpserint officia celebrare....* »

Irregularis etiam fit nominatim qui celebrat in loco interdicto, at *scienter,* ergo non fit irregularis qui audit missam; nec qui ibi coactus fuerit celebrare: quidquid sit de communi sententia veterum Canonistarum contraria fundata in *c. 5. de Cler. non ord. min.* ex quo profecto nil eruitur ut probe D'Annib. *Summ. v. 1. n. 409. not. 26.* et cum ipso Suarez *de Cens. 31, I. 57.,* Gonzal. *in cit. c. 5.*

Simoniace ordinati generatim ab officio abstinere et a beneficio amoveri debent *c. 20. et 32. de Simonia, c. 21. de accusat.* Imo excommunicati erant *Extravag. comm. c. 2. de Accusat.,* sed per *Constit. Apostolicae Sedis,* haec censura est abrogata, quod et de aliis est dicendum, quae neque in dicta Constit. exprimuntur, neque in Conc. Trid. directe pronuntiantur.

IV. IRREGULARITAS EX PRAVO ORDINUM USU.

Summarium. — Oritur irregularitas ex pravo ordinum usu: nempe fit irregularis Clericus solemniter ministrans seu ordinem exercens, quem non habet.

25. *Declaratur et prob.* Qui **exercet ordinem**: ergo et qui illum confert, quia conferendo exercet quem confert, *cf. Fagnani in C. vel non n. 21. de temp. ordin.;* ergo non qui exercet ea, quae ex tonsura consistunt: in ordine seu ordinem exercens, non iurisdictionem; hinc sacerdos simplex non fit irregularis excipiendo confessiones, nec diaconus, qui sine delegatione extra casum necessitatis solemniter baptizet: quia sicut presbyteris absolvendi, sic et diaconis baptizandi potestas inest ex sacra Ordinatione. Sententia communis tenet, diaconum fieri irregularem, quippe qui ordinatur utique ad baptizandum: sed ex commissione Episcopi vel sacerdotis: at contra est, quia commissio nil aliud conferre potest, nisi iurisdictio-

nem; non autem potestatem ordinis, sicut ab Episcopi approbatione presbyter iurisdictionis, non ordinis, potestatem obtinet. Ergo. *Ordinem quem non habet:* e. g. si Diaconus Missam celebret, absolvat sacramentaliter etc. *solemniter ministrans* seu ordinem exercens, i. e. quasi in officio suo agens *can. 7. cau. XI. q. 3. c. 1. § ult. de sent. Excom. in 6.:* scilicet si actus sit eiusmodi, qui exerceri non potest, nisi ab his, qui talem ordinem habent, is semper solemniter exercet: Bonacin. heic *2. 3. P. 6. n. 9.* e. g. absolvere a peccatis. Si autem et ab aliis exerceri potest, et exerceat ut alii, cessat irregularitas e. g. si Presbyter hypodiaconum agat sine manipulo.

Quod clericus fiat irregularis ministrans solemniter in ordine non suo patet *ex C. 1. de Cler. non ord. ministr.,* ubi ait *Hormisd.* « *Si quis baptizaverit aut aliquod divinum officium exercuerit, non ordinatus, propter temeritatem abiiciatur de Ecclesia et numquam ordinetur* ». Quod solus Clericus et non laicus hanc possit incurrere irregularitatem patet ex rubrica *de clerico,* et quidem *ministrante* in ordine maiori non suo, cum officia minoris ordinis permittantur et laicis.

Ex iuris textibus intelliguntur tres conditiones ad hanc irregularitatem incurrendam: 1ª. est ut clericis *proprium actum* seu ministerium ordinis exerceat, quod nonnisi ab ordinato exerceri potest, e. g. si minorista epistolam cum manipulo, vel subdiaconus Evangelium cum stola solemniter cantaret: 2ª. est ut clericus eiusmodi ordinis actum exerceat serio h. e., iuxta Suarez, si producit exteriorem actionem eo modo et fine, ut homines decipiat, vel persuadet se ex vero et sincero animo et intentione etiam interna talem actum ordinis exercere: etsi revera talem intentionem non habeat, imo nec habere possit, cum scit quod ordinem requisitum pro actu non habeat: 3ª. est ut *temere* et *scienter* id faciat text. cit. *Propter temeritatem*, ac proin non contrahit, qui ex ignorantia putat talem ordinem habere.

Quoad *furtive ordinatos* aut *per saltum* aut *sine titulo ordinationis,* et *quoad recipientes ordines duos maiores,* eadem die, vel ab Episcopo excommunicato, suspenso, interdicto, haeretico, deposito, schismatico, etsi iuxta plures fiant hi omnes irregulares, tamen ius certum non est de quocumque ex di-

ctis, eos fieri irregulares per se, nisi ex violatione censurae e. g. suspensionis, quam prima vice si exerceant ordinem, certo incurrunt. Dixi ex *violatione suspensionis;* tamen α) si omnes dicti suspensionem incurrunt ob pravam susceptionem ordinum, β) et si suspensio est ab officio, vel ordine, ac vim verae censurae habeat.

Quoad **dispensationem ab hac irregularitate**: 1) qui furtive ordinatus est poterit dispensari si susceperit *habitum regularem. Ex C. 1. de eo qui furt;* 2) is, qui exercuit ordinem, quem non habet, poterit ab Episcopo post biennium restitui in exercitio ordinis ultimi suscepti, et in beneficiis institui *C. 2. de Cler. non ord. min.*

V. IRREGULARITAS APOSTASIAE A FIDE.

Summarium. — Apostasiae a fide, vel haeresi formali publicae adnectitur etiam irregularitas.

26. *Declaratur et prob.* Dicitur **apostasia a fide** quatenus haec distinguitur ab apostasia a Religione approbata, et ab ordine sacro. Est **haeresis formalis** quando quis negat voluntarie et contra Ecclesiam dogma proponentem, seu pertinaciter negat aliquem fidei articulum; **publicae** quando hoc crimen est notorium vel per evidentiam facti, vel per iudicis sententiam, vel per propriam confessionem in iudicio. Hinc neque haereticus externus sine interno errore intellectus, neque purus schismaticus irregularitatem incurrit.

I. Quod omnes haeretici notorii..... ipso facto fiant irregulares, communis ac certa sententia est, et *arg. can. 1. et can. Saluberrimum 21. Ca. 1. q. 7. iuncto cap. 2. § Haeretici, et c. Statutum 15. de Haeret. in 6.* ubi Haeretici redduntur inhabiles ad beneficia ecclesiastica, ad quae etiam ordo pertinet.

II. Sed haec poena irregularitatis afficit etiam Haereticis *credentes,* eorumque Receptores, Defensores et Fautores *c. 2. § Haeretici, et c. Statutum l. c. in 6.*

III. Insuper *Descendentes* usque ad nepotes inclusive, si de patre haeretico; usque ad filios tantum, si de matre haeretica agatur, fiunt irregulares, ita tamen, ut excipiantur communiter:

1. Descendentes ab haereticis, contra quos non processit probatio haeresis; 2. descendentes ab haereticis emendatis et cum Ecclesia reconciliatis; excepto casu relapsus, quia tunc etsi quis resipuerit, non censetur quoad hoc reincorporatus Ecclesiae; 3. filii nati post commissum delictum haeresis a patre; nec 4. qui nascuntur ab haeretico in iis regionibus, ubi crimen haeresis infamiam non affert; 5. filius, qui patrem haereticum Inquisitoribus denuntiavit. Hinc patet, ut pluries respondit S. C. C. non esse irregulares ortos ex paganismo et hebraismo et simul in aetate infantili baptizatos.

Denique advertatur: 1) Hanc irregularitatem, in qua labitur haereticus, de se esse perpetuam ac durare etiam post poenitentiam et post dictae haeresis abiurationem; 2) relate ad haereticos ipsos si suspecti de haeresi cogantur abiurare de vehementi, non fiunt probabiliter irregulares iuxta Suarez, Sanchez; quod si praeterea adsit infamia sive facti, sive iuris in eo delicto, ratione cuius aliquis abiuret, ex infamia saltem videtur contrahi irregularitas; 3) unde praesertim relate ad filios et nepotes haereticorum non tam ex ipso delicto, quam ex infamia provenire videtur.

Ab hac porro irregularitate unus Romanus Pontifex dispensare potest.

VI. IRREGULARITAS EX INFAMIA.

Summarium. — Quaecumque delicta infamiam sive facti, sive iuris irrogant, irregularem faciunt.

27. *Declaratur et prob.* Ut hoc assertum clarius innotescat, duo quaerenda sunt: 1. **quid sit infamia,** 2. quotuplex. Ad 1^m^ quid sit, infamia definiri potest, *Privatio bonae famae ob publicam sinistramque de persona opinionem, ortam ex vitio,* in qua, nota το *publicam,* ex quo sequitur, ad contrahendam infamiam semper necessariam esse aliquam notorietatem criminis, unde illa oritur.

Ad 2^m^. **Quotuplex.** Resp. **Infamia duplex est facti et iuris.**

a) **Facti infamia** ea est, quae oritur ex crimine, cui non ius, sed virorum proborum opinio eiusmodi maculam inurit.

De eiusmodi infamia duo quaeri possunt: α) *quid differat ab infamia iuris;* β) *quae sint illa crimina, quae iure ipso infamiam non pariunt; pariunt autem ex virorum proborum opinione?* Quoad hoc postremum responderi potest, ea esse quaecumque gravia habentur, atque ingenium perversum portendunt. Hanc infamiam e. g. patitur, qui notorie accedit domum meretriciam. Quoad alterum i. e. quid differat ab infamia iuris, dicendum est ita differre quod infamia *iuris* est perpetua, infamia *facti* temporanea, i. e. quoadusque vitium, unde oritur, emendetur, quae emendatio ex triennali innocentia inducta esse censetur.

b) *Iuris infamia* ea est, quae infligitur ab *ipso iure.* De qua duo sunt quaerenda: 1. quot modis inducitur; 2. quomodo tollitur.

Ad 1^m^ quod attinet; *a*) tribus modis induci potest: I. ipso facto; II. per sententiam iudicis; III. qualitate poenae.

I. *Ipso facto,* cum agitur de crimine, cui *lex aliqua* infamiam ipso facto irrogat, intellige semper cum notorium est notorietate facti: nam sententiam declaratoriam iudicis non esse expectandam monet Schmalzgrueber. Quaenam vero sint eiusmodi crimina, responderi potest ea esse iure saltem canonico 1. crimina omnia atrociora, quae capitalia sunt; 2. alia quaedam licet leviora, e. g. periurium, usurae vitium manifestum, et alia, de quibus videre est *can. Infames Ca. 6. q. 1.* Appendicis loco addendum est ad crimina in hac materia revocari, licet neque crimina, neque peccata sint, exercitium alicuius officii, cui vel ius ipsum, vel publica opinio adnectit infamiam ita ut ad infamiam iuris vel facti pertineat, prout vel *ius ipsum* vel *publica tantum opinio,* eidem infamiam irroget e. g. officium *carnificis,* cui ius ipsum videtur infamiam irrogare; et in genere *artes ignominiosae,* quibus saltem publica opinio infamiam adnectit.

II. Per sententiam iudicis, cum agitur de crimine, cui non ipso facto, sed per iudicis sententiam, lex aliqua infamiae poenam assignat, ita ut infamia post iudicis sententiam oriatur, quae *firma* sit, i. e. quae sit valida et in *rem iudicatam transierit.* Quaenam vero sint eiusmodi crimina, si quaeras, dicendum est, ea esse 1. delicta omnia publica, i. e. de quibus accusatio cuilibet de populo permissa est; 2. Delictum doli mali

in tutela, vel in contractu societatis, mandati, depositi, ita ut qui criminaliter de eiusmodi delictis accusati sunt, si condemnati fuerint, ex condemnatione infamiam contrahant.

Denique III. ex qualitate poenae infamia oritur, cum poenae genus ignominiosum habetur, cuiusmodi est 1. exauctoratio a militia, vel deiectio ab ordine, vel honore aliquo, ignominiae causa; 2. damnatio ad opera publica; 3. deportatio; 4. fustigatio poenae causa inflicta; 5. excommunicatio.....

Iamvero quod infamia *a*) iuris faciat irregularem, certum est ex *can. Infames Caus. 6. q. 1. (Salmat. Theol. mor. Tract. 10. c. 8. n. 80):* sive oriatur ex *delicto* α) *proprio,* et hinc sunt infames et irregulares Haeretici, Apostatae, Monomachi, raptores; β) *sive ex alieno* et sic irregulares fiunt filii et nepotes Haereticorum, percussores vel hostiliter insequentes Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, eorumque filii et nepotes *(cc. 1. 15. 20. de Haeret. in 6. c. 5. De Poenis in 6.*; γ) *sive ex officio,* quod quis exercet, atque adeo irregulares evadunt lenones *l. 1. de his qui not. infamia,* quique prodeunt in scenam ad comoedum agendum *l. 2.* § *ait Praetor, eod.* Probabilius autem haec irregularitas contrahi non videtur ante sententiam iudicis declaratoriam criminis iuxta plures. Neque certum est, *b*) facti infamia contrahi irregularitatem. *Negant Suarez, Laym., Filiuc., Reiff. ad C. 87. de R. I. in 6. Affirmant Bonac. Theol. mor. q. 3. R. 1. n. 5. et Salm. Theol. mor. tract. 10. C. 8. n. 16.*

28. Sed etsi contrahatur **cessat** tamen **deleta infamia** per poenitentiam, seu per notoriam emendationem, ad quam plures triennium exigunt, sive per mutationem loci etc. Infamia autem iuris et hinc etiam irregularitas cessat per restitutionem famae legaliter factam in foro civili; si ex iure civili tantum orta erat infamia; et in foro speciatim ecclesiastico si a iure can. dumtaxat provenerat.

Tolli etiam potest eiusmodi infamia per *purgationem canonicam,* quae scilicet ex ss. canonibus praescribitur, uti Doctores advertunt *in l. V. Decret. tit. 24. et 25.,* et uti contradistinguitur *a vulgari.* Plures quidem olim erant modi se purgandi a ss. canonibus recepti e. g. iuramentum ad sepulcra et reliquias SS., publica Eucharistiae sumptio, adiecta quandoque imprecatione repentini interitus si obiectum crimen sit commissum. Sed

cum sincera in Deum et Sanctos suos fides ac pietas deficere coeperit, omnes ceteri obsoleverunt et unus tantum remansit modus canonicae purgationis, qui praescribitur *c. 1. 5. 7. h. t.* Consistit porro in iuramento 1. quo purgandus, etsi Episcopus, tactis evangeliis iurare debet, nec per se, nec per alium suo nomine commissum esse crimen vel excessum sibi obiectum; 2. in iuramento aliorum virorum, qui compurgatores audiunt, plures vel pauciores iuxta qualitatem delicti, infamiae, personae, quique pariter evangeliis tactis iurare debent, obiectum crimen a reo non esse perpetratum. *Vulgaris* purgatio graviter prohibita solebat fieri per duellum, per incessum super vomeres, aut prunas ardentes, per ebullientem aquam etc., ex quibus qui victor aut illaesus evasisset iudicaretur innocens a crimine obiecto.

§ 3. DE IRREGULARITATIBUS EX DEFECTU.

Praenotanda

29. Praenot. 1) Ipsa denominatio irregularitatis ex defectu indicat non necessario et directe a culpa illius, qui eo notatur, ipsam esse repetendam; sed ex dignitate status: quia nempe *deficit* illa physica perfectio atque decentia, quam dignitas huius altissimi status obiective in promovendi persona exigit, quamvis defectus eiusmodi originem ex delicto aliquo, vel suo, vel alieno, admixtam habeat. Unde ipso facto irregularitas ex defectu incurritur.

2) Hinc non refert, utrum quis eas contraxerit culpa sua vel aliena, ante vel post baptismum *c. 3. dist. 26. c. 13. dist. 34.;* ab eisque nemo excusatur ob errorem, metum, vel ignorantiam: nec dispensari possunt per se ab Episcopo quamvis occultae illae sint.

Plures autem sunt 3) *species* irregularitatum ex defectu prout per se individuum spectetur, aut relative ad alios, vel prout caret variis bonis tum quoad corpus, tum quoad ipsius vitae durationem, et hinc habentur irregulares ex defectu animi, corporis, et aetatis: sive quia *caret bono famae* integrae etiam ex parte originis, vel *bono libertatis,* atque adeo habentur irregu-

lares defectu natalium, libertatis, et mala fama; sive quia deficit in eo *duplex aliud* bonum seu qualitas supernaturalis, ratio scilicet Sacramenti: unde *bigamia*: et *clericalis lenitas*. Quae irregularitates omnes solent exprimi vers.

Natales, animus, libertas, corpus et aetas,
Non bigamus, lenis, nec mala fama notat.

De fama iam diximus § 1., hic de reliquis.

I. EX DEFECTU ANIMI ET CORPORIS.

Summarium. — Irregularem faciunt 1) defectus animi, scilicet *a)* rationis, *b)* scientiae *c)* et fidei confirmatae; 2) defectus corporis, propter quos nempe vel simpliciter, vel prout decentia postulat, exerceri nequeant ecclesiastica munia; 3) a quibus ne contrahatur et cesset irregularitas, quis et quomodo valeat dispensare, exponitur.

Ex defectu animi.

30. *Declaratur et prob. 1^m^.* **Irregulares sunt defectu animi, 1. qui carent usu rationis** simpliciter et in perpetuum: vel secundum quid, et ad tempus; scilicet amentes, furiosi, lunatici et daemoniaci, etsi videantur convaluisse. Distingue tamen, si hi iam fuerint ordinati, poterunt arbitrio Episcopi in susceptis ordinibus ministrare: pariter in epilepticis distingue, si morbus cessaverit ante pubertatem, poterunt ipsi ordinari: si postea aut cessaverit, aut coeperit, non licet eos ordinare: sed si iam ordinati fuerint, ipsis permittitur celebrare, quamvis interdum, e. g. semel in mense, morbo corripiantur, (modo non cadant et spumas agant) et praesente alio sacerdote ieiuno.

2. qui carent **perfectione debita scientiae,** i. e. illiterati, qui linguam latinam penes occidentales ignorant, et ea scientia carent, sine qua ordine vel suscipiendo vel suscepto omnino defungi nequeunt: quod Episcopi iudicio reservatur; et si bona fide susceperint excusantur ab irregularitate.

3. **ratione fidei confirmatae** irregulares fiunt ii, de quibus cum fundamento suspicio habetur, num vere et ex animo fidei catholicae nomen dederint, scilicet *neophyti,* et qui *bapti-*

smum in mortem distulerant, et generatim tum ii qui nuper per baptismum geniti sunt, tum ii qui ab haeresi vel a saeculari et mundana vivendi ratione ad fidem catholicam et pietatis exercitium transierunt: non neophyti; ne in superbiam elati in iudicium incidant diaboli, neque a quacumque secta neoconversi; ne, qui vix discipuli fuere, magistri evadant; qui non satis hactenus edocti sunt et in fide confirmati, alios erudiendos et confirmandos suscipiant: et qui in nullo unquam gradu obsecuti fuerant sacerdoti, velint aliis praeesse. *Can. Miserum dist. 61. Conc. Trid. § 23. c. 4. de R.*

Ex defectu corporis.

31. *Declaratur et prob. 2^m^.* Irregulares sunt *corpore vitiati Can. 50. dist. 50., in qualibet parte corporis Can. 10. dist. 34. C. 1. Tot. tit. X. de corp. vitiat.*

1) Tunc in homine oritur haec irregularitas cum ita pars aliqua corporis ipsi deest, vel debilis facta est, ut inutilis sit ad ministerium altaris. 2) Rursus tunc etiam oritur, cum ipse etc. quocumque simili corporis vitio seu qualitate redditus est notabiliter deformis, ita ut altaris ministeria non ea, qua convenit dignitate, obiri queant. Ratio utriusque est, quia a sacrificante multae membrorum actiones necessario fieri sine ullo defectu debent, et nil indecens vel contemptibile in eo apparere debet. Hinc resolve irregularem esse qui crura adeo distorta gerit, ut vitium ne veste quidem talari tegi possit. Ceterum ad contrahendam irregularitatem post ordines susceptos « Ne afflicto addatur afflictio » *(De Cler. aegrotante),* opus est deformitate et impotentia paullo maioribus. Unde non prohibentur missam celebrare caecutientes modo discernant calicem et hostiam *(S. Alph. Th. mor. l. 7. n. 390),* surdi utraque aure: nec hi probabiliter, qui pollicem amiserint, modo ne sibi illum absciderint.

Quamvis ea porro contrahatur, non prohibet omni ordinis exercitio, sed iis tantum officiis, quibus quis congrua defungi non potest: adeoque regulariter nec beneficiis ecclesiasticis prohibet, hinc caecus poterit audire confessiones et claudus celebrare, si absit scandalum.

Haec tandem irregularitas magis in facto, quam in iure consistit: factum vero examinari debet ab Episcopo tam suo, quam ordines conferente. Inde est quod *in casu* dubii iudicium pertinet ad Episcopum pro saecularibus, ad Praelatum regularem, ut communis fert opinio, pro regularibus sibi subiectis.

32. *Declaratur et prob. 3.* **Circa dispensationem quoad corpore vitiatos** in iis casibus, qui dispensationem admittunt, si agatur de suscipiendis ordinibus, dispensatio spectat ad Romanum Pontificem; si de administrando in iis, qui iam suscepti sunt, cum scilicet irregularitas supervenit, ad Episcopum; nisi tam nimia sit deformitas, quae non sine scandalo ministrare sinat. Dixi in iis casibus, qui dispensationem admittunt. Sunt enim qui dispensari nequeant, iure divino, sive positivo sive naturali obstante; e. g. muti etc.

De his, qui ex defectu corporis promoveri nequeunt, agunt canonistae in tit. XX. l. I. secus in tit. XXXVII. l. V.

II. EX DEFECTU NATALIUM.

Summarium — Natalium quoque defectu irregulares fiunt 1) scilicet ii, qui α) nati sunt ex matrimonio illegitimo, aut si β) ex legitimo, tamen ex coniugibus iam vota professis, γ) quibus accedunt Clericorum filii; 2) ab his porro eiusmodi macula abstergitur legitimatione, aut dispensatione.

33. *Declaratur et prob. 1^m.* Distinguitur in Summ. triplex classis horum; 1) qui extra nuptias *certo* nati sunt: dico *certo* quia *de re odiosa* agitur, unde expositi legitimi censentur; 2) qui post iustas nuptias nati sunt, sed cum coniuges vel alter eorum ex mutuo consensu regularem professionem, vel sacrum ordinem susceperat; 3) hisce accedant velut appendicis loco, Filii presbyterorum, seu in genere clericorum. Aut enim hi sunt *illegitimi,* aut sunt *legitimi,* si scilicet ex iustis nuptiis nati sunt, antequam Pater clericus fieret. Si 1^m. multo magis recensendi sunt inter irregulares; sin 2^m. aliqua ratione accedunt *irregularibus.* Etsi enim legitimi sint, sunt incapaces beneficiorum, quae antea Pater eorum *immediate* habuit.

Porro Ecclesia exigit, ut promovendus ad ordines a legitimis parentibus natales sortitus sit: secus contrahit irregular.

cc. 1. et 2. de Filiis presb. Haec porro irregularitas ex defectu omnino est, ut patet cum accidat citra omnem actionem irregularis, et tota pendet ab opinione hominum. At Ecclesia Dei, quae non hominum opinione, sed Spiritu Sancto ducitur, non propter filios illegitimos per se, sed propter damnum religioni obventurum ex data hac opinione, quae sacrorum ministrorum bono nomini tam necessario apud populum Dei obnoxia valde est. Unde, cum penes omnes ferme populos illegitimae originis macula coepta est haberi ceu dedecus clericalis ordinis, a concilio Toletano IX. (6. 55.) removeri caeptum est ab ordinibus illegitimos maiorum clericorum et addici servilibus Ecclesiae officiis: dein saec. IX. et X. filios virginum raptarum, filios ex incestu procreatos: tum filios illegitimos presbyterorum, et tandem haec irregularitas ad omnes illegitimos extensa est; ita ut hi omnes neque ad ordines minores, neque, si ordinati iam sint, ad beneficia absque dispensatione promoveri valeant *C. 1. tit. 17. et etiam in 6. De filiis presbyt.*

Variae recensentur species eorum, qui sunt illegitimi. Nati extra matrimonium dicuntur filii illegitimi. Qui si orti sunt ex viro et muliere, inter quos matrimonium constare potuisset, sive tunc cum ipsi concepti, sive tunc cum in lucem editi fuerunt, iure canonico *naturales* dicuntur; secus spurii seu potius orti ex *damnato coitu (Ex C. 6. Qui filii sint legitimi Sess. II. 19. 55.). Spurii* autem rursus 1. vel *adulterini,* 2. vel *sacrilegi,* 3. vel *incestuosi,* 4. vel *nefarii;* prout nempe ex parentibus (vel uno eorum) 1°. coniugatis seu 2°. obstrictis solemni castitatis voto vel ordine sacro; seu 3°. collateralibus quovis gradu; vel affinibus; seu 4°. demum ex adscendentibus vel descendentibus nati sunt.

Merito autem Ecclesia hos ab altaris removet ministerio, scilicet 1. ob praerogativam et dignitatem ordinis clericalis: qui enim hoc vitio laborant, ab hominum ludibriis ac dicteriis impeti solent; 2. ob periculum incontinentiae ex imitatione paterna, iuxta vulgatum adagium *saepe solet filius similis esse patri et vitia parentum etiam ad posteros transferuntur;* 3. propter odium paterni criminis, quod Deus ipse quandoque visitat in filios. *Ut paternae incontinentiae memoria a locis Deo consecratis longissime arceatur.*

34. *Declaratur et prob. 2^m.* **Haec macula illegitimitatis, ac proin ex hoc capite cessat** irregularitas tribus modis :

a) **legitimatione** per subsequens matrimonium *c. 1. et fin.* de filiis presbyt., adulterinis et incestuosis *Bened. XIV. tit. Redditae 5. Dec. 1741.* tum ad ordines tum ad beneficia legitimantur.

b) si illigitimus tum naturalis, tum spurius fiat monachus **per professionem religiosam** fit habilis ad ordines non vero ad praelaturas textu expr. *c. 4. de fil. presbyt.*

c) **per rescriptum principis** potest abstergi macula originis illegitimae, agnita scilicet a iure civili, patet.

d) **dispensatione.** Communis est doctrina iuxta quam a *solo* Romano Pontifice conceditur dispensatio pro sacris ordinibus, beneficiis curatis, dignitatibus Capitulorum, praelaturis sive saecularibus sive regularibus, ab Episcopis vero dispensatio *certo* tribui potest ad ordines minores et beneficia simplicia.

Sed numquamne Episcopus dispensare potest pro ordinibus maioribus? *P. Pichler in c. 1. de filiis presbyt. Resp. 2°.* « Probabiliter etiam, ait, ad ordines maiores.... si defectus natalium sit occultus ».

Addendum insuper est, 1) ex privilegio mendicantibus concesso, eorum superiores, quoad subditos circa praelaturas et beneficia curata posse dispensare. 2) In genere autem de modis, quibus haec irregularitas tollitur, monendum est eos admitti non solere neque ad Cardinalatus dignitatem, neque ad beneficia in quatuor Ecclesiis patriarchalibus urbis Romae, ex Constit. quoad Card., Syxti V, quoad alios Gregorii XI. 3) In specie vero quoad dispensationem monendum est, eam esse strictissimae interpretationis.

Cf. Doctores qui hac de re agunt, praesertim in tit. XVII. l. I., in tit. XVII. l. III., et tit. XXXVII. l. V.

III. EX DEFECTU AETATIS ET LIBERTATIS.

Summarium. — Pariter irregularitatem inducit 1) aetatis defectus et 2) libertatis scilicet, quae restricta sit, eo quod iam quis existat *a*) aut servus *b*) aut obligatus ad ratiocinia, *c*) aut matrimonii vinculo ligatus.

35. *Declaratur et prob. 1^m^.* **Ex defectu aetatis,** quam sacri canones ad tonsuram atque ad ecclesiasticos ordines, vel ad beneficia assequenda requirunt, certo incurritur Irregularitas, *C. 24. de Temp. Ordin.;* ubi, qui ordinatur ante legitimam aetatem et illicite ordinatur atque ab exercitio talis ordinis removetur; Episcopus vero ordinans asseritur vel non compos sui, vel scientiam prorsus ignorare. Quaenam sit legitima aetas *cf. Trid. Sess. XXIII. de R. c. 12.* pro ordinibus maior.; *et ibid. c. 4. et 6.* arguitur pro minoribus Ord. aetas.

36. *Declaratur et prob. 2^m^.* Quoad 1^m^ Irregulares sunt **ob defectum libertatis** *servi,* ubi servitus adhuc viget ex iure gentium, atque ibi servi subeunt servitium. Hi namque servitio domini mancipati, non possunt sacris Ecclesiae ministeriis inservire, quin dominorum iura laederentur; nisi domini ordinationi eorum consenserint, aut nisi manumissi fuerint. *Can. Si servus sit, Dist. 54. c. 5.,* et toto tit. *de servis non ordinandis.*

Quoad 2^m^. sunt irregulares *obligati ad ratiocinia* ii scilicet, qui ex aliquo munere publico aut officio, vel negotio saeculari clericis interdicto, obligantur suae administrationis reddere rationem, nisi tale munus ante deponant; et redditis rationibus ab iis fuerint absoluti e. g. tutores, curatores, syndici universitatum. *Cf. Dist. 51. per totam et c. unic. de obligatione ad ratiocinia.* Hisce tamen non recensentur tutores, vel curatores miserabilium personarum, viduarum et orphanorum, administratores bonorum ecclesiasticorum, vel cuiuslibet loci pii.

Quo melius distinguatur in hac re attendi debet theoria *Glossae in Cap. Magnus de oblig. ad ratiocinia, et ibi Fagnan.* Aut ordinandus in administratione adhuc durat, aut illam iam deposuit. Si durat aut est ex causa privilegiata, cuiusmodi est administratio ob tutelam legitimam, vel Ecclesiarum, vel mi-

serabilium personarum, vel ex causa non privilegiata. Si 1m. ordinari poterit, sin alterum non poterit, quoad usque administrationem deposuerit. Quod si deposuit et nondum rationem reddidit, iterum distinguendum est; aut agitur de administratione publica, aut de privata: si de *publica,* ordinari non poterit quoadusque ea obligatione solutus fuerit, si de privata et *convenitur de dolo* non poterit, si non convenitur, aut de culpa tantum, poterit ordinari.

Quoad 3m. Qui matrimonii vinculo ligantur ordinari nequeunt, nisi uxores consentiant, eaeque aut religionem profiteantur, aut saltem degentes in saeculo, castitatis perpetuo servandae votum emittant, approbante tamen Episcopo, *C. 4. de temp. Ord. in 6.*

IV. EX DEFECTU SACRAMENTI.

Summarium. — Irregularitas inducitur etiam ex defectu sacramenti, seu ex triplici bigamia vera, similitudinaria, interpretativa. *Cf. Doctores in tit. XXI. l. 1. Decr. De Bigamis non ord.*

37. *Declaratur et prob.* Intelligi quidem potest **ex defectu sacramenti** sive omissi, sive aliqua cum nota suscepti: α) *omissi;* scilicet si omissus fuerit 1) baptismus, quo casu ordinatio invalida est; 2) si confirmatio, quo casu ordinatio illicita est. β) Aliqua *cum nota suscepti;* id pertinet ad sacramentum matrimonii quoad eos, qui bigamiam incurrunt. *Bigamiam* scilicet quae irregularitatem inducit, dicimus duas vel plures successive uxores habuisse: haec autem dicitur irregularitas ex defectu sacramenti propterea quod quis cum pluribus vel attentans unionem matrimonialem deficit a ratione illa sacramenti matrimonii, qua unio Christi cum Ecclesia repraesentatur. Nam matrimonium *est sacramentum magnum in Christo et in Ecclesia (ad Eph. V. 32)* i. e. significat, repraesentat unionem Christi cum Ecclesia: atqui haec coniunctio fuit unius cum una; ergo huius sacramenti perfecta significatio deficit in eo matrimonio, quod contrahitur, si aut vir cum pluribus uxoribus, aut uxor cum pluribus viris suam carnem diviserit *c. 5. de Bigam.* Ast heic bigamia latius, imo latissime accipitur et

exhibet tres species bigamiae, scilicet veram, quam modo indicabamus interpretativam et similitudinariam. Hinc Glossa vers. exhibet omnem irregularitatem.

> Si ducas viduam, vel quam corruperat alter,
> Unam post aliam, binas simul, aut tua coniux
> Cognita si fuerit, bigamiae lege teneris,
> Et si pollicitam violasti virginitatem.

Vera est, quae oritur ex duplici matrimonio utroque vero, valido, et consummato *c. 6. § ult. de Bigam.*

Bigamia interpretativa et similitudinaria introductae sunt fictione iuris ad instar verae, et quia fictio imitatur naturam, neutra est bigamia sine aliquo matrimonio seu valido seu invalido, sed consummato cum affectu maritali. In bigamia vera deficere reapse sacramentum seu mysterium, atque adeo irregularitatem ex defectu parere, constat *ex cc. 2., 5., de Bigam.*

Bigamia similitudinaria est quae oritur ex sacrilegis nuptiis licite invalidis, quae censentur succedere coniugio spirituali contracto per solemne votum castitatis. Aliis verbis: tunc habetur haec bigamia, cum quis post initum matrimonium spirituale i. e. post susceptum ordinem sacrum, aut post omissam professionem solemnem, attentat matrimonium illudque affectu maritali consummat *(c. Nuper 4. et c. ult. eod. tit.)*; ergo oritur ex duplici matrimonio carnali uno, spirituali altero.

Obiic. non praestat impedimentum quod de iure non sortitur effectum *(c. 52. de Reg. I. in 6.)*: atqui matrimonium carnale attentatum est irritum et nihil.

Resp. Nos hic accipimus matrimonium, quod in solo *facto,* etsi non in iure consistit; quia in matrimoniis, quae contra ius contrahuntur, non iuris effectus, sed animi destinatio attenditur *C. Nuper, de bigam. non ord.* Hic canon desumptus est ex *L. 18. C. ad L. Iul. de adult.* qua cavetur *Eum, qui duas simul habuit uxores, sine dubitatione comitatur infamia: in ea namque re, non iuris effectus.... sed animi destinatio cogitatur.* Unde in *cit. c. Nuper 4.* et *c. A nobis 7.* dicitur: *Si quis constitutus in sacris cum una aut pluribus contrahere conetur, etsi matrimonium cum nulla teneret,* tamen ille bigamus reputatur, licet re vera bigamus non esset, non propter sacramenti de-

fectum, sed propter affectum *intentionis cum opere subsecuto;* atque ideo, si simulate contraheret, irregularitati, verius, locus non foret. Hic igitur voluntas sine effectu punitur quando procedit ad factum ac proin haec irregularitas ex delicto est, nec ideo inspicitur, utrum quis duxerit virginem aut corruptam.

Adducitur in exemplum circa aliam quaestionem *locus cit. L. 18. C.* scilicet qui simul duas habet *uxores* est infamis, quamvis alterutra non sit vera uxor. Ita est in iure, ut alias plus consideretur effectus, quam affectus vel factum ipsum, alias magis factum quam ius. Item in aliquibus praefertur opinio veritati, ut in favorem contrahentium, odium decipientium favorem prolis, vel testamenti, vel sententiarum: hinc vulg. vers.

Testamenta, favor, odium, sententia, proles
Ex istis causis praefertur opinio veris.

Bigamia interpretativa habetur, cum quis mulierem quae integra non est, ducit in uxorem. Mulier enim sive libera sive vidua prius cognita ab alio, et quae modo cum affectu maritali commiscet se cum secundo, habetur ceu duplex mulier sive uxor; quia duobus ipsa se commiscuit. Bigamia haec in tres adhuc species distinguitur: 1°. si quis ducat corruptam ab alio seu fornicariam seu viduam: et nemo dubitat hanc esse bigamiam atque irregularitatem inducere ex defectu, etsi vir eam putaverit virginem, modo matrimonium validum fuerit iuxta Navar., Sanchez, Henriq., Valen., Palao–Salmat. *cc. 2. et 3. de bigam.*

Dixi *a*) *corruptam ab alio,* quia non est bigamia, si vir cum pluribus sit fornicatus, aut a se corruptam, aut viduam adhuc integram ducat: *b*) *modo matrimonium fuerit validum* iuxta citt. Auctores, quia versamur in odiosis, et quod nihil est, nihil praestat et quia ita a S. Poenit. decisum esse testantur Navar. et Farinac. apud Salmat. Attamen contraria sententia probabilis est.

2°. Altera species huiusmodi bigamiae habetur, cum quis commiscuit uxori suae postquam lapsa fuit in adulterium: at ex hoc facto, quamvis certum sit produci irregularitatem *cc. 12 et 13. Dist. 34.* tamen ex quonam capite ex defectu ne an ex delicto, anceps res est. Ad rem D'Annibale *Summula Th. mor.*

qui *v. 1. § 418.* « hunc, esse irregularem *certo,* bigamum esse « nullo iure constat. Atque ideo non constat utrum haec irre- « gularitas, quae ex defectu esse dicitur, sit ex defectu sacra- « menti ceu tenet sententia longe communior; an ex famae « defectu. Quaestio eo spectat ut sciatur, si adulterium sit oc- « cultum, aut vir uxorem cognoverit inscius adulterii, utrum « cesset irregularitas: quod pro natura cuiusque irregularitatis « prior sententia negat, posterior affirmat. Sed mihi videtur « esse ex delicto; delictum vero, maritum non divertisse; ideo « existimo virum fieri irregularem, si et rea fuerit uxor, et ipse « eam cognoverit sciens quamvis adulterium lateat; secus, etsi « hoc pateat non fieri ».

3°. Tandem tertia, quae recensetur species irregularitatis ex bigamia interpretativa, est, cum quis duo vel plura contraxit matrimonia, quorum alterum vel ambo et omnia invalida sint, et utrumque consummat, plures tenent eum esse irregularem non ex iure aliquo expresso; sed ex *ratione expressa* in iure, i. e. in *C. Nuper de bigam. non ord.,* atque addunt excipe invaliditatem ex *defectu consensus,* qui tamen in foro fori praesertim secuta consummatione non admitteretur vel certe aegerrime.

Sed utrum, addit D'Annib. *l. c.,* sit ex defectu an ex delicto: adeoque utrum cesset, si haec matrimonia coita fuerint b. f. non satis convenit: At Henriquez commentitiam putat irregularitatem huiusmodi. Nec immerito; nam 1°. nititur fictione iuris, et recepta est contra eam universalem iuris regulam, *non praestat impedimentum etc.* atque non licet interpreti illam producere, istam coercere. 2°. Haec irregularitas non *ex iure* depromitur, sed ex ratione iuris deducitur per interpretationem extensivam: atqui alterum a iure canonico, alterum a regulis interpretationis alienum est: et heic est admissum; quippe extensio heic fit in disparatis, et a maiori ad minus. Demum 3°. *verbis c. 11. de Bigam.* vix non manifeste refragatur.

38. Ut de dispensatione aliquid dicamus speciale huius loci, etsi bigamia vera cum ex defectu sit neque baptismo aboleatur, neque religiosa Professione, tamen irregularitas inde contracta *unius* Romani Pontificis dispensatione deleri potest etiam quoad ordines minores et beneficia simplicia *C. 3. dist. 27.*

et c. 13. dist. 34. et Decl. Xysti V. apud S. Alph. Theol. mor. l. VII. n. 452. A similitudinaria Episcopus dispensare potest etiam quoad ordines sacros, cum ea vix bigamia dici possit *c. 1. Qui clerici vel vovent.* ubi dicitur, quod is, qui in diaconatu existens duxerit uxorem, et si, hac dimissa, accedat contritus, absolvatur et peracta poenitentia, si est perfectae vitae et conversationis, Episcopus potest dispensare cum eo, ut exerceat officium diaconatus, et adscendat ad sacerdotium; dummodo bigamia similitudinaria neque verae neque interpretativae aliquid habeat admixtum *c. 4. de Cler. coniug.* ubi Episcopus potest dispensare, si sacerdos contraxit cum virgine; secus, si non cum virgine: vel fuit bigamus, i. e. dum erat saecularis habuit aliam uxorem. Tandem unus Romanus Pontifex dispensare potest ab interpretativa, quae est ex defectu: atque etiam Episcopus ab ea, quae est ex delicto occulto; vel ea, de qua dubitatur utrum ex delicto, an ex defectu dispensare potest. Etiam Regularium Praelatos dispensare ab ea, ex quocumque capite orta, ob privilegium Pauli III. traditum est. *S. Alph. l. c. 455.*

V. EX DEFECTU LENITATIS.

Summarium. — Denique irregularis fit ex defectu lenitatis, qui voluntarie, efficaciter et proxime ad necem vel mutilationem alicuius; etsi in causa iusta; quin ulla adsit culpa; sed auctoritate publica; concurrit per actum ad id natura sua ordinatum.

39. *Declaratur.* Haec est ultima irregularitas, quae contrahi potest etiam sine culpa, ac proin recensetur inter irregularitates ex defectu. α) Clara sunt loca e. g. *cap. fin. Ne clerici vel monachi; Clem. c. un. Homic.; c. Petitio tua de Homic. et c. Praelatis de Homic. in 6. Cf. Schmalzgr. in tit. de Homic.* β) Merito autem Ecclesia voluit hanc procul a suis ministris removeri maculam, quia Clerici sunt ministri incruentae ac coelestis victimae, quae pro suis etiam interfectoribus oravit; atque adeo maxime decet eos esse mites ac mansuetos: unde abstinendum ipsis est a iusta et voluntaria proximi sui nece et mutilatione. Ipsum Summarium exhibet omnes conditiones requisitas, ut ex hoc capite inducatur irregularitas.

Dixi *voluntarie* h. e. ut quis *sponte sua* agat: cum in hoc

maxime consistat defectus lenitatis, quod quis hisce se se ingerat: unde non fiunt irregulares, α) qui bonum vitae suae, vel alia bona tuendi causa aggressorem occidit vel mutilat; β) accusatores vel delatores, si iniuria vel damnum ipsis forte vel suis fuerit illatum, aut inferendi verum periculum immineat; tamen protestando expresse, quod ad vindictam seu poenam sanguinis non intendunt *c. 2. de Hom. in 6.* (nota *ad vindictam,* unde non fiunt irregulares si petant, ut iudex in eos animadvertat *Cf. Suarez de Leg. Disp. 47., 2., 10.*), qui, γ) si omittunt dictam protestationem, fiunt irregulares *Clerici in sacris vel beneficiarii* ex delicto etiam, reliqui ex defectu: δ) non sunt irregulares testes si accesserint compulsi metu vel iusto praecepto *c. 19. et c. ult. de Homic.*

Dixi *efficaciter,* secus non essent vera causa si ita non influerent. Porro hic influxus potest dimanare a causa positive vel negative; quatenus physice vel moraliter influit, *positive* dimanat; *negative,* quatenus ex negligentia alicuius sequatur homicidium vel mutilatio. *Physice* influit e. g. carnifex et qui eum adiuvat; *moraliter* qui mandat, consulit, adiuvat, consensum praebet, e. g. in causa sanguinis procurator fisci, advocatus accusatoris, testis, notarius, iudex et ipse accusator; nisi expresse protestetur se non intendere causam sanguinis: ut negative quis concurrens evadat irregularis, necesse est ut negligentia admittatur ab eo, qui ex officio et iustitia impedire teneatur, non qui ex charitate: unde nimium est asserere, qui ex charitate aegrotum in extremis adiuvant, si forte praeter eorum mentem moriatur, ipsos propter tale officium evadere irregulares *Cf. Schmalz. l. c. n. 214.*

Ex dictis patet ad hanc irregularitatem contrahendam, perinde esse concurrere physice vel moraliter, positive vel negative modo efficaciter influat ita, ut et mors aut mutilatio secuta sit ab ipso, qui criminis auctor aut cooperator existat. Hi porro sunt, uti iam innui, 1) accusatores, testes, advocati, procuratores contra reum, modo sciant agi de iudicio sanguinis; 2) iudices, eorumque assessores, scribae seu tabelliones, qui sententiam dictant vel publicant; 3) lictores, apparitores, qui eum comitantur ad supplicium, quique eum mutilatione, capite plectunt. Huc spectant 4) etiam *Iurati,* qui iudicibus licet

facti aequiparantur. Porro 5) hi omnes recensiti, scilicet quicumque vel processus vel sententiae vel executionis fuerint participes, etc. numquam irregularitatem effugiunt, etsi protestationem emittant, quippe qui sponte funguntur officiis ciusmodi, adeoque nec testes voluntarii quamvis protestando; nisi agatur de malo aliquo maximo vitando etc.

Obiic. malum vitandum est *amissio officii:* atqui lex positiva non obligat cum magno incommodo: Ergo.

Resp. Heic agitur non de irregularitate ex delicto, sed ex defectu, qui non poenam, sed impedimentum ad ordines per se afferet.

Dixi *publica auctoritate,* uti faciunt modo nominati, quia delictum est, si quis privata auctoritate, iniusta de causa, sanguini se immiscet alterius, nisi excuset moderamen inculpatae tutelae. Veteres Theologi falso *hanc* conditionem non *requirebant.*

Dixi *per actum ad id natura sua ordinatum,* scilicet ad necem vel mutilationem in vindictam. Si vero per accidens sequatur praeter intentionem nec in vindictam sed ob fines supra indicatos, praesertim cum protestatione.... irregularis non fiet. Hac de causa medici vel chirurgi, qui ex officio mutilationem vel consulunt vel exequuntur, non fiunt irregulares. Quae ultima verba manifestant rationem huius impedimenti, quia scilicet Ecclesia Christi abhorret a causa seu iudiciis sanguinis.

Hinc solvere est generalem quaestionem an omnes etiam laici fiant irregulares ex illata morte aut mutilatione in bello?

Resp. In *bello iniusto* fiunt irregulares ex delicto perinde quasi participes quotquot ex adverso, eo cornu dimicant, si hostium vel unus occisus aut mutilatus fuerit. Ita *Bened. XIV. not. 101. 8. In bello iusto,* si quidem est defensivum, nemo contrahit irregularitatem, exceptis clericis, imo ne his quidem exceptis, si iussi fuerint pugnare, aut si essent magno in discrimine rerum. Si est *offensivum,* is tantum, qui hostem sua manu occidit, vel mutilat, fit irregularis ex defectu lenitatis; et ne his quidem licet clericus; si cum incurrerit in eum hostis, aliter se tueri nequivit; sed qui dubitat num ipse occiderit vel mutilaverit aliquem, licet multi occisi vel mutilati fuerint non est irregularis. *Cf. d' Annib. l. c. n. 428.*

TITULUS III.

DE REQUISITIS UT QUIS AD ORDINES POSSIT PROMOVERI

Praenotiones

Summarium. — Quid veniat nomine Ordinationis, quid haec ad validitatem exigat tam ex parte ministri, quam ex parte materiae et formae.

40. Expositis iis quae negative ordinationem et ordinandos spectant, accedamus ad ea, quae positive exiguntur ad ordinationem et ordines rite suscipiendos. *Nomine Ordinationis intelligimus collationem ordinum Episcopatu inferiorum.* Quae necessaria sunt cognitu ad duo capita revocari possunt: 1. ad ea quae sunt essentialia, quaeque si omittantur invalidam ordinationem faciunt; 2. ad ea, quae simpliciter praecepta sunt, quaeque si negligantur ordinationem reddunt illicitam.

Porro ad **validitatem** quod spectat, haec necessaria habenda sunt:

I. Quoad **suscipientem** praeter quam quod masculus, idemque baptizatus esse debet, *c. 1. et 3. de Presbyt. non bapt.* intentionem quoque id suscipiendi, quod ab eo suscipi intendit Ecclesia. *S. Cong. Conc. in null ius susceptionis presbyter 26. Dec. 1665. Bened. XIV. de Sacr. Miss. L. 3. c. 10. n. 12. et 13;* dummodo agatur de adulto qui suae rationis potior sit. *Bened. XIV. Const. Eo quamvis § 20. 4. Maii 1745.*

II. Quoad **ministrum** duo sunt, quae ad ordinationis validitatem pertinent: *a*) ut episcopali gradu sit omnino praeditus, si agatur de conferendo Presbyteratu vel Diaconatu, *Can. 3. dist. 5. de Consec.:* si vero de ceteris conferendis ordinibus res sit; ut in presbyterali saltem ordine sit constitutus et indultum simul habeat apostolicum. *Doctores Can. et Theologi communiter. Cf. Fagn. in C. Statuimus de suppl. neglig. Prael. b*) ut intentionem saltem habeat virtualem *(cf. Bened. XIV. de sacr. Mis. L. 3. c. X. n. 9.)* faciendi id, quod facit Ecclesia *Conc. Trid. Sess. VII. Can. XI. arg. prop. XXVIII.* ex damnatis ab *Alex. VIII. Const. Ssmus. Dñus. 7. Decem. 1690.*

III. Quoad **materiam et formam** distinguendum est inter hierarchicos et inter ceteros ordines. *a*) *Quoad hierarchicos,* i. e. quoad Presbyteratum et Diaconatum, cum sub iudice adhuc pendeat Theologorum controversia, utrum impositio manuum tantum, an etiam instrumentorum traditio essentialem eorumdem materiam constituat; in praxi uterque ritus fere et essentialiter habendus est; adeoque si omissus alteruter fuerit, ordinatio sub conditione iteranda est. *Bened. XIV. de Synod. L. 8. c. 10.* ibique *S. Congr. Conc.* — *b*) *Quoad ceteros ordines* traditio instrumentorum sine ulla controversia essentialis materia habetur, proindeque verba, quae a ministro eo in actu proferuntur, essentialem constituere formam, ambigendum non est. *Can. 15. 16. 17. 18. Dist. 23.*

Quae vero in ordinatione simpliciter praecepta sunt, ita ut, si negligantur, non quidem invalidam sed tamen illicitam ordinationem faciant, levioribus quibusdam omissis, ad quaedam legum capita revocabimus. Quas leges circa ordinationem in duas classes dividimus: 1. in communes; 2. in eas, quae propriae sunt maiorum ordinum. De prioribus in hoc tit., de aliis in seqq.

Leges ordinationis communes tres generatim sunt 1. ut minister sit legitimus; 2. ut ordinandus sit idoneus et probatus; 3. ut ordinatio iusto ordine, intervallo, tempore, loco fiat. Prima ad ministrum; secunda ad subiectum; tertia ad actum ordinationis pertinet. Quibus de Ordinationibus Regularium et de poenis in male ordinum conferentes et suscipientes, specialem adiungimus quaestionem. Unde seqq.

I. DE LEGITIMO ORDINATIONIS MINISTRO.

Summarium. — Cum minister legitimus Ordinationis 1) alius ordinarius distinguitur, alius delegatus; 2) ille talis determinatur ratione originis, aut beneficii, aut domicilii, aut familiaritatis; 3) hic vero non potest alienum ordinare subditum sine huius proprii Episcopi dimissoriis.

41. *Declaratur 1^m^.* Quoad ministros hoc proprium est, quod sacri canones iubent, ut non modo habeant potestatem ordinis necessariam ad ordines conferendos, quae si desit invalida

ordinatio est, verum etiam potestatem aliquam iurisdictionis in eos, quos ordinant. Porro haec duplex esse potest, iurisdictio scilicet *ordinaria,* quae adnexa est officio administrandi Ecclesiam, quam ordinator tenet, vel quae profluit ex perpetuo privilegio: *delegata,* quae dimanat ex mandato eius, qui ordinariam potestatem habet. Hinc cum heic inquiratur, qui et quatenus sint legitimi ordinationis ministri, (de poenis enim in fine tituli, ubi etiam et de Regularium Ordinationibus); dico quod *Minister legitimus* duplex distinguitur: 1. Ordinarius seu is, qui in ordinandum ordinariam iurisdictionem habet; 2. Delegatus, qui scilicet potestatem ab Ordinario delegatam in eumdem adeptus est.

Ordinarius autem triplex distinguendus: 1. Romanus Pontifex per totam Ecclesiam; 2. Episcopus proprius eius, qui ordinatur; 3. Ii qui licet non sint Episcopi: tamen habent ex privilegio, ut possint aliquos ordines conferre iis, qui suae iurisdictioni ordinariae subiecti sunt. Porro Romanum Pontificem, utpote Ordinarium totius Ecclesiae, patet habere omnimodam potestatem, atque adeo non modo de omni Ecclesia Romanus Pontifex quemcumque voluerit, potest ordinare *Bened. XIV. Const. In supremo* § *6. 20. Oct. 1756.,* verum etiam honoris causa Apostolicae Sedis, hoc sibi vindicat, ut qui ab eo ordinatus fuerit, promoveri ab alio ad superiores ordines non possit, nisi cum eiusdem Romani Pontificis venia *Cap. Cum in distribuendis, De temp. Ord., Bened. XIV. Const. cit. a* § *3. ad 10.* De iis autem, qui a Romano Pontifice perpetuum privilegium habent conferendi aliquos ordines, quique nuper 3. loco recensiti sunt, addemus aliquid tamquam appendicem 2^ae^. partis.

42. *Declaratur et prob. 2^m^.* Cum generalis Ecclesiae lex sit, ut nonnisi a proprio Episcopo quis possit ordinari, ille autem Episcopus proprius generatim dicitur, cui ordinandus subiectus est, quaeritur qualis habetur Episcopus proprius.

Resp. *Episcopus proprius talis quoad ordinandum habetur quadruplici ratione,* i. e. *originis, domicilii, beneficii, familiaritatis, C. 3. de temp. Ord. in 6., Conc. Trid. sess. XXIII. c. 9. de Ref.* Verum est, quod antiquiori Ecclesiae disciplina, Episcopus proprius ille habebatur, in cuius dioecesi quis esset baptismo ablutus,

plerumque adulta aetate, ita ut tamquam filius spiritualis ab eo reciperet ordines, a quo regenitus esset. Deinde generatim receptum fuit, ut laicus a quolibet Episcopo ordinari posset, et eo ipso in illius Ecclesiae Clero inscribi, ita ut ab eo reliquos reciperet ordines. Sed postea lege Decretalium *in 6. c. Cum nullus 3. de temp. Ord.* prior triplex ratio determinata sic est: « Cum nullus clericum parochiae alienae praeter superioris ipsius licentiam debeat ordinare, superior intelligitur in hoc casu Episcopus de cuius dioecesi est is, qui ad ordines promoveri desiderat, oriundus, seu in cuius dioecesi beneficium obtinet ecclesiasticum, seu habet, licet alibi natus fuerit, domicilium in eadem ». Concilium autem Trid. l. c. addidit 4^m. modum seu rationem familiaritatis: quam ultimam confirmavit etiam atque explicatius proposuit *Innoc. XII. Constit. Speculatores 4. Nov. 1694.*

Episcopus originis, si de *filiis legitimis* agatur, is intelligitur e cuius dioecesi aliquis oriundus est. Oriundum enim dixit Bonif. VIII. non natum; adeoque si quis fortuito, occasione itineris, officii, legationis, mercaturae vel cuiusvis alterius temporalis morae seu permanentiae suorum parentum natus sit, tum quidem non eiusmodi fortuita nativitas sed patris origo spectanda est. Quod si pater tali permanentia sit ibi moratus, ubi natus est filius, ut iure domicilium verum contraxerit, tunc non origo patris, sed filii determinat Episcopum proprium ratione originis. Communiter Episcopus proprius ratione originis simpliciter, habetur, in cuius dioecesi ille, qui ordinari postulat natus est, quae notio admitti potest modo addatur, natus est α) non tamen ex accidenti, aut occasione temporalis morae, quam inibi eius parentes fecerint, *Innoc. XII. Const. cit. § 9.;* β) et dummodo postea pater domicilium non mutaverit; quo casu, si tamdiu clericus ibi habitaverit, ut impedimentum canonicum contrahere potuerit, litteras eius loci Episcopi testimoniales afferre debet. *Innoc. XII. Const. cit. Cf. Girald. Exp. iur. Pont. par. II. Sect. 96.* ubi plures casus expenduntur. Si vero agatur *de illegitimis:* principium est, hos habere Episcopum proprium, qui est Episcopus originis vel domicilii matris: expositi, quorum parentes ignorantur, habent proprium Episcopum loci, ubi reperti vel baptizati sunt, si locus nativitatis non

constet: neophyti proprium habent eius loci Episcopum, in quo baptizantur. *Const. Pauli III. Cupientes 21. Martii 1542.*

Haec originis competentia numquam cessat, si alii tituli Episcopi proprii accedant; seu Episcopus originis numquam desinit esse Episcopus proprius.

Episcopus simpliciter beneficii is appellatur, in cuius dioecesi ordinandus pacifice iam possidet beneficium (etiam manuale et amovibile, *S. C. C. in Pientina Ordinat. 18. Iulii et 8. Augusti 1733*) congruum ad ordinationis titulum constituendum iuxta taxam synodalem dioecesis, in qua beneficium existit, ita ut nulla patrimonii privati accessione supplendum sit. *Innoc. XII. § 6. 7. 8.*

Ut tamen licite adhiberi possit hoc beneficium, pro *titulo ordinationis* necesse est, ut vel conferatur in perpetuum, vel saltem usque ad eam diem, quo beneficium vel patrimonium congruum rite et pacifice ordinandus sit adeptus. *S. C. C. in Ariminensi 3. Iulii 1723.* Hinc alius est *titulus ordinationis,* alius qui determinat Episcopum proprium, de quo nos, et ad quem certo sufficit beneficium *simplex* vel *curatum, liberae collationis* vel *iurispatronatus, coadiutoria* cum futura successione, modo coadiutor, vivente adhuc coadiuto, praebendam congruam iam percipiat, *commenda perpetua,* quae plenam dat beneficii ecclesiastici administrationem.

Cum autem beneficium ecclesiasticum conferri nequeat, nisi clerico, tria colliges postulari antequam Episcopus ordines conferat, scilicet pacificam beneficii possessionem, praescriptam redituum quantitatem et clericatum. Si quis autem Clericus in diversis dioecesibus eiusmodi possideat beneficia, a quolibet illarum Episcopo potest ordines recipere.

Episcopus simpliciter *domicilii* is dicitur, in cuius dioecesi Ordinandus (licet in alia dioecesi natus aut oriundus sit) domicilium proprie dictum iam fixerit, et insuper eiusmodi animum vere ac realiter se habere iureiurando affirmet. *Innoc. XII. Constit. cit. § 11.* « *Subditus autem ratione domicilii ad effectum suscipiendi ordines is dumtaxat censeatur, quilibet alibi natus fuerit illud tamen adeo stabiliter constituerit in alio loco ut vel per decennium saltem in eo habitando, vel maiorem rerum ac bonorum partem cum instructis aedibus in locum huiusmodi transferendo,*

ibique insuper per aliquod considerabile tempus commorando satis superque suum perpetuo ibidem permanendi animum demonstraverit, et nihilominus ulterius utroque casu se vere et realiter animum huiusmodi habere iureiurando affirmet ». Inde patet quasi domicilium non sufficere.

Episcopus simpliciter *familiaritatis* est Episcopus non quidem titularis, sed dioecesim habens, penes quem ordinandus ita vivit, ut intra eius aedes degat, eiusque sumptibus alatur, idque iam per triennium completum. *Conc. Trid. Sess. XXIII. c. 9. de Ref.* « *Episcopus familiarem suum non subditum ordinare non possit nisi per triennium secum fuerit commoratus, et beneficium, quacumque fraude cessante, statim reipsa illi conferat, consuetudine quacumque etiam immemorabili, in contrarium non obstante* » *Conf. et Innoc. XII. Constit. cit.* § *13.* In verbis cit. Trid. intellige α) triennium computandum etiam ante initum episcopatum; et β) beneficium conferendum esse ab Episcopo intra unius mensis spatium. γ) Disputatur autem inter Doctores utrum dictum triennium omnino continuum esse debeat nec ne, *cf. Girald. Expos. Iur. pont. P. II. sect. 97. nota IV.;* sed tenendum videtur saltem moraliter continuum esse oportere.

Sunt autem conditiones, quae a praedictis Episcopis in suis clericis ordinandis servari debent. Communis conditio duplex est: 1. Ut si ratione diversi tituli ad plures Episcopos ordinandus pertineat, a nemine ordinari possit nisi a ceteris, in quorum dioecesi tantum commoratus fuerit, ut impedimentum canonicum potuerit ibidem contrahere, litteras testimoniales non ob aliam causam, sed pro ipsa ordinatione datas, de suis natalibus, aetate, vita et moribus offerat. *Innoc. XII. Const. cit.* § *7. 9. 12.,* ubi *testimoniales litterae* sunt, quae testimonium continent de requisitis ad ordines suscipiendos relate ad Ordinandum. 2. Ut in consueta ordinum collatorum attestatione eiusmodi testimonialium litterarum debeat Episcopus mentionem facere. *Cf. Innoc. XII. Const. cit.* § *8. 9. 10. Girald. l. c. P. II. sect. 97. n. 1.* ubi praedictarum literarum formulam habes.

Propria conditio Episcopi originis ea est, ut Episcopus esse proprius desinat ex quo ordinandus sive eius pater cum quo ille vivat, domicilium proprie dictum omnino alibi fixit. *In-*

noc. XII. Const. cit. § *10.* Propriam Episcopi familiaritatis conditionem esse, ut intra terminum unius mensis a die ordinationis familiari suo, quem ordinavit conferat, fraude cessante, beneficium sufficiens ad eius congruam substentationem, advertimus iam ex *Trid. Sess. XXIII. c. 9. de Ref.; Innoc. XII. Constit. cit.* § *13.*

Addenda nunc est Tertia classis, eorum scilicet qui saltem quoad aliquos ordines haberi debent tamquam legitimi ordinationis ministri: et ii, licet non sint Episcopi, tamen habent ex privilegio, ut eis, qui suae iurisdictioni ordinariae subsunt, aliquos ordines conferre possint. Sunt autem quidam abbates regulares, quibus datum est, ut ordines minores possint conferre; quibusdam tamen sub conditionibus, sive quoad validitatem, sive quoad honestatem ordinationis. Ad validitatem necessarium est ut Abbas sit benedictus, vel si talis non sit, habeat peculiare privilegium ab Apostolica Sede. Ad honestatem haec sunt necessaria, ut Ordinandus sit *regularis* eique Abbati subditus; *non saecularis,* licet quoad cetera subditus sit Abbatis, quoad ordinationem tamen est semper subditus Episcopi, intra cuius dioecesim Abbatia reperitur. Unde tria haec sequuntur:

1°. Ut saecularis licet subditus, aut regularis non subditus, rite ab Abbate ordinetur, necessarium est ut *ordinandus* habeat litteras dimissoriales Episcopi proprii, et ipse Abbas ordinans habeat licentiam ab Episcopo loci eiusmodi ordinationem habendi.

2°. Quod si absque litteris dimissorialibus et absque Episcopi loci venia ordinationem fecerit, eiusmodi ordinatio semper illicita est. Quod autem pertinet ad validitatem, distinguendum est, aut ille Abbas erat benedictus, aut non: si primum ordinatio fuit valida: sin alterum subdistinguendum est; aut habuit privilegium generale ad ea omnia facienda, quae potest Abbas benedictus, aut simpliciter conferendi tonsuram atque ordines minores suis subditis: si primum iterum ordinatio est valida; sin alterum invalida.

3°. Sequitur saeculares, licet quoad cetera Abbati subditos, non modo ab eo ordinari non posse, sed ne dimitti quidem cum suis litteris dimissorialibus ad quemlibet Episcopum. Cum

enim quoad ordinationem sint subditi Episcopo loci, ad eum simpliciter tamquam ad proprium Episcopum remittendi sunt. *Conc. Trid. sess. XXIII. c. X. de Ref.*

43. *Declaratur et prob. 3^m^.* Hucusque de ministro legitimo ordinationis ordinario. Potest autem esse et **minister delegatus.** Eiusmodi autem *ille est, qui cum habeat legitimam et a nullo iure impeditam ordinandi potentiam, recipit facultatem eam exercendi in ordinando, qui sibi non est subditus, ab Episcopo eius proprio, per litteras quae dicuntur dimissoriales.* Hinc **litterae dimissoriales** sunt *delegatio facultatis facta Episcopo alieno conferendi ordines non subdito.* Hae dimissoriae conceduntur quando Episcopus proprius vel est impeditus, quominus ordines conferat, vel subditus, annuente Episcopo, degit extra dioecesim.

Et cum Episcopus ne communicet peccatis alienis concedendo et conferendo ordinationem indigno, nosse debeat ordinandum qualitatibus requisitis non carere, una cum dimissoriis dari debent testimoniales, quae vel adduntur vel inseruntur ipsis dimissorialibus. Unde patet dari posse testimoniales litteras non vero dimissoriales; e. g. a Vicario Capitulari, nondum expleto anno a Sedis vacatione, clericis non subditis degentibus in dioecesi et a proprio Episcopo ad ordines recipiendos dimissis, testimoniales non vero dimissoriales litterae dantur. Ratio autem exhibendi dimissorias traditas ab Episcopo proprio ante ordinationem, est Trid. Conc. et alia iura citt. quibus edicitur, nonnisi ab Episcopo proprio posse quempiam ordinari.

Distinguendae pariter sunt a dictis litteris, eae, quae dicuntur *Commendatitiae;* quaeque ad ordines recipiendos, dantur a Praelato Regulari *Nullius* Clericis saecularibus, licet sint eius subditi. Nam cum Trid. Synodus Abbatibus etiam Nullius facultatem conferendi ordines ademerit relate ad clericos saeculares subditos, illorum litterae neque dimissoriales, neque simpliciter testimoniales dici possunt, hinc commendatitiae appellantur.

Ex dictis patet testimoniales litteras dandas esse non solum ab Episcopo proprio, sed etiam ab iis omnibus Episcopis, in quorum dioecesi ordinandus tanto tempore moratus sit, ut canonicum potuerit contrahere impedimentum.

Animadvertendum tandem est litteras *dimissorias et gratis dandas* esse, nec expirare morte concedentis, aut cessatione eius iurisdictionis, nisi re integra aut a concedente aut ab eius successore fuerint revocatae. Generatim cum mores ordinandi mutari possint, et aliquo adhuc irretiri impedimento, litterae dimissoriae pro certo definito tempore conceduntur, intra quod ordines suscipi debeant.

II. DE EXAMINE ORDINANDI.

Summarium. — Ut ordinandus 1) idoneus et probatus reputetur, 2) eamque nominatim aetatem et qualitatem seu scientiam et pietatem habere, quam ss. canones exigunt, dignoscatur; 3) varium instituitur examen seu scrutinium.

44. *Declaratur et prob. 1m.* Tria sunt declaranda et probanda: 1m. ordinandus debet reperiri idoneus et probatus; 2m. praesertim aetatem et qualitatem seu scientiam et pietatem habens ad normam ss. canonum; 3m. quomodo ad hoc varium instituendum sit examen. Ad 1m. quod attinet ordinandus debet esse α) **idoneus**, i. e. expers omnium impedimentorum ad ordines suscipiendos, de quibus egimus in tit. *de irregularitatibus;* β) **probatus**; ita scilicet ut facta inquisitione de natalibus, de persona, de aetate, de moribus ac fide, de doctrina, certis constet argumentis, 1. nullo vitio aut defectu eum esse indignum; 2. necessaria habere requisita, quibus censeatur dignus, qui ordinetur.

Porro necessarium esse hanc probationem patet ex natura ipsa sublimis gradus, quem ordinandus scandere debet; ornatus sit scilicet iis qualitatibus, qua certe a nativitate congenitas non habuit: sed magno labore adeptus sit. Iure positivo constitutum pariter est, ut nullus ordinetur clericus, nisi probatus fuerit vel Episcoporum examine, vel populi testimonio, *C. 2. dist. 24.* Quanto autem clericale munus est sublimius, tanto exactior sit oportet personarum inquisitio, *Can. 5. dist. 51.*

Haec porro inquisitio facienda est non solum in conferendo presbyteratu, sed et in admissione ad infimum clericatus gradum. « Vires regni in prima delectorum examinatione consistunt » *Vegetius de re milit. l. 1. c. 7.*

De hac re totus est *tit. XII. l. 1. de scrutinio in ordine faciendo XI. de temp. ord. et qualit. ord. XIV. De aetate et qualit. et ordin. praefic. Conc. Trid. Sess. 23.*

45. *Declaratur 2m*. Nominatim prae oculis haberi debent **quae aetas et qualitas** a ss. canonibus, praesertim a Conc. Trid. exiguntur.

I. **Aetas** varia est iuxta varios gradus. Et 1°. quoad primam tonsuram, si spectetur modus loquendi *Conc. Trid. Sess. cit. c. 4.* videtur supponere aetatem ab infantia egressam seu septennio maiorem cum ait: *Prima tonsura non initientur qui sacramentum confirmationis non susceperint, quique legere et scribere nesciant et fidei rudimenta edocti non fuerint.*

2°. *Ad minores* autem ordines haec, et maior; cum linguam latinam callere debeant clerici in hisce constituendi.

3°. Lex autem circa aetatem *ad maiores ordines* iure Decretalium vigens confirmatur, *l. c. Trid. c. 12.* « Nullus in posterum ad subdiaconatus ordinem ante vigesimum secundum, ad Diaconatus ante vigesimum tertium, ad Presbyteratus ante vigesimum quintum aetatis suae annum promoveatur. « Horum autem Ordinum annus indicatus sufficit ut sit reapse incoeptus, sed non completus ».

II. **Quoad qualitatem pietas et scientia requiritur,** quae nempe sit proportionata ordinibus suscipiendis. Quoad *pietatem* et *virtutes* notant Doctores praesertim α) opus esse recta intentione: non possunt enim licite recipere ordines sine vocatione divina et animo clericandi; β) summa porro clericalium virtutum in eo est, quod sacerdos apparere et esse debet forma factus gregis ex animo, totius forma iustitiae, exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate.

Dixi *a*) *in integritate,* quo spectant innumerae leges de vita et honestate Clericorum, *cf. h. t. l. 3. Decr. Trid. Sess. XXIII. c. 14. de Ref. et hi sint.... ita pietate ac castis moribus conspicui, ut praeclarum bonorum operum exemplum et vitae monita ab eis possint expectari; b*) *in gravitate:* hinc arcentur a minoribus ordinibus infantes; a maioribus qui respective 22. 23. 25. annum nondum attigerint; ab episcopatu, qui 30. nondum excesserint. Hinc confirmati et exerciti in ordinibus anteceden-

tibus. Hac de causa D. Paulus Titum suum et clericos omnes exhortatur, ut in conscientia pura, ac sine crimine, nemini dent ullam offensionem, ne vituperetur ministerium eorum, de quibus scriptum est in sacro eloquio: *vos estis presbyteri in populo Dei, et ex vobis pendet anima illorum. Iudith. c. 8.* Quaenam virtutes cordi Clericorum sint inserendae, quaeque ad has acquirendas exercendasque conducant in specie, praescripserunt iam Concilia tam generalia, quam particularia; et quae nil aliud sunt, nisi applicationes eorum, quae tanto commendabat opere S. Paulus Tito, Philemoni, Timotheo, aliisque. Inter subsidia praesertim recensenda veniunt *oratio* et *studium.*

Scientia quoque et *doctrina* valde ornati Clerici sint: hinc generatim ministros suos ad literarum studium, statui clericali congruum, acriter incitare numquam destitit S. Mater Ecclesia. In unius Gratiani Decreto extant tres Distinctiones a 36-38; quae omnes de literarum studio clericis necessario tractant, et in quibus tum necessitas animum literis excolendi exprimitur, tum regulae pro studio rite instituendo traduntur. In primisque ss. literarum et canonum studium iniungitur clericis, Theologiam praesertim moralem callere, eorum omnium cognitionem scientificam acquirere, quae dogmata continent, atque iure tam divino quam canonico innituntur. Heic in memoriam revocandum quod Canus, Pignatellus aliique praeclare dixerunt « indignum Theologi nomine, qui ius canonicum ignoret ». In specie, quae ad minimum exigenda sit pro variis ordinibus mox dicemus.

46. *Declaratur et prob. 3^m^.* **De examine seu scrutinio in ordine faciendo.** Cf. Doctores in h. t. Triplex examen distinguitur: I^m^. Examen continetur *Trid. Sess. 23. c. 5. de Ref.* « *Ad minores ordines promovendi bonum a parocho et a magistro scholae, in qua ducantur, testimonium habeant. Hi vero, qui ad singulos maiores erunt assumendi, per mensem ante ordinationem Episcopum adeant, qui parocho, aut alteri, cui magis expedire videbitur, committat ut nominibus ac desiderio eorum qui volent promoveri publice in Ecclesia propositis: de ipsorum ordinandorum natalibus, aetate, moribus et vita a fide dignis diligenter inquirat, et literas testimoniales ipsam inquisitionem factam continentes, ad ipsum Episcopum quamprimum transmittat* ».

II[m]. Examen continetur *c. 7. Trid. Sess. cit.* « *S. Synodus antiquorum canonum vestigiis inhaerendo, decernit ut quando Episcopus ordinationem facere disposuerit, omnes qui ad sacrum ministerium accedere voluerint, feria IV. ante ipsam ordinationem, vel quando Episcopo videbitur ad civitatem evocentur. Episcopus autem sacerdotibus et aliis prudentibus viris, peritis divinae legis ac in ecclesiasticis sanctionibus exercitatis, sibi adscitis, et ordinandorum genus, personam, aetatem, institutionem, mores, doctrinam et fidem diligenter investiget et examinet* ».

III[m]. Examen eruitur ex Pontificali romano, scilicet ut in actu ipso ordinationis novum fiat examen, interrogato Archidiacono, an in Diaconum vel in Presbyterum ordinandus dignus esse censeatur.

Ex quibus iam patet 1) quae sit materia, circa quam hoc examen versari debet, 2) qua ratione eiusmodi investigatio et examen perfici debet. Nimirum :

Materia examinis versatur 1. circa natales, quibus parentibus natus sit, quo loco, an baptizatus sit ; 2. circa personam an sit confirmatus, an irregularitate aliqua, aut censura sit impeditus ; 3. circa aetatem, an illam habeat, quae in ordine, de quo agitur, requiritur ; 4. de moribus atque de fide : an quidquam eidem de hac materia opponi possit ; 5. de doctrina quae proprie sit ordinis, qui ab eo postulatur.

Quod pertinet ad alterum seu *qua ratione eiusmodi investigatio fieri debeat,* ea leges habet vel communes vel proprias singulorum ordinum. *Communis lex est,* ut feria IV. ante ordinationem vel alia die opportuna, Episcopus, accitis aliis sacerdotibus, aliisque prudentibus ac peritis viris explorare debeat doctrinam ordinandorum ; an eam habeant, quae in ordine, de quo agitur, requiritur : i. e.

Pro tonsura : An edocti sint in rudimentis fidei, in legendo atque scribendo, *Conc. Trid. Sess. 23. c. 4. de Ref.*

Pro minoribus ordinibus: An latinam linguam intelligant, *Conc. Trid. Sess. 23. c. XI. de Ref.*

Pro subdiaconatu et diaconatu : An litterarum peritia polleant et earum rerum, quae ad exercendum ordinem pertinent, *Conc. Trid. l. c. c. 13.*

Pro Presbyteratu: An eiusmodi habeant scientiam, quae ad

sacramenta rite administranda, et ad docendum populum, quae necessaria sunt, sufficiat *ibid. Cap. 14.*; ac proinde an Theologiae saltem moralis competenter periti sint, *Bened. XIII. Const. In supremo 23. Sept. 1723.*

Quae quidem ita constituta sunt a Concilio Tridentino, ut infra eiusmodi doctrinae gradus neminem liceat ordinare, integrum tamen sit Episcopis aliquid amplius, prudentem intra modum exigere, quod passim fieri videmus: adde quod etiam delegatus potest, licet iam examinati sint a delegante.

Leges propriae singulorum ordinum, praeter praedictam, quae est communis, eiusmodi sunt:

α) Quoad minores ordines. Ut ordinandus afferat litteras testimoniales parochi de iis, quae pertinent ad natales, aetatem ac mores, et litteras testimoniales magistri quoad doctrinam.

β) Quoad ordines maiores in genere: 1°. ut per mensem ante ordinationem, ordinandus debeat Episcopum adire; et Episcopus instituere inquisitionem debeat circa ea omnia, quae dicta sunt, sive per parochum, sive per alium, quem magis idoneum existimaverit, quique non modo per se, verum etiam per denunciationes publicas in Ecclesia factas, seu propositis in Ecclesia nominibus ac desiderio eorum, qui ordinari volunt, praedictam inquisitionem exequi debet ac deinceps litteras suas testimoniales ad Episcopum transmittit. 2°. Ut feria IV. ante, vel alia die opportuna ante ordinationem Episcopus ipse accitis aliis sacerdotibus, aliisque prudentibus ac peritis viris . . . circa eadem omnia inquirat ac necessarias litteras testimoniales exigat.

γ) Quoad diaconatum et presbyteratum lex particularis est, ut in actu ipso ordinationis novum fiat scrutinium, interrogato publice archidiacono, an eos dignos esse sciat.

Quod tamen in genere fere pro forma habetur; nihilominus si sciat aliquem ex ordinandis laborare occulto aliquo defectu, tum si spem habeat, quod ordinandus monitus, recessurus sit ab ordinatione, ante ordinationem eum monere debet. Si spes eiusmodi ei non sit, optime faciet si in eo casu non accedet ad ordinationem, et curet ut alius, cui scilicet ignotus eiusmodi defectus sit, pro se substituatur. Si neque

hoc quidem potest, neque probare iuridice illum defectum possit, respondeat pro forma tamquam persona publica, cui scilicet publice nihil notum est.

III. DE IPSA RITE PERAGENDA ORDINATIONE.

Summarium. — Ad ipsam s. Ordinationem rite peragendam quod spectat, tria advertenda 1. interstitia; 2. successio in ordinibus suscipiendis ita, ut a minori ad maiorem ascendatur, nullo ordine per saltum intermisso; 3. collatio facienda stato tempore et loco; 4. praemissis ss. Spiritualibus Exercitiis, scilicet ut sancte suscipiantur.

47. *Declaratur et prob. 1^m.* **Interstitia** sunt usu et lege antiquissima servanda ita, ut ab acolythatu, subdiaconatu, et diaconatu, h. e. in singulis decurrat spatium unius anni ecclesiastici vel civilis: sed Episcopo permittitur ab eis dispensare, *Trid. Sess. 23. c. 11. 13. 14. 16.* dummodo ne eidem, eodem die ex praxi, duos ordines, unum minorem, alterum maiorem, vel duobus continuis diebus duos maiores conferat. Iustum pariter intervallum quoad tonsuram et minores ordines inter se, arbitrio Episcopi intercedat oportet, ita ut eidem ne prohibitum quidem sit eadem in ordinatione tonsuram omnesque ordines minores alicui conferre.

48. *Demonstratur 2^m.* **Ne fiat ordinatio per saltum** seu nequis promoveatur ad ordinem altiorem, non recepto prius inferiori, vetat *Cap. un. de Clerico per saltum promoto; Trid. Sess. 23. c. 11. de Ref.* quamvis alia fuerit Ecclesiae veteris disciplina quod testatur s. Th. *suppl. q. XXXV. a. 3.* « In pri« mitiva Ecclesia aliqui ordinabantur in presbyteros, qui prius « inferiores ordines non susceperant, et tamen poterant omnia « quae inferiores ordines possunt; quia inferior potestas com« prehenditur in superiori sicut sensus in intellectu, ducatus « in regno ». Nec mirum: necessitas enim erat pro numero fidelium, ut praetermissis inferioribus ordinibus, statim in presbyteros, pauci qui digni erant, ordinarentur. Valida autem semper fuit, et est ordinatio seu collatio cuiuscumque ordinis (excepto Episcopatu, recepto ante presbyteratum: nam huius ille est complementum et perfectio); licet quis eo ipso su-

spensionem incurrat *Trid. Sess. 23. c. 14. de Ref.* Hac suspensione irretitus, qui per saltum promovetur, contrahit etiam irregularitatem, a qua eum solvet unus Romanus Pontifex, licet Episcopus possit ipsum, peracta poenitentia, a suspensione dispensare, suppletis ordinibus omissis.

49. *Probatur 3^m.* **Collatio fieri debet stato tempore et loco.**

a) Suo tempore. Tonsura quavis die et hora conferri potest. Minores festis diebus praeceptis in choro et in foro conferendi sunt: decet autem ut id fiat in missa. Nonnisi autem infra missam conferendi sunt omnes ordines maiores, sabbatis quatuor temporum et ante dominicas Passionis et Paschatis: quibus temporibus ieiunandum est. Episcopatus tandem diebus dominicis vel natalitiis Apostolorum hora diei tertia, *S. R. C. 23. Mai. 1836. et c. 3. de Temp. Ordin.*

b) Iusto loco, i. e. quoad tonsuram quolibet decenti loco. Quoad *ordines minores* etiam in domo Episcopali vel alio honesto loco. Quoad *maiores,* saltem regulariter in Ecclesia Cathedrali vel alia dioecesis digniore Ecclesia.

Animadvertendum denique est, legem esse utique inter unum et alterum maiorum ordinum spatium unius anni interponendum: sed id debere intelligi *nisi ex causa necessitatis vel utilitatis Ecclesiae Episcopo secus videatur,* qui tamen numquam poterit ita tempus breviare, ut extra consuetos seu praescriptos dies ordinationis, aliquem e sacris Ordinibus conferat: unde duo notanda sunt: 1. Extra tempora necessaria sit venia Sedis Apostolicae; 2. quocumque in casu, concurrat oportet iusta causa i. e. vel necessitatis vel utilitatis Ecclesiae: *quocumque,* inquam, *in casu,* ita, ut impetrata etiam venia a Sede Apostolica, ut ordinari quis possit extra tempora, Episcopus saltem *possit* recusare, si ita e re existimet. Necessitas autem intelligitur cum omnino desunt, utilitas cum minus idonei habentur ministri.

50. *Probatur 4^m.* Ex legibus propriis maiorum ordinum intelligi cum proportione haec pars debet etiam de minoribus **praemittenda** scilicet **spiritualia exercitia.** Cum ad eos maxime pertineat administratio sacramentorum, plebisque directio sive quia actu exercere haec debent, sive quia ad ea

proxime accedunt; hinc peculiares leges de illis datae sunt: 1. ut sancte suscipiantur; 2. ut libere sancteque exerceantur. Ut sancte suscipiantur, indictum est a Clem. XI. in suis litteris encyclicis ad Italiae Episcopos 1. Febr. 1710, ut quicumque ad sacros ordines accessurus est, praemittat decem diebus continuis exercitia spiritualia. Ad hoc vero ut libere sancteque exerceantur, duae saluberrimae leges constitutae sunt: 1ª. quam dicunt *tituli* ordinationis; 2ª. caelibatus. Sed de his infra.

IV. DE ORDINATIONIBUS REGULARIUM.

Summarium. — Ex Bened. XIV. Const. *Impositi nobis 27. Febr. 1747.* **quoad Regulares tamquam 1) proprius ordinationis exhibetur Episcopus quilibet antistes, communionem habens cum Sede Apostolica, pro habentibus privilegium; et pro hoc carentibus est Episcopus in cuius Dioecesi situm est eorum monasterium; 2) titulus ordinationis est religiosa paupertas, et superior regularis is est, qui dimissorias dare debet.**

51. *Declaratur et prob. 1ᵐ.* Norma in hac materia omnino sequenda est *Constit. cit. Bened. XIV.* in qua, additis et ipse novis praescriptionibus, leges a praedecessoribus suis Greg. XIII., Sixto V., Clemente VIII., Innoc. XIII., latas confirmat. Iamvero iuxta hanc Const. ad **Episcopum proprium Regularium quod spectat,** vel agitur de veris religiosis ordinibus, qui nempe vota habent solemnia, vel de Institutis votorum simplicium. Si de secundis agitur, hi nisi speciale habent privilegium apostolicum, ad ordines quod spectat, iure communi reguntur. Si de primis agitur, distinguendum iterum est: vel hi privilegio gaudent recipiendi ordines a quolibet Episcopo cum Apostolica Sede communionem habente, vel non.

Si primum tunc Regulares ordinandi dimissorias litteras ad ordines recipiendos habent a suis Praelatis regularibus, et hae litterae dirigi possunt ad quemlibet Episcopum. Sed ut hi gaudeant eiusmodi privilegio, necesse est 1. ut sit concessum, vel confirmatum *in forma speciali* post Concilium Trid. quod *Sess. 23. c. 10. de Refor.* haec omnia sustulit privilegia; 2. ut

datum sit Regularium Ordini *directe* et non per *communicationem*.

Sin alterum, tunc statuitur 1. ut horum Regularium Episcopus proprius non sit Episcopus originis, sed ille, in cuius dioecesi situm est monasterium aut Domus religiosa: atque adeo 2. ut ad hunc solum litterae dimissoriae a superiore dari debeant, ab eoque ordines recipere teneantur Regulares. 3. Quod si hic Episcopus sit legitime impeditus, poterit tunc superior Regularis ad alium Episcopum dare dimissorias una cum testimonio curiae episcopalis dioecesanae de existentia impedimenti, quominus Episcopus proprius ordines conferat.

52. *Declaratur 2^m^.* **Ad Titulum ordinationis** quod spectat **pro regularibus,** ii pariter communi iure tenentur, de quo infra, si res est de Congregationibus Regularibus *votorum simplicium;* nisi a Sede Apostolica peculiare habeant privilegium, Regulares autem proprie dicti titulo *religiosae* paupertatis ordinantur. Ipsi enim, abdicata rerum omnium proprietate, vitam communem degunt eamque ex fidelium oblationibus aliisque mediis ab Apostolica Sede probatis, tueri possunt.

V. DE POENIS IN MALE ORDINATOS HORUMQUE ORDINANTES.

Summarium. — Suspensionem tandem Romano Pontifici reservatam incurrunt 1. Ordinantes Clericos (praeter quam solemniter professos) absque titulo: aut subditum alienum vel suum absque necessariis dimissorialibus vel testimonialibus; 2. Ordinatos quod spectat, incurrunt Religiosi eiecti extra Religionem degentes, aut ordinati ab Episcopo nominatim excommunicato vel interdicto, vel suspenso vel ab haeretico et schismatico notorio; et 3. tandem clerici seu exteri Romae commorantes aut suburbicarii recipientes ordines contra Edicta Card. Urbis Vicarii.

53. *Declaratur 1^m^.* Summarium tres habet partes, quarum 1. **quamnam incurrant poenam male ordinantes;** 2. **male ordinati;** 3. speciatim **clerici exteri Romae commorantes** indicat. Haec 1. pars est bimembris:

a) Nam in Bulla Pii IX. *Apostolicae Sedis* n. III. suspensionem per triennium a collatione ordinum incurrunt **ordinantes**

aliquem absque titulo beneficii vel patrimonii vel paupertatis solemniter professae cum pacto ut ordinatus non petat ab ipsis alimenta, *cf. et Trid. Sess. 21. c. 2. de Ref.* Dixi etiam *absque titulo paupertatis* solemniter professae, quo in casu suspensio est dumtaxat per annum a collatione ordinum prout verba sub n. IV. dicunt aperte *suspensionem per annum a collatione ordinum ipso iure incurrit, qui accepto casu legitimi privilegii, ordinem sacrum contulerit absque titulo beneficii vel patrimonii clerico in aliqua Congregatione viventi, in qua solemnis professio non omittitur, vel etiam religioso nondum professo.*

b) Perspicua etiam sunt verba sub n. III. quibus edicitur suspensionem per annum ab ordinum collatione ipso iure incurrere Ordinantes alienum subditum, etiam sub praetextu *beneficii statim conferendi,* aut *iam collati,* sed *minime sufficientis,* absque eius Episcopi litteris *dimissorialibus,* vel etiam subditum *proprium,* quique alibi tanto tempore moratus sit, ut impedimentum canonicum contrahere ibi potuerit absque illius loci Ordinarii litteris testimonialibus. Unde non solum Episcopi originis et domicilii testimoniales requiruntur, prout exigit *Innoc. XII. Const. Speculatores n. IV. et V.* sed **haec** *Pii IX. Constit. Apost. Sedis* iubet fieri etiam testimoniales a quolibet alio Episcopo, in cuius dioec. ordinandus tamdiu degit, ut ibi canonicum potuerit contrahere impedimentum e. g. semestre est sufficiens, ut quis status liberi testimonium exhibere teneatur.

54. *Declaratur et prob. 2^m.* **Quoad ordinatos.** Hi autem vel bene fuerunt vel male ordinati; quoad primos recensentur sub n. V. *eiecti tantum, Religiosi et extra Religionem degentes,* qui, cum hoc ipso facto, suae ordinationis titulo atque Ecclesia, cui adscripti sint, careant, suspensionem perpetuam ab exercitio ordinum ipso iure incurrunt. Dixi *eiectos tantum,* non apostatas, non fugitivos, quia ordini regulari hos ad claustra etiam per brachium saeculare revocandi, ibique antequam ipsos eiiciat, puniendi ius inest. Attamen ut quis huius numeri suspensionem incurrat: 1. debet esse solemniter professus; 2. vere eiectus et extra Religionem degens; 3. *iuste* eiectus sive ex iusta causa, et servato ordine iuris.

Quoad secundos i. e. male ordinatos ipsa *Constit. Apost.*

Sedis sub. n. VI. distinguit inter suscipientes male ordines, scilicet vel cum bona vel cum mala fide: et varia est poena pro vario statu bonae vel malae fidei: si quis *mala* i. e. si *praesumpserit* ordinem recipere ab excommunicato.... perpetuam incurrit suspensionem: sin *bona* quoad Episcopus dispensaverit, ab ordinis exercitio prohibetur. Insuper requiritur ad hanc suspensionem incurrendam, ut quis ab indicatis in summario valide fuerit ordinatus.

55. *Declaratur et prob. 3^m.* Haec pars duobus pariter constat membris, quorum primum **clericos non suburbicarios,** alterum **suburbicarios** respicit. Quoad priores lex generalis quidem et indubia prorsus, quod qui litteras dimissorias a suis Episcopis ad ordines ineundos acceperint, ordinari possint a quovis Antistite cum Sede Apostolica gratiam et communionem habente, restringitur quadamtenus pro clericis saecularibus exteris non suburbicariis. Nam iis, qui huiusmodi literas obtinentes, si Romam venerint, ibique habitent et saltem per quatuor menses moram traxerint, ibique adhuc commorari velint, interdictum est sub poena suspensionis extra urbem ordines recipere absque licentia Card. Urbis Vicarii; vel absque praevio examine coram eodem peracto, praeterquam a proprio Episcopo, imo neque ab hoc iis conferri possunt ordines, si in eo examine dicti Ordinandi fuerint reiecti.

Quoad posteriores seu clericos suburbicarios, ipsis vetat Constitutio nostra, si a suis Episcopis non ordinentur, a quovis alio praeterquam a Card. Urbis Vicario, nec nisi praemissis spiritualibus exercitiis ordinari. Episcopi autem hos clericos sive suburbicarios sive non suburbicarios Ordinantes incurrunt suspensionem ab usu Pontificalium per annum.

Et quoniam circa finem Const. *Apostolicae Sedis* suspensiones quoque innovat Pius IX, quas Trid. directe pronuntiavit, praestat heic subiicere suspensos ipso iure directo Tridentini quoad ordinem iuxta recensionem Card. D'Annib. in Constit. *Apostolicae Sedis*. Itaque ex Trid. directe pronuntiantur suspensi quoad ordines, ordinatus vel in minoribus 1. ab alieno Episcopo sine testimonialibus *Trid. Sess. XXIII. c. 8. de Ref.* vel dimissoriis Episcopi sui *Sess. XIV. de Ref. c. 2.* vel 2. in maioribus cum dimissoriis Vicarii Capitularis, non

arctati, infra annum *Sess. VII. 10. et XXIII. 10. de Ref.;* vel 3. a suo in aliena Dioecesi *Sess. VI. 5.* incurrunt suspensionem; nempe ordinati ab ordine suscepto in 1. et 2. casu ad beneplacitum proprii Ordinarii, in 3. simpliciter. Ordinantes vero in 2. a collatione Ordinum per annum, in 1. et 3. ab exercitio pontificalium. Insuper *Ordinati per saltum* suspensi sunt ab exercitio Ordinis suscepti quoad proprio Episcopo videbitur expedire *Sess. XXIII. de Refor. et Sess. XIV.* Demum in *Ordinatos* sine titulo, si deceperint ordinantem *utique* suspensionis ab Ordine suscepto poena lata prius erat in *CC. 1. 2. Dist. 70.* et *a Trid.* tantum *innovata,* hodie abrogata censetur ex Constit. *Apostolicae Sedis:* unde nulla poena tenet Clericum ordinatum sine titulo vel cum titulo ficto; nec eum, qui post ordinationem titulum amisit, adeoque nullam, si celebret, irregularitatem incurrit; secus ac vulgo existimatur.

TITULUS IV.

DE CLERICIS PRIMAE TONSURAE.

I. DE ORIGINE PRIMAE TONSURAE.

Tonsura a tonsa capitis coma nomen habet; de tonsura heic quaeruntur praesertim quatuor: scilicet I) origo et vices; II) tum notio ac definitio; III) dein requisita; IV) tandem effectus.

Summarium — Origo iam ab Apostolis et nominatim a S. Petro adsignatur iuxta plures; sed quamvis apostolorum aetati referenda sit tonsura, si spectetur *a)* **fundamentum et modus generalis; tamen apodictice ex historia probari nequit, ritum clericalis tonsurae seu coronae, qui nunc obtinet,** *b)* **ab Apostolorum immediata institutione prodiisse;** *c)* **illud tamen certum videtur talem ritum alicubi saec. IV. invaluisse;** *d)* **saec. vero VI. et VII. ubique receptum fuisse.**

56. I. *Originem primae tonsurae* ait P. Zech. § 107. deducere solent ab ipsis Apostolis. Facile hoc admitti posse censeo, si attendamus ipsam deputationem ad cultum divinum, sive una

cum alio quodam ordine, sive partim administratam: quod ultimum tamen vix consuetum fuit primis saeculis.

Rationes, quae possent afferri ad formalem et immediatam institutionem ab Apostolis sunt: 1) Testimonium quorumdam PP. post saeculum IV. scribentium. 2) Consuetudo generalis repetendi ab Apostolis originem rituum ecclesiasticorum, temporis immemorabilis.....: 3) praesertim cum res ipsa cohaereat indoli ecclesiasticae disciplinae.

Nominatim *quod a S. Petro origo* iuxta plures repetenda sit, suaderi posset per ipsius Apostolorum Principis exemplum. « Neque ob id *(Beda Hist. eccles. Angl. l. 5. c. 22.)* tantum « in coronam attondemur, quia attonsus est Petrus, sed quia « Petrus in memoriam Dominicae passionis attonsus est ». Unde tonsura dicta est S. Petri clericalis corona. At haec vi apodicticae probationis carent. Quidquid sit, hoc signum clericalis tonsurae, quod nunc obtinet extrinsece delatum non potuit verosimiliter esse omnibus clericis commune propter ethnicorum insectationes nisi a saec. IV. deinceps.....

II. Attamen si spectetur *fundamentum* et *modus generalis tonsionis*, nil prohibet quominus ab Apostolis repetatur, imo Christi et ipsorum institutioni tribuendus.

Fundamentum habetur in distinctione personarum in clericos et laicos, quae est iuris humani et divini. Unde aliquis ritus sequitur initiationis in ordine clericali, et signo externo manifestatus quantum temporis difficultas pateretur ad hoc, ut clerici a piis laicis dignoscerentur.

Modus generalis est modestia externa, quam sicut generatim in corporis habitu, ita etiam in coma clerici ratione sui status adhibuerint. Hanc porro modestiam externam, si viri omnes fideles servare debebant ex Apost. *1. Cor. XI. 14. 15.* a fortiori clerici. Imo illis etiam primis Ecclesia temporibus Clericos a laicis se distinxisse per maiorem, sicut vestibus, sic et in capillis tondendis, decentiam, atque modestiam. In summa haec dici possunt ex Auctoribus infra citandis: « Quoad tonsuram clericalem iam ab initio Ecclesiae usurpatum est, ut clerici comam non nutrirent, sed brevem et modestam gererent patentibus auribus, quod et fidelibus commune erat: deinceps cum sine periculo in publicum prodire licuit tonso pressius capite,

inferius circuli coronam ex capillis relinquebant Clerici *(Conc. Toletanum IV. c. 41.; Beda Hist. Anglor. l. IV. c. 1.)* vel etiam, praeter haec, verticem capitis in formam circuli radebant. Tonsura autem vel corona simul cum primo ordine suscipiebatur: at circa an. 700, ut putat Marinus, usu induci coeptum est, ut sola tonsurae caeremonia quis in Clerum adoptaretur et sic ea dari coepta est seorsim ante alios ordines *Cf. Morin. P. III. Ex. 15.; Thomass. P. 1. l. 2. C. 37.; S. Thom. in IV. D. 24. q. 3. a. 1.*

57. III. « *Attonso capite auribus patentibus* ». Thomass. ex Romano Pontifice Aniceto. Modus magis determinatus est in signo aliquo exteriori omnibus clericis communi, quo a laicis distinguerentur etiam palam, facta praesertim Ecclesiae pace, qui modus iam a saec. IV. apparet esse tonsura instar coronae, quam certo Monachi gestabant, Clerici *alicubi*. Coronam diximus gestasse et S. Petrum.

IV. Certum est *usum, qui nunc obtinet gestandi habitum et tonsuram,* communem factum esse *saec. VI. et VII.* ut ex pluribus illius aetatis monumentis constat.

Hinc Ecclesiae sanctiones, ut idem servaretur semper ab omnibus sub ingressu in ordinem clericorum, imo ut signum ceu ritus initiationis clericatus conferretur.

V. *Unde prima tonsura est s. caeremonia qua qui insignitur, Clericorum numero adscribitur, praeparatur ad ordines, et fit ad beneficia ecclesiastica idoneus.* Et merito: α) si cingulo enim donabatur et solemni ritu in numerum militum referebatur qui privilegiis militaribus volebat gaudere; quanto magis spirituales milites..... β) Si Philosophorum pallium non sine solemni initiatione gestandum Athenis concedebatur; quanto magis decebat ut illi, qui a negotiis saecularibus seiungendi, cultui divino consecrandi essent ac privilegiis clericalibus donandi.... solemni quadam caeremonia initiarentur?

γ) Certo sub initio clericatus fit prima separatio personarum a laicis: iamvero si Dominus in veteri Test. praecepit, ut solemniter fieret separatio Levitarum a reliquo populo dicens Moysi « *Statues Levitas in conspectu Aaron..... et consecrabis oblatos Domino ac separabis de medio filiorum Israel, ut sint mei. Et postea ingredientur tabernaculum foederis ut serviant mihi* » *(Numer VIII. 13.);* quanto ergo solemnius in N. T.?

Separabis *ut sint mei:* en stadium simpliciter tonsurati..... Et postea ingredientur tabernaculum.... en stadium alterius clerici minoribus vel maioribus ordinibus constituti: hinc plus minus propius ingredientur in tabernaculum Domini ad altare Dei.

II. NOTIO – REQUISITA – EFFECTUS TONSURAE.

Summarium. — Hinc notio intelligitur, requisita et effectus tonsurae, quae ex Trid. *Sess. 23. cap. 4. de Ref.* **definitur " caeremonia seu ritus ecclesiasticus, quo fidelis per tonsionem capillorum et superpellicei traditionem clericali coetui initiatur, ad ecclesiasticos ordines disponitur, atque aptus fit ad Clericorum beneficiis et privilegiis fruendum „.**

58. *Declaratur.* I. Ex dictis profluit **definitio** vel potius descriptio tonsurae « *Exterior quidam ritus seu caeremonia ecclesiastica, qua fidelis iam confirmatus per tonsionem capillorum vestisque clericalis traditionem divino servitio addicitur in ecclesiasticis ministeriis et ad minores ordines suscipiendos disponitur* ». *C. Duo sunt, c. Cleros, Dist. 22.; c. Cum contingat, de aet. et qual. Ord.*

Porro in hac descriptione potius, quam definitione dicitur α) *ritus* seu caeremonia ad eliminandam sententiam, quod tonsura sit ordo et Sacramentum; β) *fidelis iam confirmatus,* ut indicetur praecipuum requisitum esse baptismum ad validitatem, confirmationem ad congruitatem; γ) *per tonsionem capillorum* ut indicetur praecipua caeremonia, et quasi materia, scilicet *tonsio capillorum et vestis alba seu superpelliceum* proprium clericorum, quorum traditioni (ceu materiae proximae) additur forma contenta verbis Pontificis: « *Induat te Dominus* » etc. vel « *Oremus D. N. I. Ch. pro his famulis suis, qui ad deponendam comam capitum suorum pro eius amore festinant, ut donet eis Spiritum Sanctum* »: alia forma insinuatur *can. 20. dist. 23.* « *Vide ut quod ore cantas, corde credas: et quod corde credis, operibus comprobes* »; δ) *divino servitio addicitur.....* ut duo clericalis tonsurae effectus essentiales denotentur, *Trid. Sess. 23. c. 4. de Ref.,* scilicet: « *Ritus ecclesiasticus, quo fidelis clericali coetui initiatur et ad ecclesiasticos ordines disponitur* ».

II. **Requisita,** praeter aetatem et qualitatem, ceteraque supra cum de communibus ageretur, recensita sunt; haec duo adhuc sunt necessaria 1) *confirmatio* praesertim, ut in clericalem ordinem non ingrediatur laborans defectu fidei confirmatae, ad quam confirmatio instituta: tamen ad liceitatem et non validitatem; 2) ut animum habeat Deo et Ecclesiae serviendi in muneribus ecclesiasticis, quia ad ordines introducitur per tonsuram.... Hinc 3) illicite agerent tum collator, tum recipiens tonsuram; si deesset talis animus: attamen venialiter non mortaliter: *venialiter* saltem quia, *Trid. Sess. 23. c. 4. de Refor., prima tonsura initiari prohibet illos, de quibus probabilis coniectura est, eos potius saecularis iudicii fugiendi fraude, et Ecclesiastici fori privilegio fruendi animo, quam ut Deo fidelem cultum praestent, hoc vitae genus elegisse.* Non vero mortaliter α), tum propter Doctorum auctoritatem, tum β) quia nullum habetur grave praeceptum, quod recipientem primam tonsuram et minores ordines obliget ut in Clericatu suscepto persistat. Imo γ) subdiaconis dicitur in susceptione subdiaconatus ante hunc ordinem suscipiendum licere ad saecularia vota transire. Nec valet comparatio cum novitio ingresso in Religionem sine animo perseverandi, *propter adiuncta* expensarum etc.

III. **Effectus** recensentur in tradita notione et sunt: 1) est addictio statui clericali; 2) est dispositio ad ordines; 3) ad beneficia recipienda, atque ad fruendum clericalibus privilegiis aptitudo et ius.

59. Paucis: Tonsura 1. quid sit. 2. Quae requisita ad eam suscipiendam. 3. Quae leges in ea conferenda. 4. Qui effectus.

1. *Def.* Quid sit. « *Exterior quidam ritus seu caeremonia ecclesiastica, qua fidelis iam confirmatus per tonsionem capillorum vestisque clericalis traditionem, divino servitio addicitur in ecclesiasticis ministeriis et ad minores ordines suscipiendos disponitur* ».

Hinc ordo proprie non est nec Sacramentum.

2. *Requisita,* brevi dici potest, ea referri praecipue ad eius, qui tonsuram petit, habilitatem seu capacitatem, statum, scientiam, indolem, aetatem. α) *Habilitatem* seu capacitatem i. e. masculus esse debet, nec talis quem ius naturale aut divinum a clericatu repellat. β) *Status* complectitur duo requisita, *al-*

terum negativum, quod nulla irregularitate teneatur, quae prohibet eadem affectum in Clerum admitti. De irregularitatibus iam titulum peculiarem habuimus. *Alterum positivum,* ut qui Tonsuram petit non modo baptizatus sit, verum etiam confirmatus. γ) Quoad scientiam sufficit fidei rudimenta nosse nec non legere et scribere. δ) Indoles eiusmodi, de qua probabilis coniectura fieri possit, eum hoc vitae genus elegisse ut Deo fidelem cultum praestet, non autem ob aliam causam humanam. ε) Aetas, consequitur ex praedictis, quod saltem septennium habere debeat.

3. *Leges duae* memorandae sunt: 1ª. ut ab Episcopo proprio eam recipere debeat. Quis vero sit, alibi exponitur. 2ª. Lex est, ut qui ad Tonsuram admittitur regulariter debeat certae Ecclesiae aut pio loco addici, ut ibidem in ecclesiasticis ministeriis quae eius propria sint, sese exerceat. *Trid. Sess. 23. c. 16. de Ref.; Bened. XIII. Const. In supremo 23. Sept. 1724.* De qua adscriptione haec notanda sunt: 1. Si in collatione Tonsurae facta non fuerit, fieri posse arbitrio Episcopi etiam deinceps quousque ad Presbyteratus ordinem fuerint evecti. 2. Si facti iam sint presbyteri non possunt adscribi, imo etiamsi adscripti fuerint, non possunt cogi... sine aliquo beneficio ecclesiastico aut stipendio. 3. Clerici nondum Presbyteri qui detrectent, poenis cogi possunt, non tamen mulcta pecuniaria, quae vetatur *S. C. C. in Resol. relata a Giraldi p. 2. Sect. 100.* Recte autem versabitur in neganda promotione, imo et in interdicendo exercitio sacrorum, nisi in Ecclesia, quae ei adsignata est.

4. *Effectus sunt* adeptio iurium et privilegiorum, tum susceptio obligationum clericalium, de quibus infra. Iamvero circa iura, ut hoc in genere dicamus, ea duo praecipue sunt: habilitas ad beneficia; habilitas ad iurisdictionem ecclesiasticam. Exercitium porro iurisdictionis ecclesiasticae ad iura clericalia pertinet, ita ut nemo eiusdem sit capax nisi *Clericus,* quae propositio probatur in iure publico.

59bis. *Nota.* Heic breviter indicamus quaestionem operose discussam inter Canonistas et Theologos, *an tonsura sit Sacramentum.* Res est parvi momenti. Communissima modo evasit inter Theologos simul et Canonistas sententiâ negans. Nec

affirmantis sententiae valeat arg. 1) « quia canones et Pontifices loquuntur ac si tonsura verum esset Sacramentum et ordo » nam et ibi vox *ordo* pro tonsura et psalmistatu omnino improprie sumitur: et *Trid. Sess. 23. l. 4. de Ref.* ait quod tonsura sit ecclesiasticus ritus quo fidelis..... *disponitur* ad ecclesiasticos *ordines*. Nec 2) arg. ubi datur specialis materia et forma, et confertur specialis potestas ad certum sacrum ministerium obeundum, atque ad id interna gratia; ibi datur ordo et sacramentum a reliquis distinctum. Nam negatur *minor*, praesertim quoad gratiam non certe collatam vi ritus.

TITULUS V.

DE CLERICIS IN MINORIBUS ORDINIBUS CONSTITUTIS.

Praenotandum.

60. Expositis iis, quae ceu praeambulum sunt tractationi de ordinibus, gradum nunc facimus ad ipsos singulos ordines sive minores, sive maiores. Horum duplex est classis: 1ª. eos continet, qui aliud non habentes officium constituti sunt in minoribus vel maioribus ordinibus, usque ad Episcopatum exclusive; 2ª. classis continet α) Romanum Pontificem; β) Episcopos et Praelatos inferiores.... Omnes autem ordines septenario numero continentur; et eorum nomina sunt Ostiarius, Lector, Exorcista, Acolythus, Subdiaconus, Diaconus, Sacerdos: quia *a*) totidem propter ea ministeria, quae ad sacrosanctum Missae sacrificium et Eucharistiam vel conficiendam vel administrandam, cuius causa praecipue instituta sunt, necessaria esse videntur; *b*) quia totidem in universa ecclesiastica traditione reperiuntur. Horum Ordinum meminerunt *Dionys. l. Hier. Eccl. c. 3; Concil. Carth. IV. c. 6.; Ign. ep. ad Ant.; Caius P. in sua ep. Conc. Rom. sub Sylv.; Cf. Bonav. in 4. dist. 24. a. 2. q. 4.* ubi de sufficientia huius totidem Ordinum numeri. Vidimus ex his alios maiores esse, alios minores.

Summarium. — In Ecclesia Latina ordines minores 1) sunt Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, Acolythatus, quorum omnium in communi origo et institutio, 2) singulorum autem notio et ritus, officium seu munus, paucis inquiritur.

61. *Declaratur 1m.* Dixi in Ecclesia latina, quia Graeca Ecclesia post traditam primam tonsuram recenset duos dumtaxat ordines minores, scil. lectoratum et subdiaconatum, qui graeco ritu collatus acolythatum et ostiariatum includit.

Orginem et institutionem ab ipso Ecclesiae initio et apostolorum tempore repetit *Synod. Trid. Sess. 23. c. 17. de Ref. et c. 2.* Eatenus porro ab Apostolorum imo divino iure esse dicendi sunt, quatenus ex diaconatus functionibus, *qui est divinae institutionis,* varia detracta fuerunt munia; et ex his singulis subdiaconatus ceterique inferiores ordines sunt ab Ecclesiae potestate constituti. Unde etiam mediata saltem Christi et Apostolorum voluntate eiusmodi facta est divisio, quatenus ea potestate Ecclesia tales ordines constituit, quae certo a Christo Apostolis eorumque successoribus tributa est. Cf. ea quae ad horum minorum ordinum nomina et historiam pertinent, *apud Thomass. Nova et Vetus Ecclesiae discipl. P. 1. l. 2. c. 30. 35.*

62. *Declaratur 2m.* I. **Ostiariatus 1) est ordo quo traditur potestas specialis aperiendi vel claudendi ianuam Ecclesiae, dignos admittendi et excludendi indignos.** *Ordo* generatim *definiri* solet signaculum quoddam Ecclesiae, quo spiritualis potestas ordinato tribuitur; 2) *ritus* in eo est, quod Episcopus illum conferendo tradit clerico claves Ecclesiae manu dextera tangendas dicens: *Sic age quasi redditurus Deo rationem pro iis rebus, quae his clavibus recluduntur.* Traditio funis campanae, pulsandae ab ordinando, est recentior caeremonia, non de substantia huius ordinis. Hinc intelligitur 3) *munus seu officium* quod est percutere cymbalum et campanam, aperire Ecclesiam fidelibus, et claudere infidelibus, seu dignos in eam admittere, aut indignos ab Ecclesia repellere; singulis locum suum assignare; omnibus silentium et modestiam commendare; librum aperire ei, qui praedicat; et cu-

stodire ea, quae intra Ecclesiam sunt. De hoc munere agit *Conc. Tolet. c. 9. et hab. dist. 25. c. Ostiarius.*

Iam a primis Ecclesiae saeculis ad s. etiam Missae sacrificium adsistebat Ostiarius, curaturus, ne quis propius, quam par esset, ad sacram aram accederet, et sacerdotem rem divinam facientem interpellaret *Cf. Catech. Conc. Trid. heic n. 15.* « Magnam autem in antiqua Ecclesia huius ordinis dignitatem « fuisse ex eo intelligitur, quod his temporibus in Ecclesia « mandari animadvertimus. Nam Thesaurarii officium, qui idem « erat sacrarii custos, quod ad ostiarios pertinebat, inter ho- « nestiores Ecclesiae functiones etiam nunc habetur ». *Cf. Cap. un. de off. sacristae, et can. Clerus, dist. 21.*

II. DE LECTORATU.

63. II. Lectoratus 1) **est ordo, quo specialis traditur potestas legendi psalmos et lectiones ex pulpito in Ecclesia, ac prima christianae Religionis rudimenta fidelibus tradendi.** 2) Hinc *ritus* est, ut Episcopus, praesente populo, in eius collatione tradat ordinando codicem, de quo lecturus est, dicens: *Accipe et esto verbi Dei relator, habiturus si fideliter et utiliter impleveris officium, partem cum iis, qui verbum Dei bene ministraverunt ab initio.* Qua in notione et ritu duo advertantur oportet: α) eumdem codicem tradi etiam subdiaconis; sed ad diversum effectum, huic ad legendas scilicet Epistolas et Lectiones utriusque Testamenti in Missa solemni tamquam partes eiusdem integrantes; *Lectori* autem ad legendas tantum prophetias et epistolas extra Missam in psalmodiis, et ad instar simplicis lectionis: β) Lectores gradu quidem fuisse *Ostiariis digniores,* sed aetate plerumque minores: nam aetate maturos viros exigebant Ostiariorum officia, cum ad Lectorum ministeria adscriberentur adolescentes, qui apti deinceps sacerdotio putabantur. Lectorum igitur 3) *officium est* Sacras Scripturas in Ecclesia legere seu recitare et explicare, populum catechizare seu instruere in rebus fidei, panem et novos fructus benedicere; non autem praedicare. *Cf. Can. Lector, dist. 23.* De hoc munere praeter ll. citt. et exempl. Arsenii Lectoris apud s. Athanasium, alia commemorant *Cypr. ep. 33. et Tertull. de praescr. c. 61.*

III. DE EXORCISTATU.

64. III. **Exorcistatus** 1) **est ordo quo traditur potestas specialis alicui eiiciendi demonia per Exorcismos ab Ecclesia institutos,** quae vero potestas exercenda reservatur nunc tantum presbyteris et quidem de Ordinarii licentia. 2) Ad *ritum* quod spectat, tradit ordinandis Episcopus librum Exorcismorum, dicens: *Accipe et commenda memoriae et habeto potestatem imponendi manus super energumenos sive baptizatos sive catechumenos:* quae tanta potestas ideo a Christo Domino per Ecclesiam tribuitur huic inferiori gradui, ut contemptui eo maiori haberentur daemones, quo debiliori prosternerentur instrumento: in maioremque id cederet Dei gloriam, qui infirma mundi elegit, ut fortia quaeque confundat. 3) Unde *officium* ipsorum est, adhibitis Ecclesiae precibus, nomen Domini invocare in eos, qui ab immundis spiritibus obsidentur, atque daemones cunctos ab obsessis eiicere. Iubebantur olim Exorcistae quotidie energumenis manus imponere; illisque in Domo Dei adsidentibus victum quotidianum suo tempore ministrare. Insuper debent populo dicere, ut, qui non communicant, dent locum..... tandem aquam debent in ministerio fundere. *Cf. Can. Cleros, dist. 21., et Auctores cit.* Petrus, qui cum Marcellino martyrium fecit, ab hoc munere *Exorcista* dictus est.

IV. DE ACOLYTHATU.

65. IV. **Acolythatus** ab ἀκολουθέω sequor, obsequor, famulor, 1) **est ordo quo clerico traditur specialis potestas spiritualis inter Missae solemnia subdiacono inserviendi, accendendi cereos, preparandi et porrigendi ampullas vini et aquae:** 2) quod explicat *ritus* institutus, quo traditur ordinando candelabrum cum candela extincta, ut sciant se ad accendenda Ecclesiae luminaria mancipari: item urceolus vacuus ad suggerendum vinum et aquam in Eucharistiam sanguinis Christi: et ad utramque traditionem sua aptantur verba: *Accipe ceroferarium cum cereo, et scias te ad accendenda Ecclesiae luminaria mancipari in nomine Domini.* « Accipe urceolos ad suggerendum vinum et aquam in Eucharistiam sanguinis Christi in nomine Domini »; 3) quibus *munus* etiam

significatur, scilicet urceolos deferre subdiacono in Missae sacrificio, cereos accendere, parare ea, quae ad Missae sacrificium pertinent, ceroferarium deferre cum canitur evangelium etc. *Can. Cleros, dist. 21., et can. Acolyth., d. 23.*

66. Antequam hos ordines minores dimittamus, notatu dignum censemus: 1) Cum iam a saeculo tertio mediante in Romana Ecclesia maximas inter persecutiones, minorum ordinum clericos fuisse 94 asserit Cornelius Romanus Pontifex *(apud* (1) *Euseb. Hist. Eccl. l. 6. c. 35.)* quando innovandi cupido nulla esse poterat, arguitur hos ordines iam in ipsa primitiva Ecclesia floruisse et saltem in urbibus celebrioribus sacrificium altaris magno cum apparatu et assistente ampla Clericorum corona peragi solere. 2) Unde horum ordinum functiones in Ecclesia per clericos illis insignitos exerceri debent ne inanis sit tam sancta eiusmodi ordinum institutio: 3) si minorum ordinum ministeriis exercendis clerici caelibes non sufficiant, adiungi possunt coniugati probatae vitae, non bigami, habitum et tonsuram clericalem deferentes: 4) quaestionem de materia et forma omnium ordinum et praesertim illam, an minores ordines totidem sacramenta sint, remittimus alibi tractandam; iuxta communem sententiam modo affirmasse satis sit formaliter et per se singulos non esse sacramenta: sed complexive, quatenus per omnes ad maiores ordines et in sacerdotium, atque ideo in altaris ministerium tenditur: ideo hoc pacto omnium est una potestas, cuius pars singulis tribuitur.

(1) Nec solum apud Euseb. sed etiam penes alios scriptores reperimus praegrandem numerum eorum, qui hos inferiores ordinis gradus adscendebant, apud quos varia recensentur eiusmodi clericorum nomina e. g. *Laborantes* seu *fossarii,* curandis sepeliendisque fidelium corporibus operam impendentes; *Parabalani* ad debilium aegra corpora curanda deputati; *Oeconomi* Ecclesiarum; *Apocrisarii* qui tamquam procuratores ecclesiasticas causas in aula Principis agerent; *Hermeneutae* seu Interpretes, qui Lectiones SS. Scrip. vel conciones Episcoporum ad populum habitas, ex una in aliam linguam transferebant; Defensores Pauperum et Ecclesiarum; Custodes martyrum; Catechistae seu Doctores Audientium i. e. Catechumenorum; Notarii ad acta Martyrum conscribenda constituti; atque alia eiusmodi diversorum non ordinum, sed nomina officiorum, quae minorum ordinum clericis aut etiam subdiaconis imponebantur.

TITULUS VI.

DE CLERICIS IN MAIORIBUS ORDINIBUS CONSTITUTIS.

Praenotandum.

67. Accedimus ad tractationem ordinum, qui sacri dicuntur et maiores: *sacri,* quia non solum *a*) eorum collatio est sacramentum, sed *b*) specialiori ratione reddunt homines sacratos: ad omnes enim, qui illos recipiunt, Episcopus inter cetera precatoriam solemniter effundit formulam: *Ut hos electos benedicere, consecrare et sanctificare digneris,* ter super illis benedictionem episcopalem impertitus: *c*) quia hi ordines clericum constituunt cum quadam consecratione in altaris ministerio: atqui iuxta *S. Thom. IV. dist. 24. q. 2. a. 1. q. 1. 3.* ordo dicitur sacer, qui habet aliquem actum circa rem aliquam consecratam. — Unde etiam *maiora* dicuntur, cum propius ad sacra, altiores scandendo gradus, ad tabernaculum ipsum, atque altare Dei adhaereant, cum maiora tractant atque ad ea omnia, quae sacrosanctae Eucharistiae confectioni inserviunt, sacratiora proxime pertingunt.

Porro consecratio, qua constituuntur Levitae in altaris ministerio, diversam pro vario gradu rationem habet. *Subdiaconatus* enim *sacer* dicitur, ex eo quod per votum castitatis solemniter in sua ordinatione emissum, subdiaconi persona Deo consecratur, et insuper fit ipsi potestas tangendi vasa sacra. *Diaconatus ordo est sacer* per sacra officia ipsi obeunda, qualis est ministratio ad altare, baptismus et praedicatio. Potiori autem ratione dicetur *sacrum sacerdotium,* utpote quod tale est, cui ceteri tendunt uti centrum. Est sacerdotium gradus supremus in sacra ordinatione, qua confertur potestas maxime spiritualis et sacra Corpus et Sanguinem I. C. D. N. consecrandi atque fideles per absolutionem sanctificandi: hinc insignitus hoc ordine *sacerdos* appellatur *quia sacra faciens seu dans* specialissima ratione deputatus ad benedicendum vel consecrandum. Horum autem ordinum quaedam singulis sunt propria, e. g. origo et institutio, ritus et munus; quaedam vero omnibus communia sunt. Nunc de propriis.

I. QUI ET CUR ORDINES MAIORES VOCENTUR ET SACRI.

Summarium. — 1) Subdiaconatus et Diaconatus et Sacerdotium, quod in Presbyteratum et Episcopatum diducitur, ordines sunt maiores et sacri; 2) porro subdiaconatus, qui saltem a saec. XII. sacer habitus est in Ecclesia latina, notio et institutio, ritus et munus proprium breviter exponitur.

68. *Declaratur et prob. 1^m^.* α) Vidimus iuxta S. Thom. *l. c.* quod ordo sacer is sit, qui habet aliquem actum circa rem aliquam consecratam, quique speciali modo hominem Deo consecrat et devovet: atqui sacerdos et diaconus habent actum circa corpus et sanguinem Christi, et subdiaconus circa vasa consecrata: β) insuper tamquam personae publicae solemni ritu deputantur ad quotidianum divini officii pensum, nomine Ecclesiae, persolvendum, et lege continentiae ita Deo sacrantur, ut ad saecularia vota amplius redire nequeant: ergo. γ) *Trid. Sess. 23. can. 2.* « Si quis dixerit praeter sacerdotium non esse in Ecclesia catholica alios ordines et maiores et minores, per quos velut per gradus quosdam in sacerdotium tendatur, anathema sit ». *Cf. Cap. Dolentes, et Cap. Presbyter de Celebrat. Missarum, et Panormit. ibid., Leo X. Const. Suprema.*

II. DE SUBDIACONATU.

69. *Declaratur scilicet* **Subdiaconatus** 1) notio est, ut dicatur **ordo maior et sacer quo spiritualis potestas traditur Ordinato praeparandi et deferendi calicem vacuum cum patena, eaque porrigendi diacono ad sacrificium Missae ipsique inserviendi, nec non solemniter legendi Epistolam in eadem Missa**: haec circumscriptio potius, quam definitio, quae ceteroquin in re est communis, exhibet subdiaconatum, omni dubitatione sublata, uti sacrum et maiorem ordinem prout hucusque diximus. Diu quidem, 2) ut *institutio* adsignetur, stetit in numero minorum ordinum in utraque Ecclesia latina et graeca, in qua etiam nunc talis habetur; vetitum namque est subdiaconis graecis sacra vasa ad

aram deferre, et permittitur tantum ea parare in minori mensa, quam vocant propositionis.

Sed in Ecclesia latina etsi prius non talis reputaretur, certo habitus est *ut sacer iam a saec. XII.* Quae duplex assertio breviter sic ostenditur. Etsi *prius non recensebatur* ut sacer, quia id testatur 1) *Urb. I. qui Pontifex ab anno 226. can. 4. dist. 60.* confessus est Presbyteratum et Diaconatum tantum censeri, ut maiores ordines. 2) Deinde *Pelagius II. an. 578.* duas edidit constit. quibus Siciliae subdiaconos iuxta morem prius in Romana Ecclesia introductum ad continentiam servandam adstringebat, quas Constitutiones confirmavit Gregorius M. successor Pelagii, ut subdiaconi, qui se non continuissent, non possent amplius ministrare altari, et ut deinceps nemo amplius in subdiaconum ordinaretur, qui prius non promisisset se caste victurum.

Quoad 2^m^. assertum, sciendum est α) eo tempore, quo huic ordini lex caelibatus imposita fuit, subdiaconatum inter ordines sacros in Ecclesia Occidentali recenseri coeptum esse;. et uti talem in posterum haberi, testis est Urbanus II. inter ordines sacros subdiaconatum adnumerans, quando praesertim in Concilio Beneventano decrevit « nullus in Episcopatum eligatur, nisi in sacris ordinibus religiose vivens inventus sit; sacros autem ordines dicimus Diaconatus et Presbyteratus: hos siquidem solos primitiva legitur Ecclesia habuisse; super his solis praeceptum apostolicum habemus. Subdiaconos vero, quia et ipsi altaribus ministrant, opportunitate exigente concedimus, sed rarissime »; testis *Innoc. III. qui Cap. 7. De servis non ordin,* de subdiaconatu ait: « *Licet sacer ordo non reputaretur Ecclesia primitiva; tamen a constitutione Gregorii atque Urbani secundum moderna tempora sacer gradus esse minime dubitatur* ». Ex usu ministrandi altari atque ex coelibatu iam a Leone M. praecepto et praecipue ex concessione Urbani II. (1088), confirmata deinde ab *Innocen. III. Cap. A multis, de aet. et qualit. Ordin.* quod ex subdiaconis eligi possent ad Episcopatum, factum est ut inter maiores sacrosque ordines subdiaconatus tandem sub fine saec. XII. accenseretur. Petrus enim *Cantor qui obiit an. 1197.* (in lib. *de verbo mirifico*) ait de novo institutum esse subdiaconatum *sacrum ordinem.* Quae profecto

intelligi debent subdiaconatum *ut sacrum ordinem* habendum esse ab universa Ecclesia, ut componantur cum iis quae *Conc. Trid. Sess. 23. Cap. 2.* tradit: « Nam subdiaconatus ad maiores ordines a Patribus et sacris Conciliis refertur, in quibus et de aliis inferioribus frequentissime legimus ». Patres vero ad quos alludit *Conc. Trid. sunt Ign. ep. ad Ant.; Tertull. de Praesc. c. 41.; Cypr. op. 55.; Concilia sunt Rom. 3. sub Sylv.; Eliber. c. 33.; Carthag. 4. c. 5. et seq. Cf. et Can. Nullus, dist. 60.....*

Ex dictis patet *Institutionem* immediatam esse ab Ecclesia, mediatam a Christo Domino.

3°. *Ritus* ordinandi subdiaconos in pontificali romano praescribitur; et paucis hic est: praemissa admonitione de oneribus huic ordini adnexis, atque Sanctorum imploratis suffragiis, explicatisque subdiaconorum functionibus, Episcopus tradit omnibus calicem vacuum cum patena vacua superposita dicens: *Videte cuius ministerium vobis traditur: ideo vos admoneo ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere possitis.* Deinde archidiaconus tradit urceolos aqua et vino plenos una cum lebete et linteolo, quibus manus absterguntur, dicente Episcopo: *Videte cuiusmodi ministerium vobis traditur: ideo vos admoneo ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere possitis.* Et recitatis aliis precibus, postquam Episcopus subdiaconum sacris vestibus ornavit, ad quarum singula verba et caeremonias adhibens, tradit et Epistolarum librum, dicens: *Accipe librum Epistolarum et habe potestatem legendi eas in Ecclesia Sancta Dei tam pro vivis, quam pro defunctis.*

4°. *Munia autem* quae a subdiacono peragenda, Episcopus pronuntiat, sunt aquam ad ministerium altaris praeparare; pallas altaris et corporalia abluere; aquam lotionis in baptisterium effundere; Diacono ministrare; Calicem et patenam in usum sacrificii eidem offerre; de oblatis panibus tantum debet in Altari poni quantum possit populo sufficere. Praecipua hodie functio est in Missis solemnibus una cum Diacono adsistere sacerdoti sacrificanti, in iisque Epistolam cantare.

III. DE TITULO ORDINATIONIS.

Summarium. — Ad Subdiaconatum 1) praerequiritur Ordinationis titulus seu cautio, qua provisum sit ordinando de sufficienti, eaque perpetua sustentatione, cuius 2) tituli species, 3) conditiones, sive communes sive propriae, 4) nec non poenae, si absque titulo ordinatio fiat, paucis exhibentur.

70. *Declaratur et prob. 1^m^.* Titulus ordinationis requiritur, ut quis suscipiat ordinem sacrum. Apud scriptores de antiquis Ecclesiae disciplinis tituli vocantur Ecclesiae vel a nominibus sanctorum, quibus dicantur, vel ab ipsis Clericis, qui alicui Ecclesiae adscripti dicebantur intitulati. Unde Clerico titulus erat Ecclesia, cui *in sua ordinatione* adscribebatur, ubi propria ordinis officia obiret: dictus proinde titulus ordinationis. Nunc *nomine tituli ordinationis intelliguntur redditus certi ac perpetui iidemque sufficientes ad vitam congrue alendam iuxta modum seu taxationem quae in qualibet dioecesi definita est.* Iuxta antiquam Ecclesiae disciplinam nullus ordinari poterat sine titulo, h. e. sine certa ecclesia, cuius ministerio addiceretur *can. 6. Conc. Chalced. penes Grat. dist. 70. can. 1.;* hinc etiam ad primam tonsuram et minores ordines, titulus Ordinationis requirebatur, ut constat *can. Neminem 1. iuncta Glos. in dist. 60.*

In praesenti Ecclesiae disciplina titulus requiritur solum ad ordines sacros suscipiendos: α) patet ex *Trid. Sess. 21. Cap. 2. de Ref.* et ut praxis optima legum interpres habet. β) Et merito requiritur, ut ii, qui ad saecularia vota et negotia iam amplius redire non possunt, certum habeant annuum redditum, unde decenter vivant, ne cum ordinis et status immutabilis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quaestum exercere cogantur. *Trid. l. c.* γ) Quin imo tituli etiam nunc vigentis necessitas et fundamentum non modo cum antiqua Ecclesiae disciplina, sed cum ipsa sacra Ordinatione connecti videtur. Nam totus clericalis ordo, seu potestas atque hierarchia ordinis in Ecclesia a Deo constituitur, et est in bonum fidelium, scilicet in administrationem sacrorum; unde sequitur, neminem posse ordinari in suum privatum commodum, sed in publicum adeo, ut fuerit sublata per *Trid. et Innoc. XI. Decretalis*

Innoc. Cap. 23. de Praeb. in qua arbitrio Episcoporum, absque ulla etiam necessitate et utilitate populi atque Ecclesiae, erat concessum ordinandi ad titulum sive beneficii, sive patrimonii. Et cum potestas sit propter actum seu exercitium, sicut illa, ita et hoc erit in bonum fidelium sive Ecclesiae: unde simul cum potestate officium sumunt Clerici in bonum fidelium, scilicet in sacramentorum administrationem aliosque sacros actus, in salutem proximorum et circa altaris ministerium exercendos. Iamvero si iuxta S. Paulum qui de altari est de altari manducet necesse est: cum hac addictione seu intitulatione alicui Ecclesiae sequitur connexio, ut ordinatus congruam sustentationem ex ea Ecclesia, cui inservit, percipiat. Hinc pro assiduo in tali Ecclesiae servitio quaerebatur Clericis ius ex reditibus ipsius Ecclesiae percipiendi, quae pro ratione officii sui ad victum et cultum suppeterent, adeo, ut inter Ecclesiam et Clericos ordo constans constitueretur ceu mutuae obligationis ex parte Clerici perpetuo serviendi Ecclesiae, et ex parte Ecclesiae suppeditandi alimenta. Hinc usu ordinum suorum decideret Clericus, qui sine Episcopi venia aut illam desereret Ecclesiam, aut ordines in alia exercuisset; atque excommunicationi obnoxii essent Episcopi alii talem clericum recipientes.

« At vero, ut egregie distinguit P. Sanguineti *(Iur. Eccl. priv. Inst. num. 261. c-d.)* hoc (scilicet ius accipiendi alimenta) potest concipi duplici modo fieri: vel scilicet ita *ut ex bonis Ecclesiae,* quocumque ex fonte proveniant (h. e. vel immobilibus vel ex possessione Ecclesiae vel ex spontaneis fidelium oblationibus), in unicam massam redactis, et in plenam Episcopi administrationem commissis, singulis Clericis ea quae ad congruam sustentationem requiruntur, suppeditentur; vel ita, ut vel singulis ecclesiasticis officiis sua sit assignata *praebenda,* adeoque antequam quis ordinetur, aliqua ex istis eidem sit adsignanda ». Porro primus modus suppeditandi alimenta obtinebat primis Ecclesiae saeculis, qui unus erat atque ab Episcopo pendebat, ex communi scilicet bonorum ecclesiasticorum massa, clericum sive determinatae Ecclesiae perpetuo inservientem, sive sacris ministeriis in dioecesis ambitum ad

nutum Episcopi fungentem, sustentandi. Ast nunc alter viget modus, quo titulus beneficii continetur.

71. *Declaratur et prob. 2^m^.* **Species, in quas titulus ordinationis dividitur.** Inquirimus scilicet qui sint fontes legitimi huiusmodi reditus, seu quotuplex sit eiusmodi titulus ordinationis. Et resp. Triplex eiusmodi titulus distinguitur pro triplici fonte, unde hi redditus hauriuntur, i. e. titulus *beneficii,* titulus *patrimonii* et titulus *paupertatis.*

1. *Titulus beneficii* oritur ex pacifica possessione beneficii ecclesiastici, quod scilicet iuxta praedictam taxationem congruum sit, *Conc. Trid. Sess. 21. c. 2. de Ref.*

2. *Titulus patrimonii,* qui ex propriis ordinandi reditibus emanat, qui praedicto modo congrui sint; *Conc. Trid. l. c.* ubi eiusmodi titulus apparet subsidiarius, sicut titulus paupertatis. Nam prohibet Conc. Trid. ne quis posthac titulo patrimonii ordinetur, nisi id Episcopus pro necessitate vel commoditate suae Ecclesiae conveniens esse iudicaverit: atqui haec dicunt ob deficientiam tituli beneficii id permitti. Et haec est praecipua causa, ob quam Ecclesia Christi admisit hunc titulum, scilicet cum in pluribus dioecesibus tot non suppeterent beneficia, quot Clerici sustentandi pro numero fidelium in dioecesi necessarii essent; ne illis deficerent media sanctificationis, coeptum est conferri ordines clericis, qui de aliis bonis, quam ex beneficio, praesertim de sua vel paterna haereditate haberent, quae ad vitae suae tuitionem requiruntur.

3. *Titulus paupertatis* oritur ex professione ordinis religiosi approbati. Paupertas enim, quae motivo Religionis mendicando exercetur, plane diversa est ab ea paupertate, quae non ex causa virtutis, sed ex causa merae necessitatis mendicare cogit; haec enim reverentiam adimit, illa auget. Unde paupertas religiosa, cuius causa mendicare turpe non est, adeoque respectu Regularium, qui eam profitentur, tamquam ordinationis titulus iure admittitur. *Pius V. Constit. Romanus Pontifex, 14 Oct. 1568.*

72. *Declaratur 3^m^.* **Conditiones,** quas eiusmodi tituli habent adnexas, variae sunt pro ipsa titulorum varietate. Itaque alia est propria tituli paupertatis, alia tituli patrimonii, aliae titulis beneficii ac patrimonii communes: ab his incipiamus.

Tituli sive **beneficii** sive **patrimonii communis conditio est,** 1) ut tantos ferant reditus, quanti necessarii sunt ad decentem vitae tuitionem; quod quidem definiendum est vel ex synodalibus Constitutionibus, vel ex more regionis. *Innoc. XII. Constit. Speculatores, § Licet, vero 4 Nov. 1694.* Atque huc pertinet quaestio utrum a beneficio seu a Cappellania, ad cuius titulum ordinari quis postulat, detrahenda sint onera missarum, praesertim si beneficiarius non teneatur per seipsum eas celebrare: qua in quaestione S. C. C. cum rem diutius perpendisset, tandem in *Ariminensi 3 Iulii 1723* respondit relinquendum esse arbitrio et conscientiae Ordinariorum.

2) *Altera conditio* utrique titulo communis ea est, *ut perpetuus* esse debeat, quod quidem respectu beneficii proprie dicti cum eiusdem natura convenit; cum nullum intelligatur beneficium ecclesiasticum, nisi perpetuum sit; respectu autem patrimonii et beneficii improprie dicti, cuiusmodi est cappellania ad nutum amovibilis, talis ecclesiastica lege debet esse ut admitti non possit nisi is, qui eiusmodi patrimonium vel cappellaniam ordinando confert; aut in perpetuum conferat, aut saltem usque ad eam diem, quo ille pacifice possidere *incoeperit beneficium sufficiens* aut certos obtinuerit atque indefectibiles reditus, quibus decenter sustentari possit. *Conc. Trid. Sess. 21. c. 2. de Ref. et Bened. XIV. Instit. 26.*

3) Tertia conditio utrique titulo item communis natura sua cum praecedente connectitur, et in eo sita est, ut is, qui utrovis titulo sive beneficii, sive patrimonii ordinatus sit, ipsum dimittere nulla ratione nullaque ex parte possit, nisi veniam ab Episcopo hisce sub conditionibus impetraverit, ut 1°. mentionem fecerit se eius beneficii vel patrimonii titulo ordinatum esse: 2°. ut certa monumenta exhibuerit tantum se in bonis habere, quantum satis sit ad legitimum titulum ordinationis constituendum *Conc. Trid. Sess. 21. c. 2. de Ref.; S. C. C. apud Bened. XIV. Inst. 26. n. 27. seqq.*

Tituli ex patrimonio hoc proprium est, ut ipsum admittere vel respuere relinquatur prudentiae Episcopi, qui eatenus admittet, quatenus Ecclesiae necessitas, vel commoditas id exigat, *Conc. Trid. Sess. 21. c. 2. de Ref.,* non obstante indulto apostolico, ab ordinando forte impetrato, suscipiendi sa-

cros ordines extra tempora et non servatis interstitiis cum illa clausula consueta *ut parentibus tuis solatio esse possis etc.;* cum eiusmodi clausula atque indulta ita concessa intelligantur, ut quoad cetera ea omnia servari debeant, quae de iure servanda sunt. Innoc. XI. *in litt. encyclicis editis per S. C. C. 13 Maii 1679;* Innoc. XII. *Const. Speculatores* § *1.;* Bened. XIV. *l. c.* Insuper patrimonium ex iure constitutum esse debet, seu 1. in re immobili frugifera; vel ea, quae instar immobilis in iure habetur: 2. ea lege tacita vel expressa, ut ordinatus statim ab ordinatione fructus percipiat, saltem donec alio titulo provideatur: unde si constitutum fuerit sub conditione, ne fructus a constituente decedant, vel ut ad ipsum, vivente adhuc ordinato, redeant, conditio nulla est, sive dolo id fecerint contrahentes et Ordinantem decipientes, sive non; est enim conditio turpis contra naturam actus: 3. ut instrumentum, quo patrimonium constituitur, conditum sit in forma iuris etiam civilis valida.

Conditio propria tituli paupertatis haec est, ut regulares, qui eo titulo ad ordines accedunt, solemnem professionem iam emiserint; salvo tamen peculiari Apostolicae Sedis privilegio. Pius V. *Const. Romanus Pontifex 14 Oct. 1568.* Dixi 1°. *solemnem professionem:* quia per se non sufficit professio votorum simplicium. Itaque cum ex recenti lege Pii IX. qua constitutum est, ut professio solemnis nonnisi post triennium ab emissa professione votorum simplicium fieret, dubitatum est, an post emissionem votorum simplicium liceret sub titulo eiusmodi paupertatis ordinari. Resp. *Negative.*

Dixi 2°. *salvo peculiari privilegio,* h. e. nisi agatur de illis Regularibus, quibus facultas suscipiendi ordines data est etiam ante professionem. *Cf.* Greg. XIII. *Const. Ascendente Domino 1 Iun. 1584,* et Greg. XIV. *Const. Ecclesiae Catholicae 1 Iul. 1591* pro Religiosis Soc. Iesu, tum Alex. VII. *Const. Sacrosancti 26 Sept. 1659* quoad Patres *della Dottrina Cristiana;* tum Bened. XIII. *Const. Bonus ille 6 Oct. 1726* § *24.* quoad Clericos Hospital. Gall.; Bened. XIV. *Apostolicae servitutis 5 April. 1744* quoad missionarios S. Vincentii a Paulo.

Ex his omnibus patet unum ex dictis titulis requiri a iure cit. At quomodo obtinet in hac rerum publicarum perturbatione, bonorum Ecclesiae temporalium dilapidatione, in tanto

rerum discrimine, ut ab impiis guberniis omnes pensiones, reditus... quibus ut plurimum in nonnullis regionibus beneficia constant, penitus extinguantur, conferantur varia Resp. S. C. C. et praescriptiones Episcopis factae. Ex his et ex benigna concessione Sedis Apostolicae quibusdam regionibus facta, invaluerunt quidam modi determinandi titulum ordinationis alieni a statutis in Tridentino, subsidiarii et extraordinarii e. g. titulus *mensae communis* aut *congregationis,* praesertim pro alumnis Congregationum religiosarum cum votis simplicibus. In Germania titulus *mensae,* qui consistit in promissione munita cautione tertiae personae sive publicae sive privatae, ecclesiasticae vel laicae clerico ad Sacros Ordines promoto certam substentationem tum praestandi, cum ad officia ecclesiae obeunda ordinarie citra culpam inhabilis factus est. In Hungaria datur titulus *servitii dioecesani.* In Gallia titulus *obedientiae* sive promissionis servitii dioecesani: in Mexico titulus *administrationis.* Pluribus in locis generatim *Titulus servitii Ecclesiae,* quo ut suis Clericis Sacros Ordines conferret, Patriarchae Venetiarum constat Sixtum V. indulsisse. Hic porro titulus in eo esset, ut possint ordinari qui beneficio ecclesiastico, aut pensione, aut patrimonio carent; ea tamen lege, ut alicui Ecclesiae sint mancipati, ex cuius servitio et eleemosynis seu piis fidelium oblationibus sustentari valeant, atque ab eadem Ecclesia numquam, nisi eis aliter provisum fuerit, amoveri, aut ipsi recedere possunt.

In regionibus praesertim S. C. de Prop. F. subiectis, e. g. in Anglia, Hibernia, America septentrionali, in subsidium venit praesertim titulus Missionis: qui ut rite intelligatur, praesto est S. C. de Prop. F. instructio 27 April. 1871. Haec postquam recensuerit titulos ordinarios et aliquem subsidiarium, qualis est servitii Ecclesiae, venit ad titulum missionis; quo 1) nullatenus Ordinarius potest conferre Sacros Ordines, nisi speciali S. Sedis indulto munitus sit. Hoc porro indultum superioribus missionum, aut collegiorum aut Congregationum, quae missionibus inserviunt, vel ad certum tempus, vel ad praefixum casuum numerum concedi solent. Meminerint superiores eo parce utendum: neque enim hoc titulo ordinandi qui utcunque dispositi videantur: ad titulum enim missionis omnes magno cum delectu initiandi, scilicet qui animi indole et

docilitate, intentionis rectitudine, aptitudine, ingenii profectu in sacris, morum integritate ac rerum mundanarum contemptu spem faciant, sese strenuos futuros fore Evangelii praecones.

Sicut alumni collegiorum pontificiorum, ita omnes, qui titulo missionis inter sacros ministros cooptari velint, tenentur iuramentum ponere, quo spondeant, missioni, cui destinati sunt, vel destinabuntur, se fore perpetuam operam daturos. Et si actualiter in missione non versentur, sufficit, ut parati sint ad missiones obeundas quando et quomodo superior iudicabit.

Titulo missionis ordinatis interdicitur vi praestiti iuramenti ingredi in religionem absque venia Sedis Apostolicae.

Ut alii tituli, ita etiam hic amitti potest, vel ab Ordinario auferri, de consensu S. C., cuius est solvere a iuramento sic ordinatos. Ordinarii tenentur compellere ordinatos ad subrogationem alterius tituli, qua non facta, sic ordinati suspensi manent.

Qui titulo certae alicuius missionis ordinatus fuerit, dimisso missionarii officio, destituitur titulo, et alium sibi providere debet: quod si alterius missionis servitio velit deputari, indiget venia Sedis Apostolicae. Hortatur Pius VI. titulo missionis ordinatos, ut quotannis renovent iuramentum et indulgentiam plenariam consequantur. Audientia 7 Maii 1775.

73. *Declaratur 4. pars.* **De poenis** iam plura supra diximus quoad male ordinatos et ordinantes. Animadvertendum est per Const. *Apostolicae Sedis* sublatam esse suspensionem ab ordinibus sine titulo susceptis, qua suscipientes, si dolose rem egissent, plectebantur. Nunc quoad *conferentes,* ii si fraudis conscii fuerint, sumptu suo eos alere coguntur, quos ita ordinarunt, dummodo tamen non habeant illi unde vivant, *Cap. 16. de Praeb., Cf. Thesaurus de Poenis P. II. v. Ordines c. XI.* In cit. const. *Apostolicae Sedis* vidimus iam Episcopum ad annum suspensionem incurrere, si is ordinaverit religiosum (citra legitimum privilegium) nondum solemniter professum absque titulo cum eo opus est: imo ad triennium, si quem ordinaverit sine titulo cum pacto, ne a se peteret alimenta.

IV. DE DIACONATUS ORDINE.

Summarium. — Diaconatus nomine declarato, institutio, potestas et dotes recensentur: nec non ritus, quo ille confertur.

74. *Declaratur* 1^m^. Nomen seu vox **Diaconus** graeca est, quae latine sonat *Ministrum,* ita merito nuncupatum, quod is tum Episcopo praedicanti, tum Presbytero celebranti assistere debet ac ministrare. Insuper sicut in Lege Veteri *sacris addicti ministeriis a Tribu Levi,* ex qua ortum ducebant, sumpsere nomen, ita in Evangelica Lege Diaconum, qui fuit illis quadamtenus subrogatus, Levitae nomine placuit designari. Nomen igitur Diaconis ab officio factum erat; quod duplex officium, septem Diaconi ad instar Hierosolymitanae Ecclesiae, in unaquaque civitate constituti (forte quia septem spirituum, qui apud Dei thronum sunt, imaginem praeseferrent), primitus exequebantur: alterum in Ecclesia, quo Episcopis ac Presbyteris adsistebant; alterum extra illam, quo Ecclesiae bona administrabant, atque eleemosynas pauperibus erogabant.

2^m^. **De institutione divina** huius gradus seu Diaconatus dubitari nullatenus potest. Concilium enim Trid. *Sess. 23. can. 6.* anathema dicit illi, qui dixerit in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam divina Ordinatione institutam, quae constet ex Episcopis, Presbyteris et Ministris: atqui in ministrorum ordine praecipuum semper in Ecclesia Dei habuit locum Diaconus ita, ut *Diaconatus plenitudo ministerii habeatur;* et in sacris Scripturis iterata fit mentio Diaconi. Sed de divina huius gradus institutione, sicut et de ratione sacramenti vere ac proprie dicti, quae ipsi inest, probare alterius erit loci.

Diaconatus notio hisce continetur, ut sit **Ordo sacer, quo confertur potestas immediate adsistendi sacerdoti in missa solemni, solemniter canendi evangelium et praedicandi.** Haec definitionis verba indicant etiam eorum officium expleri circa sacra et spiritualia. Circa sacra et spiritualia munus fuit etiam ab initio quamvis Hierosolymis Diaconorum institutioni occasionem non causam dedit *(Act. VI. 5; VIII. 5. 12. 38)* viduarum ministerium. Nam iam tunc Diaconorum

erat non tantum profanae, in qua corpus curabatur, sed etiam sacrae mensae ministrare, h. e. assistere sacrificanti, Eucharistiam distribuere, eamque ad absentes deferre, iubente Presbytero. *Cf. Cypr. de lapsis; Ambros. l. 1. de Off. c. 41.; Conc. Carth. IV. Can. 38.*

3[m]. **Potestas** igitur et **officium** in praesenti Ecclesiae disciplina describuntur in Pontif. rom. « Diaconum oportet ministrare ad altare, baptizare, et praedicare » ubi *ministrare* dicit Diaconum debere Episcopo et Sacerdoti celebranti assistere, Pyxidem et Ostensorium cum Sanctissima Eucharistia deferre, non vero communionem praebere, nisi fiat ex commissione sacerdotis et in gravi necessitate; ut si desit sacerdos et populus sit communicandus *Can. 18. d. 93.; baptizare et praedicare* ita intelligenda sunt, ut possit etiam solemniter baptizare; tamen cum parochi licentia, aut in gravi necessitate; et ut possit praedicare cum superioris venia, quale munus videmus exercuisse Diaconos una cum Apostolis, praesertim S. Stephanum et Philippum; *Act. c. 6 et 8.;* idem *de S. Vincentio M.* testatur *S. Aug. Serm. 2. de S. Vincent. praedicante.* Pontificali romano consonat *Catech. Rom. heic n. 20.* « Secundum autem ss. Ordinum gradum Diaconus obtinet, cuius ministerium latius patet, sanctiusque semper habitum est. Ad eum enim pertinet Episcopum perpetuo sequi, concionantem custodire, eique et sacerdoti sacra facienti, vel alia sacramenta administranti praesto esse et in Missae sacrificio Evangelium legere.... Licet ei praeterea, si absit Episcopus et sacerdos, Evangelium explanare, non tamen e superiori loco ».

Dixi in praesenti Ecclesiae disciplina: nam alia olim accessoria officia obire poterant Diaconi; cum ipsi plane fidelium oblationes accipiebant, eosque corripiebant, qui in Ecclesia se male haberent: unde in *constit. Apostol. l. 2. c. 27.* dicitur: « si quis repertus fuerit, qui sedeat loco non decenti, increpetur a Diacono tamquam a nauclero... Diaconus speculatur populum, ne quis murmure obstrepat, dormitet, aut rideat, aut nutus faciat. Oportet enim in Ecclesia stare sapienter, sobrie, vigilanter, auribus ad verbum Domini intentis ». Diaconi vigiles adstabant in populo et crimina denunciabant Episcopo, ex quo praesertim Archidiaconi Episcoporum Oculi

fuerunt appellati. Quod officium etiam nunc obtinere indicat Catech. rom. *l. c.* « ad Diaconum etiam pertinet tamquam Episcopi oculum pervestigare, quinam in urbe pie et religiose, quive secus, vitam traducant; qui ad sacrificium et concionem statis temporibus conveniant..... Catechumenorum etiam nomina recitare debet et eos, qui ordinis sacramento initiandi sunt, ante Episcopum statuere ». Diaconi praecipuam etiam curam gerebant infirmorum, pauperum, pupillorum, viduarum, confessorum et martyrum, quibus necessaria suppeditabant ex thesauro Episcopi, cui veluti thesaurarius Archidiaconus praeerat, ex quo factum est, ut loca pro miserabilibus personis constituta *Diaconiae appellarentur.*

Tandem tum supra relatis splendidis muneribus, tum ex eo, quod Episcopi eorum opera utebantur in plerisque negotiis, legationibus et iurisdictione exercenda, imo etiam in casu necessitatis in remittendis poenis satisfactoriis, quas Episcopus imposuerat, factum est, ut quidam Diaconi in superbiam elati sese ambitiose praeferre Presbyteris; absolutionem a peccatis attentare: imo etiam sacrificium offerre ausi fuerint. In hoc est *can. 37. Conc. Carth. IV; Concil. Arelat. sub Marino an. 314. c. 18. et 15, et Cypr. ep. ad Rogatianum, Hieron. ep. 85. ad Evag.* « At hodie, prout advertit *P. Zech. Hierar. Eccl. tit. XII.,* qui Diaconatum suscipiunt, plerumque ad Presbyteratum aspirant, interim autem vix ad ullas alias functiones, quam ad ministerium solemnium sacrificiorum adhibentur. In Romana tamen Ecclesia, quae primitivae Ecclesiae Hierarchiam perfectissime refert, supremus Cardinalium senatus ex Episcopis, Presbyteris et iis Diaconis constat, qui in hoc ordine constanter perseverare solent. In aliarum vero Ecclesiarum Capitulis etiam Subdiaconi admittuntur, ab eo tempore, quo subdiaconatus sacris Ordinibus adnumerari et plerasque praerogativas cum Diaconis communes habere coepit ».

4^m^. **Dotes** autem quibus praefulgeant oportet, quae et quantae debeant esse, patent ex dictis. Magna est diligentia Ecclesiae, ne quis eo munere indignus ad hunc ordinis gradum ascendat, prout exemplum pro electione primorum Diaconorum prostat in *Act. Ap. c. 6. v. 3.: Considerate viros boni testimonii, plenos Spiritu Sancto et sapientia;* et praesertim ex

Apost. Paulo *ad Tim. 1. c. III. v. 8.* praescribente Diaconi mores, virtutem integritatem: *Diaconos pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes, habentes mysterium fidei in conscientia pura, qui gradum bonum sibi acquirent,* patent ex seqq.

5^m. **Ritus,** *quo eiusmodi confertur potestas.* Nam iuxta Pontif. rom. Episcopus, praemisso scrutinio, annuntiat Ordinandos populo, ut si quis habet aliquid contra illos cum fiducia exeat et dicat, prout in more erat antiquo Ecclesiae, ut non ordinarentur, nisi quos populus probasset. Tum monitionibus pluribus ad eos factis, atque variis effusis precibus, indicat quibus virtutibus Diaconi ornati esse debeant, praesertim cum solus dexteram extendens eos aggreditur non in sacerdotium sed in ministerium consecrare, singulis dicens: « *Accipe Spiritum Sanctum ad robur et ad resistendum diabolo et tentationibus eius, in nomine Domini* ». Atque inde, cetera inter, adprecatur: « Abundet in eis *totius forma virtutis, auctoritas modesta, pudor constans, innocentiae puritas, et spiritualis observantia disciplinae* ». Induit eos stola et dalmatica sub piis verborum formulis: et denique Evangeliorum librum tradit unicuique dicens: « *Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei tam pro vivis, quam pro defunctis in nomine Domini* ».

V. DE PRESBYTERATUS ORDINE.

Summarium. – Iuris divini est in Ecclesia sacerdotium, cuius nomen, et potestas sacrificium proprie dictum in N. Lege offerendi, sacramenta administrandi, aliasque functiones exercendi, nec non dotes, praesertim singularis probitas et doctrina summarie explicantur.

75. I. **Institutio** *prob.* α) Christus Dominus primos sacerdotes in ultima coena ordinavit Apostolos suos, dicens eis: « *Hoc facite in meam commemorationem* » *Luc. XXII. 19.* Et post Resurrectionem addidit « *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt* » *Io. XX. 22. 23.* β) Unde Synodus Trid. *sess. 22. can. II.* anathema dicit ei, qui contrarium affirmaverit et in *cap. 1.* ab eadem Syn. exhibetur hic ordo seu gradus tum institutus a

Christo Domino, tum designatus in 72 discipulis; γ) pariter ex eodem Concilio sacerdotium seu ordinem presbyteralem esse indubium sacramentum.

76. II. **Potestas** et auctoritas sacerdotii Catholici iam α) patet ex dictis; β) ex definitione communiter admissa, qua dicatur **Presbyteratus seu sacerdotium est Ordo et sacramentum, quo confertur specialis potestas consecrandi Corpus et Sanguinem Christi, atque absolvendi fideles a peccatis**; quibus praecipua potestas et munus effertur, quod est Sacramentum Corporis Domini conficere, ut scribit *Epiphanius Io. Episcopo Hieros. in can. Perlectis dist. 25;* Deo in sacrificium offerre *can. Quamvis dist. 68.; super populum orare: Dei dona benedicere. Omnis namque Pontifex, qui ex hominibus assumitur, pro hominibus constituitur in his, quae apud Deum aguntur, ut offerat dona ac victimas pro peccatis.* Cf. et *can. Ipsi Sacerdotes;* γ) sed omnia officia sacerdotis describit Pontificale Rom. cum dicit: « Sacerdotem oportet offerre, benedicere, praeesse, praedicare et baptizare ».

Circa quae animadvertendum est 1. quod hic non loquimur de mera potestate iurisdictionis, ad quam pro regendo populo Dei aptus fit sacerdos, sed de potestate Ordinis etiam in Corpus Christi mysticum seu fideles. Nam tota potestas ordinis versatur vel circa Christi physicum Corpus, vel circa fideles sanctificandos (non regendos cum iurisdictione): et quidem sanctificandos per verbi Dei praedicationem, per Sacramenta proprie dicta, vel per Sacramentalia. 2. Iamvero potestatem recipiunt ad Corpus Christi physicum offerendum consecrandum, illudque fidelibus administrandum, atque exceptis Ordine et Confirmatione, ad omnia sacramenta pariter et sacramentalia administranda, et tandem ad benedictiones, sacram unctionem non exigentes, impertiendas. 3. Circa Sacramentum Poenitentiae, ad validitatem absolutionis requiritur communicatio iurisdictionis ab Episcopo facta sacerdoti. 4. Circa reliqua Sacramenta et sacramentalia, ad benedictionem et tandem praedicationem, generatim requiritur legitima missio, quam iure officii sui habent certo Parochi: missio enim est necessaria, dicente Paulo *Rom. c. X.* « *Quomodo praedicabunt nisi mittantur* »; quod confirmat *Lucius Papa III. c. 9. de Haeres.,* ideo,

quia Christus exercitium potestatis ordinis etiam voluit dependens a potestate iurisdictionis: a qua sola etiam est communicatio potestatis legitime praedicandi.

Hinc etiam pro omnium sacramentorum atque sacramentalium confectione, atque administratione servanda sunt omnia, quae Ss. Canones, nec non Rituale atque universa Liturgia Ecclesiae requirunt. Imo *soli* Presbyteri, (quorum censu sunt etiam Episcopi licet sublimioris gradus sacerdotes) *a*) rite ordinati Corpus Christi conficere possunt *Trid. Sess. 23. c. 1*, adeo, ut ne quidem Papa alii hoc committere possit; *b*) soli sacramentum poenitentiae conficiunt, et peccata dimittunt *Conc. Florent. in decr. Eug. IV, c. quidam dicunt de poenit. d. 1, Conc. Trid. Sess. 14. can. 3;* licet peccati mortalis sint rei *Trid. l. c. c. 10. et c. 6;* quia ministerium hoc non in sanctitate ministri fundatur, sed in potestate illi in ordinatione concessa, quam peccatum non aufert, cum sacramenta operentur ex opere operato *Trid. Sess. 7. de Sacr. in gen. can. 12.* Ipsi tales sunt *ordinarii baptismi ministri* vi suae ordinationis *Conc. Flor. in Decr. Eug., can. Constat, dist. 4. de Consecr.* quamvis baptisma valeat si a laicis conferatur. Ipsi soli sunt ministri sacramenti Extremae Unctionis, cum *S. Iacob. ep. c. 5.* dicatur: « *Inducat Presbyteros....* » per quos Ecclesia latina semper sacerdotes intellexit *Trid. Sess. 4. cap. 3. et can. 4. de sacr. extremae Unct.; c. presbyt. dist. 35; c*) Quae omnia licet valide efficere possit sacerdos vi suae ordinationis et sacerdotalis characteris indelebiliter impressi; tamen non omnia absque superioris iurisdictione et auctoritate in actum deducere potest: plura ex his non ab omnibus celebrantur, sed ab illis dumtaxat, quibus incumbit officium.

III. **Ipse ritus Ordinationis presbyteralis** tum potestatem tum functiones sacerdoti obeundas ostendit. Huius ritus compendium exhibens *catech. rom. n. 25.* ait: « Nam Episcopus, cum sacerdotem aliquem instituit, primum quidem manus ei, una cum omnibus sacerdotibus, qui adsunt, imponit: deinde stolam humeris aptans, eam ante pectus in crucis formam deponit: quo quidem declaratur sacerdotem virtute indui ex alto, qua possit crucem Christi Domini, et iugum suave Divinae Legis perferre, eamque non verbi solum, sed vitae sanctissi-

mae et honestissimae actae exemplo tradere. Postea manus sacro oleo inungit: tum vero calicem cum vino et patenam cum hostia tradit, dicens: « Accipe potestatem offerendi sacrificium, missasque celebrandi tam pro vivis, quam pro defunctis », quibus caeremoniis et verbis interpres ac mediator Dei et hominum constituitur: quae praecipua sacerdotis functio existimanda est. Ad extremum vero, manibus iterum eius capiti impositis, « Accipe, inquit, Spiritum Sanctum; quorum remiseris peccata, remittuntur eis, et quorum retinueris, retenta sunt: eique caelestem illam, quam Dominus discipulis suis dedit, peccata retinendi ac remittendi potestatem tribuit. Haec vero sunt sacerdotalis Ordinis propria et praecipua munera ».

77. IV. **Nomen.** Hinc si ad tot tamque sublimia potestas sacerdotalis sese porrigit, mirum non est cur SS. Patres *presbyteri* et *sacerdotis* nomen mirificis efferant laudibus; e. g. *Ignatius ep. 10. ad Smirnens.* ait: « Sacerdotium esse omnium honorum, qui in hominibus consistunt, summam ». *Io. Chrys. l. de Sac.* Mirum non est cur Cathec. rom. nominis rationem reddens, ait n. 22: « Tertius omniumque Ss. Ordinum summus gradus est sacerdotium. Qui vero illo praediti sunt, eos veteres Patres duobus nominibus vocare solent. Interdum enim Presbyteros appellant, quod graece seniores significat, non solum propter aetatis maturitatem, quae huic Ordini maxime necessaria est, sed multo magis propter morum gravitatem, doctrinam et prudentiam.... Interdum vero sacerdotes vocant, tum quia Deo consecrati sunt, tum quia ad eos pertinet sacramenta administrare, sacrasque res et divinas tractare ».

78. Dotes. Item mirum hinc videri non debet, quod Ecclesia splendidissimis virtutis ac doctrinae dotibus ornatos sacerdotes requirat, atque adeo pro Ss. ministrorum delectu, vita, moribus et disciplinis multiplices et saluberrimos ediderit canones, quod statis dumtaxat diebus, quibus solemnia ieiunia ex vetustissimo more indicuntur, fiant ordinationes, fusis ad Deum sanctosque omnes ferventissimis precibus, ut scilicet, ait *Catech. rom. n. 30.:* « Fidelis populus eiusmodi sacrarum rerum ministros, piis et sanctis precationibus a Deo impetret, qui ad tanti ministerii potestatem recte et cum Ecclesiae utilitate gerendam aptiores esse videantur ».

Doctrina requiritur haud mediocris, non solum eorum cognitio, quae ad sacramentorum confectionem et administrationem pertinent, sed et ss. Literarum scientia, ad fidei mysteria, divinaeque Legis praecepta tradenda, ad fideles a vitiis revocandos, eosque ad virtutem pietatemque excitandos.

Quem fructum ut efficaciter afferant et fructus maneat, zelus animarum et innocentissimae vitae exemplum una cum dicta scientia sunt coniungenda. Et cum, qui sacerdotio initiantur, ob eam rem caelestis gratiae participes fiunt, ut eorum ministerio Ecclesiae atque omnium hominum saluti consulatur, praescribit tales esse sacerdotes, quales exhibet Apost. *ad Tit. et Timoth.;* ideo quia virtutis et innocentiae lumen aliis praeferre debent. Hoc est quod magnopere commendat Ecclesia per Episcopum ordinantem « Filii dilectissimi, quos ad nostrum adiutorium, Fratrum nostrorum arbitrium, consecrandos elegit, servate in moribus vestris castae et sanctae vitae integritatem. Agnoscite quid agitis, imitamini, quod tractatis, quatenus mortis dominicae mysterium celebrantes, mortificare membra a vitiis et concupiscentiis omnibus procuretis. Sit *doctrina vestra spiritualis medicina populo Dei, sit odor vitae vestrae delectamentum Ecclesiae Christi, ut praedicatione atque exemplo* aedificetis domum, idest familiam Dei, quatenus nec nos de vestra provectione, nec vos de tanti officii susceptione damnari a Domino, sed remunerari potius mereamur ». *Pontif. rom.*

TITULUS VII.

DE EPISCOPATUS ORDINE.

Praenotandum

79. Etsi unus sit sacerdotalis Ordo, duplex tamen est gradus, ratione dignitatis et potestatis diversus. Primus est Presbyterorum seu eorum, qui simpliciter sacerdotes vocantur, de quibus hactenus locuti sumus. Alter est gradus Episcoporum, qui scilicet Pastores ovium in sacris Litteris simpliciter appellantur, Episcopatibus singulis praepositi ad ceteros Ecclesiae

ministros et reliquos fideles pascendos, quorum munus et officium in Apostolorum actis *20. 28. et sq.* Paulus atque s. Petrus *in sua ep. I. c. 5. 23.* describunt. Episcopus proinde definiri communiter solet **Praelatus ecclesiasticus, sacerdotii plenitudine auctus, adeoque habilis ad omnia media, quae ad finem Ecclesiae obtinendum necessaria sunt, administranda**. Iamvero huius sacerdotii sublimioris gradus, quae sunt propria potestatis Ordinis tantum nunc exponimus duplici parte; quarum altera *de ipsa potestate Ordinis in facto esse* considerati, altera de ipso Ordine in fieri seu *de Episcopo quoad ortum* spectato agit. — In prima parte ex prolata Episcopatus definitione deducitur consectarium distinctionis Episcopatus a Presbyteratu, atque fidei dogmate asserto « Episcopos esse superiores presbyteris », duo gradus distincti atque sacramenta duo indicantur esse Presbyteratus et Episcopatus, quamvis hi duo diversi ordines nominari non soleant. Tum episcopalis ordinis potestatis natura atque extensio aperitur tam in genere, quam in specie circa Confirmationis et Ordinis sacramenta: circa quae, tam ea, quae propria et exclusiva iura ordinis episcopalis esse dicuntur, tam ea, quae saltem extraordinaria quadam delegatione Presbyteris possunt esse communia, recensentur.

§ I. DE IPSA POTESTATE ORDINIS IN FACTO ESSE CONSIDERATI.

Conclusio prima. — Episcopatus definitur: Ordo et sacramentum, quo confertur alicui specialiter potestas in sacramentum Confirmationis et Ordinis, itemque peculiaris ex divina institutione habilitas ad gregem Christi regendum, quae per legitimam missionem a Romano Pontifice acceptam ab eoque dependens, ad actum reduci debet.

80. *Declaratur.* Episcopatus idem quod inspectio, et Episcopi nomen sonat *inspectorem, speculatorem, exploratorem cum iurisdictione* (sensu etiam profano *cf. Petav. de E. H. l. II. c. 5*): in Novo Test. sonat eum, qui praeest, qui Ecclesiam regit, qui manus imponit, qui Presbyteros iudicat, qui depositum fidei custodit *Tit. I. 5; 1. Tim. V. 1. 7. 19. 22; VI. 20; 2. Tim. II. 2; IV. 2; Act. XX. 28.* Porro tempore Apostolorum qui

erant Episcopi vocabantur etiam Presbyteri *tit. I. 5. Act. XX. 17. 20.; Petri V. 1. 2.;* quod nomen est dignitatis et officii, licet forte non semper dignitatis *1. Tim. V. 1.* Certum non est omnem Presbyterum vocatum esse Episcopum, imo nomine Presbyteri etiam primis illis temporibus veniunt, qui Episcopo subsunt: e. g. *1. Tim. V.* praecipit Paulus Timotheo, ne recipiat accusationem adversus Presbyterum, nisi sub duobus vel tribus testibus. Ergo ibi Episcopus Presbyteros iudicabat. *Cf. Card. Franzelin De Ecclesia Christi (opus posthumum) thes. XVI.*

Unde dicendum videtur tale nomen Presbyteri prius generice usurpatum fuisse ad designandum munus quodvis sacerdotale cum iurisdictione, et postea evasisse nomen specificum pro certo ordine. Hoc est suum utrique gradui sacerdotum, procedente tempore, distributum est nomen. Presbyteri nomen generis inferiori ordini, Episcopi vero nomen speciei ordini superiori sacerdotum. Hi maiores sacerdotes vocantur *Episcopi*, vel *Antistites, quasi ante alios clericos stantes eisque praesidentes;* vel *Pontifices,* quia prae aliis multa possunt facere, vel *Principes Ecclesiae,* in qua supremum obtinent gradum. Dicitur *Ordo* et *Sacramentum,* quia Tridentinum dicit anathema iis, qui negant s. Hierarchiam constare Episcopis, Presbyteris et ministris, et *c. 4. eiusd. Sess. 23.* ait: « Docet insuper s. Synodus in ordinatione *Episcoporum, sacerdotum et caeterorum ordinum* »... ubi supponitur Episcopatum esse ordinem.

Et quoniam ordo est sacramentum, hinc videretur consequi ordinem Episcopatus esse sacramentum. Quaestio est an sit tum ordo tum sacramentum distinctum ab ordine et sacramento, tamquam aliud quid a Presbyteratu, cui mox respondebimus. Certum autem ex dictis sit, et infra melius attingetur, *Trid. Sess. 23. can. 7.* damnatos esse Aerium saec. IV. haereticum et Novatores acerrime propugnantes Presbyteros potestate tum Ordinis tum iurisdictionis, si ius divinum spectetur aequales esse. Sed a Theologis invictis rationibus ex SS. Scripturis et Traditione petitis ostenditur: *a*) Episcopos iure divino esse superiores Presbyteris. *b*) Certum pariter est duas dignitates, aut duo officia posse in unum convenire subiectum et eadem esse materialiter, quamvis formaliter sint duae functiones diversae, sicut in Melchisedech, qui erat Rex simul et

sacerdos Altissimi; in eo enim dignitas regia et Summum Sacerdotium.

Confertur potestas in Ordinem et Confirmationem.... quod indicat praecipuum obiectum, circa quod versatur Episcopalis potestas. *Peculiaris ex divina Christi institutione:* Salvator enim ex discipulis eligens duodecim, hos apostolos nominavit, misitque sicut illum misit Pater, ut testimonium perhiberent de ipso, et euntes in mundum universum praedicarent evangelium omni creaturae, atque essent testes resurrectionis cum potestate ligandi atque solvendi. Apostoli, qui agnoverunt se mortales, Ecclesiam autem duraturam usque ad consummationem saeculi, auctoritate a Christo Domino accepta transfuderunt in Episcopos, tamquam suos in regenda Ecclesia successores, totum quidquid ad eius aedificationem et conservationem erat necessarium ita, ut Episcopi, quibus manus Apostoli imposuerunt, ab ipso Spiritu Sancto censerentur positi regere Ecclesiam Dei. Episcopi ergo successerunt in locum Apostolorum quoad regimen: non quoad Apostolatum, nec singuli quoad infallibilitatem et copiam Spiritus Sancti, quoad plenitudinem scientiae, quoad donum linguarum et miraculorum, nec quoad missionem immediatam.

Dicitur *Habilitas ad regendum,* quia non ipsa ordinatione, sed per Romani Pontificis missionem seu immediate a Romano Pontifice, mediate a Christo Domino habent Episcopi suam in populum iurisdictionem. Hinc patent verba seqq. defin.

Quae per legitimam missionem a Pontifice acceptam, ab eoque dependentem ad actum reduci debet. Habilitas supradicta intelligitur ad omnia media administranda, quae generatim necessaria sunt ad finem Ecclesiae obtinendum, speciatim ut omnia sacramenta conferre valeant, praesertim Ordinem et Confirmationem; in regimine quoad directionem intellectus, ut sint veri iudices fidei *infallibiles una cum Romano Pontifice;* quoad directionem voluntatis, ut habeant veri perfectique imperii iura. Iamvero haec capacitas, habilitas, honestas, nequit reduci ad actum, nisi legitima habeatur *missio,* h. e. nisi Episcopalis iurisdictio in singulos consecratos Episcopos derivetur auctoritate sive mediata sive immediata Romani Pontificis: non autem ipsa consecratione, qua tantum potentia confertur sa-

cramenta conficiendi et *habilitas* ad gregem Christi regendum, non autem facultas eiusdem et potentiae et habilitatis exercendae. Dicitur *a Romano Pontifice acceptam,* quia ipse unus Romanus Pontifex auctoritate gaudet in universam Ecclesiam, atque ius constituendi dioeceses: *ab eoque dependentem,* h. e. exercere debet dependenter a Romano Pontifice, ita ut huius sit non modo loca determinare, in quibus illam exerceant, verum etiam eamdem et suspendere et restringere, et si necessarium visum fuerit, alio submisso pastore, etiam inhibere, sed de potestate iurisdictionis alibi.

81. Corollar. Ex hac porro definitione statim liquet **iure Episcopatum dici plenitudinem sacerdotii,** quia praeter ea omnia, quae Presbyteris communia sunt, quaedam habet sibi propria potestate ordinaria et in quibusdam etiam exclusiva. Nam, ut loquamur tantum de potestate ordinis, ad plura et maiora extenditur haec in Episcopis, quam in solis Presbyteris. Episcopus enim, quamvis sacerdos sit per ordinationem presbyteralem, tamen est Summus Sacerdos, eo quod per consecrationem Episcopalem potestatem obtinet instituendi sacerdotes, atque regendi in celebratione mysteriorum et administratione aliorum sacramentorum, qui proinde dependenter ab ipso licite valeant munus suum sacrum exercere.

Conclusio secunda. - Dogma *a*) **fidei est Episcopos esse superiores Presbyteris : et licet** *b*) **Episcopatus et Presbyteratus sint iure divino duo distincti gradus et Sacramenta, tamen** *c*) **non denominantur duo diversi Ordines penes omnes.**

82. *Prob. 1. pars. Saltem* **quoad potestatem ordinis, Episcopi sunt Superiores Presbyteris.** Nam 1) *Trid. Sess. 23. de Sacramento Ordinis can. 7.: Si quis dixerit Episcopos non esse Presbyteros superiores, vel non habere potestatem ordinandi et confirmandi, vel eam quam habent esse cum Presbyteris communem..... anathema sit.* 2) Soli Episcopi sunt ministri ordinarii tum Sacramenti Ordinis tum Sacramenti Confirmationis; ergo quoad potestatem Ordinis distinguitur et praestat Episcopatus.

83. *Prob. 2. pars, quoad 1^m. scilicet quod* **presbyteratus et Episcopatus distinguantur ceu duo gradus et duo Sacramenta distincta.** Quod *Presbyteratus sit Sacramentum* patet

a) *ex Sacra Script.,* praesertim *1. Tim. IV. 14; 2. Tim. I. 6,* ubi sacra ordinatio exhibetur tamquam sensibile signum et practicum gratiae, quod proprium est Sacramentorum N. L.; *b*) solemni iudicio Ecclesiae *Trid. Sess. 7. et 23. cap. 1. 3. et can. 4,* sacerdotium scilicet semper creditum est esse Sacramentum: atqui semper pariter creditum est a sacerdotio separari non posse presbyteratum, seu presbyteros vere esse sacerdotes. Et sane creditum est semper, ipsis presbyteris competere potestatem sacrificandi, qua sacerdotium proprie constat, ac remittendi peccata, ita ut sint in sacerdotio Apostolorum successores: atqui patet non omnes Presbyteros fuisse et esse Episcopos, quamvis omnes Episcopi semper Presbyteri; ergo. Unde cum constet Presbyteratum esse Sacramentum separatum ab Episcopatu, si probetur Episcopatum in eo, quod superaddit presbyteratui et in quo stat essentia Episcopalis, habere rationem Sacramenti; probatum manet esse duo Sacramenta Episcopatum et Presbyteratum, quatenus distinguuntur.

Episcopatus est Sacramentum. Nam Sacramentum est ille ritus, quo confertur divina potestas, eaque iure divino inamissibilis sacramenta quaedam faciendi, et quo confertur interior gratia sanctificans: atqui ordinatione Episcopali confertur potestas ordinandi et confirmandi, quae est certo divina, quia aliquis ordo est sacramentum et confirmatio pariter sacramentum est. Quod sit inamissibilis patet ex charactere indelebiliter impresso et ex communi sententia, etiam degradatum Episcopum valide ordinare. Gratiam sanctificantem conferre patet ex eo, quod Tridentinum ait per sacram ordinationem dari Spiritum Sanctum, h. e. gratiae infusionem distinctam a characteris impressione..... Haec ratio theologica deducta ex decisionibus Tridentini *cf. cum textib. ipsius Conc. Trid.* cum dicit, *a*) Episcopos supra Presbyteros gradum eminentiorem, ideoque proprium ordinem tenere in electione eius Episcopi, qui super omnes gradus constituitur *Sess. 24. c. 1. de Ref.; b*) eosdem etiam ratione ordinis antecellere Presbyteris eo, quod potestatem confirmandi ordinandique exclusive habent *Sess. 23. Can. 7; c)* per sacram ordinationem dari Spiritum Sanctum, nec Episcopos frustra dicere accipe *Spiritum Sanctum, Trid. l. c. c. 3. 4.*

Prob. 2. pars, quoad 2. scilicet quod sint **duo distincti gradus** et Sacramenta ex **institutione divina.** *a*) Nam consecratio Episcopalis, qua Episcopalis potestas confertur, est verum Sacramentum: atqui Unus Christus Dominus est immediatus institutor Sacramentorum; *b*) per hanc potestatem imprimitur character et confertur gratia sanctificans, ita ut nequeat ab homine impediri, si valida est consecratio: *c*) potestas haec pertinet ad Episcopum, qua talem: per ipsam enim habetur summus sacerdos: atqui Episcopatus est divinae institutionis, quia Episcoporum ordo ad intimam Ecclesiae essentiam et formam pertinet, qui Ecclesiae coaevus est, et iuxta Doctores, e. g. Ignat. apud Hurter quia *sine iis* (scilicet Presbyteris Diaconis Episcopis) *Ecclesia non vocatur.*

84. *Pars 3.* Ast eo quod duo Sacramenta sunt, *an duo distincti ordines dicendi?* Solutio iam patet ex dictis.

Dist., sunt duo Sacramenta et duo ordines; partiales tamen, quatenus sunt duo distincti gradus, quorum cuique competat sua propria potestas, suusque proprius character, *Concedo;* quatenus *formaliter* Episcopatus dicitur plenitudo sacerdotii. *Nego,* Intelligitur 1^{m}. distinctionis membrum; 2^{m}. membrum etiam patet, si advertatur quod formalis locutio *summus sacerdos, plenitudo sacerdotii* dicit unionem et complexionem quamdam, scilicet esse sacerdotem et summum sacerdotem. Porro Episcopus et sacerdos, et sacerdotium simpliciter obtinet per ordinationem presbyteralem; est autem summus sacerdos per consecrationem Episcopalem. Nec duo sunt in Episcopo sacerdos et summus sacerdos; summus enim seorsim per se nihil est: sed is obtinet esse *summum* ordinatione ea, qua character sacerdotalis amplificatur, ut qui potest consecrare Eucharistiam atque peccata remittere, possit et consecratores et iudices animarum constituere, eosque regere.

Conclusio tertia. — Potestas ordinis, si de Episcopis sermo sit *a)* **ad potestatem refertur conficiendi omnia Sacramenta; character autem essentialis potestatis episcopalis in eo est,** *b)* **quod semel recepta amitti non possit, adeoque valide semper, etsi quandoque illicite suos actus exerceant. Item** *c)* **ratione ordinis omnes Episcopi sunt aequales, etiam quoad actus, eidem potestati subiectos, saltem relate ad validitatem: quod** *d)* **dici nequit de potestate iurisdictionis.**

85. *Prob. 1. pars.* **Potestas ordinis Episcopalis refertur ad conficienda omnia Sacramenta.** Ex tota enim Constitutione divinae Ecclesiae Episcopos a Deo institutos esse, ut sint in partem sollicitudinis Romani Pontificis vocati, habiles ad fideles sibi creditos perfecte regendos, atque ob eamdem rationem ad supremum hierarchiae ordinis gradum evecti, eâque potestate instructi, qua in genere habiles facti fuerint ad omnia media, quae ad finem necessaria sint administranda: atqui potestas conficiendi omnia sacramenta est medium necessarium.

86. *Prob. 2. pars.* Quod **potestas ordinis Episcopalis semel accepta amitti non possit,** patet ex doctrina Ecclesiae de charactere, qui per sacram ordinationem imprimitur: atqui sacra est ordinatio Episcopalis; et character est inamissibilis: ergo etiam potestas, quae semper una est cum charactere. Ordinatio Episcopalis est etiam consecratio et quidem talis, qua confertur supernaturalis potestas: porro haec supernaturalis potestas iuris divini est, quippe quae est ad conficienda Sacramenta, quae a solo Deo esse potest: atque adeo est *potestas manens* ex iure divino. Nam manet eo ipso, quod vi sacramenti ordinationis collata est ita, ut fieret iniuria sacramento, si ipsum repeteretur. Consonat Augustinus, praesertim *contra epist. Parmen.*, ubi inter plurima ad rem nostram, ait *l. 2. n. 28,* quod « qui in Catholica ordinati sunt, si post factum schisma ad eam redierunt, non sunt rursum ordinati, sed sicut baptismus in eis ita ordinatio mansit integra: quia in praecisione fuerat vitium, quod unitatis pace correctum est; non in sacramentis, quae ubicumque sunt, ipsa sunt ». Et hoc ideo, quia quadam consecratione homini datur, ut idem Augustinus ibid. dixerat: « Utrum-

que enim (baptimus et ordinatio) sacramentum est, et quadam consecratione utrumque homini datur; illud cum baptizatur, istud cum ordinatur: ideoque in Catholica utrumque non licet iterari ». Ex his intelliguntur reliqua huius partis, adeoque *valide semper,* etsi quandoque illicite suos actus exerceant. Ordinati Episcopi ex doctrina Catholica manent Episcopi, etiam degradati: atqui hoc esse nequit, nisi manet potestas Episcopalis. Et sententiae Sanctorum Patrum, praesertim a Magistro *in IV. dist. 25. n. 1.* allatae, non invalidam, sed illicitam docent ordinationem: et negant, potestatem executionis, honorem gradus et iurisdictionem per eam conferri. Unde Episcoporum, qui sint praecisi et degradati, actus spectantes ad potestatem ordinis *valent,* quamvis illiciti prorsus fuerint.

87. *Prob. 3. pars.* Ratione ordinis **omnes Episcopi sunt aequales** etiam quoad actus eidem potestati subiectos, saltem quoad validitatem. In Episcopali enim consecratione omnes inamissibilem potestatem acceperunt, quae essentialis est Episcopatui, eosque constituit in ordine Episcoporum. Unde in hac potestate, qua, vi consecrationis Episcopalis fiunt et manent Episcopi, licet degradati et praecisi ab Ecclesia, unus non est altero superior. Ergo omnes absque ullo discrimine possunt valide ea sacra ministrare, quorum effecti sunt ordinarii ministri, quamvis licitus eiusdem potestatis usus possit ab Ecclesia adimi vel suspendi.

88. *Prob. 4. pars.* **Quod idem nequeat de potestate iurisdictionis affirmari** patet ex Iure publico Ecclesiastico. Ob primatum enim supremae iurisdictionis Romanus Pontifex in universam Ecclesiam etiam in Episcopos, qua tales et seorsim et collective sumptos, gaudet potestate: unde Episcopi ex Ecclesiae constitutione totam iurisdictionis potestatem nonnisi dependenter a Romano Pontifice exercere debent, ita ut eiusdem sit, non modo loca determinare, in quibus illam exerceant, sed eamdem et suspendere et restringere, et, si necessarium visum fuerit, alio submisso pastore, etiam inhibere.

Conclusio quarta. — Sacramentum Confirmationis *a)* **iure ordinario et insito a solo Episcopo confertur.** *b)* **Hinc simplex sacerdos, nonnisi ex peculiari privilegio apostolico potest confirmare; idque dependenter ab Episcopo, h. e. chrismate ab Episcopo benedicto.**

89. *Prob. 1. pars.* Haec pars de fide est definita, in Concilio Constantiensi damnante errores Wickleffii; ab Eugenio IV. in Decreto Instr. ad Armenos; a Tridentino *Sess. 7. c. 3:* « Si quis dixerit, Sacrae Confirmationis Ordinarium Ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem sacerdotem, anathema sit ». *Cf. et Sess. 23. can. 7.* Ad Theologos remittimus probationem ex sacris Scripturis et Traditione, modo sufficit addere quod Innoc. I. *ep. 25. ad Decentium n. 6.* scribit: « De consignandis vero infantibus manifestum est, non ab alio, quam ab Episcopo fieri licere. Nam presbyteri, licet secundi sint sacerdotes, pontificatus tamen apicem non habent. Hoc autem pontificium solis deberi Episcopis, ut vel consignent vel Paracletum spiritum tradant, non solum consuetudo ecclesiastica demonstrat, verum et lectio actuum apostolorum » *8. 14. seq.*

90. *Prob. 2. pars;* quae olim acriter fuit controversa nunc certa est. Etenim Sedis Apostolicae praxis est, ut identidem simplicem presbyterum deputet ad Confirmationem administrandam **cum Chrismate ab Episcopo confecto,** ut constat ex documentis hanc praxim testantibus apud *Bened. XIV. de Syn. l. 7. c. 7. n. 7,* qui ait: « Quare non videtur hodie fas esse, potestatem de qua olim disceptabatur, Summo Pontifici abiudicare. Quoniam, ait Veracrux, de Pontificis potestate, postquam dispensavit, dubitare instar sacrilegii est: esset enim Christo quasi exprobrare, quod non satis Ecclesiae suae providisset ». Addidi, *idque dependenter* ab Episcopo h. e. chrismate ab Episcopo benedicto ideo, quia in Indultis concessis simplici presbytero Confirmationem administrandi, semper pro conditione apponitur, quod simplex praedictus presbyter utatur chrismate ab Episcopo sacrato.

Ad quaestionem vero, utrum et confectio Chrismatis possit a Summo Pontifice simplici presbytero permitti, *Resp.* non

unam esse Doctorum sententiam: negat *Schmalzgrueber ad tit. XIV. l. 1. Decr. n. 5.* et plures alii: attamen tenendum etiam videtur cum *Bened. XIV. l. c. c. 8. n. 1. et 2.* posse Sedem Apostolicam simplici sacerdoti concedere, non tantum ut confirmationem ministret: sed *etiam ut S. Chrisma conficiat.* Ita quoad hoc etiam ultimo tenent plurimi Doctores ideo, quia si summus Pontifex ex suprema auctoritate potest simplici sacerdoti munus demandare conficiendi sacramentum Confirmationis, de se ceteroquin adnexum ordini episcopali, eo magis poterit committere, ut praeparet eius materiam.

Conclusio quinta. — Potestas vero Ordines conferendi, Episcopis competit non solum iure proprio, etiam exclusivo omnino, saltem si de ordinibus hierarchicis et sacris. sermo sit

91. *Prob.* relate ad collationem Episcopatus, Presbyteratus et Diaconatus. Omnibus enim inspectis in hoc potissimum Patres constituunt essentiale discrimen inter Episcopos et presbyteros; atqui nullum amplius foret discrimen, si tale ius non esset exclusive proprium Episcoporum, conferendi scilicet dictos ordines.

Obiiciunt privilegium, quod dicitur ab Innocentio IV. concessum abbati Cisterciensi conferendi Diaconatum.

Resp. Sed id, monumentis examinatis, vel prorsus reiicitur vel depravatum censetur. Unde, ait Perrone, obsoleta omnino et iam gratis asserta ea censetur opinio, qua nonnulli veteres scholastici censebant ex delegatione Romani Pontificis posse presbyterum simplicem esse ministrum extraordinarium diaconatus et presbyteratus. Dicimus saltem quoad ordines Hierarchicos et sacros, excepto scilicet subdiaconatu et ordinibus minoribus. Nam hos omnes posse ex delegatione Romani Pontificis conferre simplicem presbyterum convenit inter Theologos propter concessionem factam tum *olim* chorepiscopis, qui erant simplices presbyteri, tum recenti quoque aetate simplici sacerdoti a Romana Sede. *Cf. Bened. XIV. de Syn. l. 2. c. II. n. 615.*

92. *Scholion.* Distingui potest duplex veluti pars potestatis episcopalis, sive species: 1ª. est earum rerum quae ex divina,

institutione ad Episcopos proprie pertinent, scilicet administratio confirmationis et ordinum collatio et generatim omnium Sacramentorum ; 2ª. est earum rerum, quae ex institutione Ecclesiae solis Episcopis commissa sunt, e. g. Regum et sacrarum virginum consecratio, Ecclesiarum et altarium, benedictio abbatum, et generatim omnis benedictio, in qua sacra unctio adhibetur. Prima autem species potestatis adhuc subdividitur in duas, scilicet ex institutione divina in potestatem earum rerum, quae simplici presbytero delegari possunt, et in potestatem earum rerum, quae huic delegari non possunt. Ea, quae ex institutione divina sunt Episcopi propria vel exclusive, vel quae ex delegatione Romani Pontificis delegari simplici presbytero possint, iam vidimus supra.

Ad 2ªm. speciem quod attinet, earum nempe rerum, quae institutione ecclesiastica solis Episcopis commissa sunt, aliud generatim dicendum non occurrit, quam cum Ecclesiae suprema auctoritate sint instituta, atque Episcopali ordini affixa, ideo Episcopi nequeunt ea presbyteris demandare. Hinc etiam sequitur quod, cum horum et usus et validitas ab Apostolica Sede dependeat, potest Romanus Pontifex Episcopos e. g. privare facultate valide consecrandi templa, quod factum legimus *can. Ecclesias 21. et seqq., dist. 7. de Consecr.*, ubi templa aliasque res, quae ab Arianis fuerint consecrata, iterum consecrari praecipitur. Ex his porro rebus quaedam presbyteris extraordinarie concedi solent, e. g. sacerdotalium paramentorum benedictio ; imo si non factum sed ius spectetur ut plenius dicamus, ex his omnibus quae iure communi affixa sunt Episcopatus ordini, nihil est quod Romanus Pontifex per se presbytero concedere non possit.

§ 2. DE EPISCOPATU QUOAD ORTUM SEU DE MODO, QUO POTESTAS ORDINIS EPISCOPALIS ACQUIRITUR.

Conclusio sexta. — Ad Episcopalis consecrationis *a)* **essentiam spectant tantum manuum impositio et verba accipe Spiritum Sanctum; ad** *b)* **praeceptum vero reliqua ritus pertinent, eam sive praecedant, e. g. mandatum apostolicum et ieiunium, sive comitentur, quaeque nominatim versantur circa ministrum, tempus, locum, aliosque peculiares ritus;** *c)* **hanc tandem consecrationem varii consequuntur effectus.**

93. *Declaratur et prob. 1. pars.* Modus, quo potestas ordinis acquiritur, est ritus ille, quo ordines conferuntur, quique *Consecratio* dicitur, cum agitur de conferendo Episcopatus gradu; cum autem de ceteris ordinibus res est, *Ordinatio* appellatur. De hac iam egimus; nunc de illa. — Et primo quidem quid *in Consecratione essentiale sit,* tum quid tantum praeceptum, quique tandem legitimi sint eiusdem effectus, breviter aperiemus.

Et in hac parte ad 1^m. quod pertinet, iis omissis, quae attinent ad ministrum et suscipientem, qui debet esse presbyter, de quibus agemus, cum res erit de Sacramentis in genere, ne ab ordine, qui apud ceteros invaluit, absque vera necessitate deflectamus; **in ritu ipso Consecrationis essentialia** quae sint, facile deprehenditur. Cum enim in ordinibus conferendis ritus essentiales ii habeantur, quibus materia ac forma ordinis continetur; hinc in Episcopi consecratione *manuum impositionem,* verbaque *accipe Spiritum Sanctum,* quae in ipsa manuum impositione proferuntur, essentialia habenda esse manifestum est; quandoquidem in eiusmodi actu ac verbis materiam ac formam Episcopatus contineri fere omnes consentiunt *arg. 1. Tim. 1. 6. Cf. Catalani in Pontif. Rom. Tit. XIII. § 18, et Benedict. XIV. de Synod. l. 8. c. 10. n. 4. sqq.* Nam α) per annos ad minimum 900 in universa Ecclesia ordines hierarchici collati sunt per solam manuum impositionem absque ullius instrumenti traditione. β) Nec Ecclesia Romana, nec Concilium Generale ullum, improbaverunt unquam ordinationes sacras in Ecclesia Graeca, sola manuum impositione peractas. *Unde nec Chri-*

smatis sacri unctio in capite et in manibus necessaria est de essentia; Ita *a*) *Gloss. v. Tertia, dist. 75 ; Sylvius, Layman, Palaso, Gonzalez, Wiestner* aliique penes *Schmalzgrueber tit. XV. n. 8. (I. Decr.); b*) in Sacra Scriptura, ubi sermo de Consecratione incidit, nulla mentio fit de sacra unctione; *cf. 1. Tim. IV. 14; 2 Tim. 1. 6; c*) penes Patres consecratio et impositio manuum pro eodem habentur; *d*) Ecclesia graeca sola manuum et pallii impositione utitur; *e*) sola manuum impositio et prolatio formae *accipe Spiritum Sanctum* significat sufficienter effectum sacramentalem, i. e. plenitudinem gratiae, quae cum episcopali potestate consecrato confertur, atque Spiritus Sancti copiam; *f*) chrismatica unctio, si fuisset omissa, *ex cap. un. h. t.* suppleri, non autem iterari debet ipsa consecratio ; atqui si talis unctio fuisset de essentia, deberet iterari tota consecratio: cum impositio manuum penes omnes sit de essentia, sicut verba *accipe Spiritum Sanctum* sunt essentialiter forma. Ita intelligendum est *c. 1. de sacr. unct.,* ubi animadvertendum improprie ac largiori sensu asseri, unctionem hanc esse de iure divino, nempe quatenus instituta sit *more Moysis,* i. e. V. T. et Apostolorum, adeoque in ea ipsa decretali statuitur omissam unctionem *suppleri* debere, non autem consecrationem in eo casu iterari. *Cf. Giraldi P. 1. Sect. 11. nota 2. pag. 72.*

94. *Declaratur 2. pars.* Ex his autem protinus sequitur cetera, quae circa hanc consecrationem versantur non ad essentiam pertinere. At ea, quae licet essentialia non habeantur, **canonica tamen auctoritate praecepta sunt**, adeoque omitti nullatenus debent ; cum plura sint, hinc distinguere eadem praestat in ea, quae praecedunt et in ea, quae comitantur consecrationem.

I. Quae praecedere oportet, haec sunt praecipue: 1°. Nemo consecrari debet, nisi prius constet consecratori de commissione consecrandi, sive per litteras Apostolicas, si sit extra Curiam; sive per commissionem vivae vocis oraculo a Summo Pontifice consecratori factam , si consecrator ipse sit Cardinalis, *Pontific. Rom. tit. III. § 1, Bened. XIV. Constit. In postremo 20. Octob. 1756.* Hoc mandatum Apostolicum, sine quo nullus Episcopus ordinari debet, post Lateranense IV. et post schismaticam in aliis Patriarchatibus inobedientiam necessario exi-

gitur; 2°. statuta die consecrationis, tam consecrator quam electus conveniens est, ut praecedenti die ieiunent, *Pontific. Rom. Tit. XIII. § 2.*

II. Ex iis vero, quae consecrationem comitari debent, praecipue haec sunt: 1. Quoad *ministrum* consecrationis: licet ad validitatem unus Episcopus sufficiat *Clem. XI. in suis lit. 26. Nov. 1718. apud Bened. XIV. de Synod. l. XIII. c. 13;* nihilominus adesse eidem debent saltem alii duo Episcopi Pontif. Rom. *Tit. 13. § 5. Can. 1. 3. 4. 6. Dist. 64. et Bened. XIV. l. c.* 2. Quoad *tempus* et dies et hora praefinita est: dies quippe debet esse dominicus, vel natalitius Apostolorum, vel etiam quodlibet aliud festum, si summus Pontifex id specialiter indulserit, *Pont. Rom. Tit. XIII. § 2; Bened. XIV. cit. Const. In postremo.* Horam autem tertiam esse oportere docet *can. 1. Dist. 75. ibiq. Gloss.;* quamquam reticendum non sit *Pont. Rom. Tit. XIII. § 6.* uti largiori formula, i. e. *hora competente.* 3. Quoad *locum,* si extra Curiam Romanam fiat, in Ecclesia, ad quam quis promotus est aut in provincia (si tamen commode fieri potest) celebranda est. *Conc. Trid. Sess. 23. c. 2. de Ref.*

4. Quoad **peculiares ritus,** praeter dicta adnotentur sequentes: I. *Iuramentum* obedientiae ab eo, qui consecratur, Romano Pontifici praestandum coram consecratore post recitatum Apostolicum mandatum, iuxta formulam, quae habetur in ipso Pontificali Romano. II. Ad varias interrogationes de fide et de moribus electus respondet *volo,* aut *credo.* III. Inchoatur sacrum et lecta epistola et graduali recitantur Litaniae Sanctorum. IV. Evangelii liber imponitur cervici et humeris electi. V. Consecrator et duo assistentes Episcopi ambabus manibus caput consecrandi tangunt dicentes: *Accipe Spiritum Sanctum,* formula scilicet ad nullum usum sacrum restricta, quia ei Spiritus Sancti ac Sacerdotii plenitudo infunditur. VI. Recitatis quibusdam precibus et invocato Spiritu Sancto, ungitur caput electi competente formula. VII. Post alia cantica unguntur eodem chrismate manus. VIII. Traditur consecrato baculus pastoralis et liber Evangeliorum. IX. Consecrator et Assistentes recipiunt consecratum ad osculum pacis. X. Abstergitur caput consecrati; lavantur manus; pergitur in Missa; ad offertorium

offert consecratori consecratus duo intorticia accensa, duos panes, et duo barilia vino plena. XI. Uterque simul peragit sacrum; communionem consecrator praebet consecrato sub utraque specie. XII. Consecrati inseruntur chirothecae manibus, imponiturque mitra capiti. XIII. Consecratus in Sede Episcopali inthronizatur. XIV. Tandem dum cantatur hymnus ambrosianus consecratus ducitur per Ecclesiam, qui omnibus benedicit, solemnem dat benedictionem et finitur caeremonia osculo pacis.

95. *Declaratur 3. pars.* **Consecrationis** autem **effectus** praeter episcopalis ordinis susceptionem recensentur praesertim 1. ut qui antea simpliciter Electus, post consecrationem Episcopus appelletur; 2. ut per eam habeatur consummatio spiritualis coniugii. Antiquissima est denominatio, qua Ecclesia Episcopo destituta, vocetur viduata; unde nil novi Innoc. III, cum, *c. 2. et 4. de Trans. Episc.,* matrimonium spirituale inter Episcopum et Ecclesiam asseruit. Vidua enim non dicitur, nisi quae habuit maritum. 3. Sed ante alios praecipue memorandus effectus est, quod iure communi inspecto, cetera beneficia, quibus Episcopus antea fruebatur, consecratione peracta, vacant *c. 7. § Cum vero, de Eccl.* Dixi, iure communi inspecto. Ea enim iam inoluit consuetudo, ut in ipsis Apostolicis litteris, quibus ad Episcopatum quis promovetur, Beneficiorum, quibus ille fruitur, vacatio statim decernatur, ita ut etiam ante consecrationem, inita tamen Episcopatus possessione, beneficia illa vacare censeantur. *Cf. Riganti Comment. in Reg. Cancell. t. 1. in Reg. 1. § 7.*

Denique appendicis loco animadvertendum est, eos, qui ad Episcopatum promoti sunt, ad *maturandam consecrationem* ea lege *teneri,* ut si intra tres menses eamdem non susceperint, ad fructuum perceptorum privationem et restitutionem ipso iure teneantur, *Conc. Trid. Sess. 23. c. 2. de Ref., Bened. XIV. Const. Pastor bonus 3. April. 1744. § 21;* nulla etiam praecedente sententia declaratoria, *Girald. Expos. Iur. Pont. Part. 2. sect. 79.* Et si totidem menses id facere neglexerint, ipsius Ecclesiae, ad quam promoti fuerant, privationem incurrant, *Trid. l. c.,* ita tamen ut sententia declaratoria praecedat *Girald. l. c.*

TITULUS VIII.

DE COMMUNIBUS CLERICORUM OFFICIIS.

Praenotandum.

96. Transitus et Ordo rei tractandae. Ex notione Clericatus, ex potestate ordinis et ex muniis obeundis, ipso ritu ordinationis impositis propter aliorum salutem et sanctificationem, consequuntur officia seu obligationes, nec non iura et privilegia, ex quibus etiam, sicut clericatu et ordinibus, ita, Clerici a Laicis distincti prorsus atque segregati sint, oportet. Agemus distinctis titulis de Officiis et privilegiis. De privilegiis dico communibus; nam de iis, quae cuiusdam classis e. g. Episcoporum vel Cardinalium, propria sunt, suis in locis erit sermo. Sed hoc titulo de officiis, quae clericis omnibus communia sunt: in seq. vero quae sunt propria maiorum ordinum vi sacrae ordinationis. Cum vitae sanctimonia rerumque humanarum contemptio propriae sint clericorum, cumque ii aeternae salutis ministri ceteris esse debeant, pronum est consequi haec in eorum officio contineri: 1. ut quae terrenas sapiunt curas, quaeque caeteris scandalo esse possint, devitent; 2. ut ea quae aptos ad ministerium suum exercendum ipsos efficiant, exequantur. Hinc duplex officiorum ordo, quorum alia sunt positiva, alia negativa: de singulis.

I. DE POSITIVIS CLERICORUM OFFICIIS.

Summarium. Ad positiva Clericorum communia officia, praeter scientiam congruam 1) recensentur obedientia Episcopo debita et vitae honestas; 2) porro ad honestatem vitae praeter rectam intentionem in suscipiendis atque exercendis ordinibus, muniisque clericalibus, et praeter exercitium virtutum clericatui convenientium, referantur α) usus sacramentorum; β) Ecclesiae ministerium, et γ) debitus corporis externus cultus exigens 3) ita gestare habitum et tonsuram, ut si quis laicales vestes assumpserit, puniri debeat ad normam Clem. *Quoniam*, de Vita et hon. Cler., et Trid. Sess. 14. c. 6. de Ref., nisi causa iusta excuset.

97. *Declaratur 1^m^.* Scilicet **Scientia et Obedientia Episcopo debita.** In primis, quae in genere de positivis clerico-

rum officiis Sacri Canones habent, praecipue ad tria enunciata referuntur, scilicet ad honestatem vitae, ad habitus formam, cum quo tonsuram coniungunt, et ad obedientiam Episcopo debitam; ex quibus duo priora, ut laicis exemplo praeluceant; tertium ut sua ministeria ordine agant statutum est: iuxta quae tres partes Summarii procedunt. Omittimus speciatim de scientia clericis necessaria disserere, cum de hac iam quaedam dixerimus, ubi de qualitate ordinandorum; et plura addemus, ubi de qualitate praeficiendorum, nunc tantum in genere duo advertentes: *a*) scientia utique eminens in singulis absolute non requiritur, sed valde competens et sufficiens ad populum docendum et ad sacramenta administranda, et ita ut *imperfectum scientiae suppleat perfectio charitatis. Innoc. III. c. 10. de Renunc.; b*) alterum est praeceptum *Greg. IX. ut Clerici se in officiis ecclesiasticis, et in aliis bonis studiis exerceant diligenter, c. 15. de Vita et hon. Cler.* Praesertim in iis scientiis opus est multo tempore, unde cum aliis de causis, tum ad temporis et laboris compendium faciendum et frequentent scholas atque academias, et libros habeant, sine quibus ceu milites absque ductore essent et armis.

Veniamus **ad obedientiam.** *De obedientia Episcopo debita, ea in genere* sacrorum canonum mens est, ut clerici in ea praestanda *dociles se ac diligentes praebeant; Episcopi vero prudentes in exigenda.* Unde clerici imperanti Episcopo, sive procedat ut iudex, sive communem iuris formam servet, sive agat ex informata conscientia, obedire omnino tenentur. Ad haec, Clerici Episcopos precibus, concordia, charitate ut filii patres iuvare prorsus debent, ab eorum maxime offensione abstinentes, ne iuxta Greg. VII. Bullam *Clerum vestrae,* si Episcopo infesti, eum accusent vel insectentur, infames fiant, atque a clero submoti, ad agendam, usque ad extremam vitam, poenitentiam in monasterium detrudantur.

In specie autem adnotandum est: 1. non licet clericis sine Episcopi venia e dioecesi discedere *can. 37. d. 3. de Consec.; c. 7. de voto;* ea tamen sine iusta causa denegari ab Episcopo nequit, *S. C. C. in Sign. decretor. 17. Sept. 1743. ad 1.* Qui vero omnino deserere velint dioecesim, eatenus ob Ecclesiae necessitatem retineri possunt ab Episcopo, quatenus alicui Ecclesiae

fuerint adscripti *S. C. C. in Ariminensi 5. Dec. 1574;* et si presbyteri sint, iisdem de congrua provideatur *S. C. C. in Reatina 26. Ian. 1833;* quae notanda etiam ob ius declaratum reviviscentis adscriptionis post dimissum habitum regularem. 2. Nequit imponere Episcopus onera in iure non expressa, eaque insueta *S. C. C. in Auximana 26. Nov. 1701. et 13. Aug. 1702; Fagn. in c. Consequente de Off. iud. Ord. n. 8. seq.,* e. g. clericos (puto Clericos Ecclesiae non adscriptos, aut qui presbyteri sint) non beneficiatos adigere ad processiones, vel ad alia divina officia peragenda, *S. C. C. apud Bened. XIV. Inst. 31.* vel clericos nondum in sacris constitutos ad collationes de casibus conscientiae *S. C. C. in Larinen. 30. Aug. 1732. et in Salern. 27. Sept. 1732.* Si qua vero consuetudo sit, servanda est. *Cf. Ferraris V. Episcopus a. 6. n. 97; Bened. XIV. l. c. 102. et 103.*

98. *Declaratur et prob. 2^m.* **Maxima honestas,** ut in genere modo loquamur, requiritur in omnibus omnino clericis, prout statuit Ecclesia *in tit. De vita et honestate Cleric., in tit. seq. de cohabitatione mulierum. tit. 50. Ne clerici vel Monachi.* Innumeri sunt canones Concilii Generalis et particularis, quibus maximo commendatur opere, haec honestas. In praxi autem universali et constanti totius Ecclesiae quotidiana vigilantia Pastorum, ut tot saluberrimae leges executioni mandentur, idem ostendit. Unde toto pectore in maximae honestatis studium iam a teneris unguiculis incumbere debent, qui in sortem Domini vocantur.

Nam id suadet 1) gravior Pastorum Ecclesiae de clericis sibi subiectis cura, horumque subiectio maior. Specialis enim Episcopis inest potestas tum ordinandi aptos religionis ministros, tum hos Ecclesiae divinis ministeriis dedicandi, eosque singulari iure regendi: Clerici autem multo arctius, quam laici obnoxii sunt Ecclesiae potestati; eorum enim personae non minus sacrae sunt, quam res aliae Deo dicatae; ita ut Clerici sint pars nobilior, portio, haereditas Dei altissimi, pupilla oculi Dei; unde sicut maiorem in corpore curam partis delicatioris habemus, ita Ecclesia suorum ministrorum.

2) Deinde tam Ecclesiam, quam Clericos sollicitos et studiosos huiusmodi honestatis reddit sublimitas et professio status clericalis, vi cuius a rebus saeculi segregati, speciali dignantur

honore et reverentia, fruunturque privilegiis, sustentatione ex rebus Dei et patrimonio Christi, unde in *ipso* per gratiam et sanctitatem esse iubemur; « *separavi enim vos ut essetis mei* » *Lev. 20.* ait Dominus. « *Sancti estote quia ego sanctus sum* » *ibid. 11. et 1. Petr. 1.*

3) Ratio tandem exempli ab iis, qui duces sunt populi Dei, coram omnibus Christifidelibus exhibendi hanc honestatem, exigit non solum vitiorum abstinentiam, peccatorum et periculorum fugam, sed exercitium totius formae virtutum. Quod S. Paulus ad Titum suum scribens omnes hortatur Clericos, ut scilicet in conscientia pura, ac sine crimine nemini dent ullam offensionem, ne vituperetur ministerium eorum, de quibus scriptum est *Iudith VIII. 21:* « *Vos estis presbyteri populi Dei et a vobis pendet anima illorum* ». Et re quidem vera experientia ipsa docet laicos nulla re magis ad impietatis fraudem illici, quam malis clericorum moribus, sicut nulla re magis ad pietatem ac religionem incitari quam Clericorum vitae integritate et sanctitate.

Hoc idem quod *Trid. Sess. 22. c. 1. de Reform.* omnes innovans canones de vita et honestate Clericorum praemittit: « *Nihil est quod alios magis ad pietatem et Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita et exemplum qui se divino ministerio dedicarunt. Cum enim a rebus saeculi in altiorem sublati locum conspiciantur, in eos tamquam in speculum reliqui oculos coniiciunt, ex iisque sumunt quod imitentur. Quapropter sic decet omnino Clericos in sortem Domini vocatos vitam moresque suos omnes componere ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus nil nisi grave, moderatum ac religione plenum prae se ferant: levia etiam delicta, quae in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem* ». Sed cum haec tota ratio vitae eiusmodi integritatis et sanctitatis sive interioris sive exterioris haberi nequeat sine virtutum exercitio, hinc dicimus in prop. *praeter exercitium virtutum statui clericali convenientium.* Quaenam porro sint hae virtutes statui clericorum convenientes iudicantur cuilibet ordinando tum *ll. cit.* Corporis Iuris, tum a ss. Conciliorum canonibus et subsequentibus Romanorum Pontificum Constitutionibus, tum a Pontificali Romano.

Nominatim quoad **sanctitatem internam** requiritur recta

intentio tum in susceptione Clericatus, tum in officiis ac ministeriis spiritualibus obeundis, et conscientiae puritas. Quod requiratur recta intentio seu maius Dei obsequium in assumptione clericatus, patet ex *c. fin. de Rescrip. in 6. et C. Trident. Sess. 23. c. 4. de Ref.* Qui autem promoveri vult ad officium parochiale debet habere intentionem seriam non tamen absolutam, ut habet *P. Wiestner in tit. de Vita et hon. Cler. n. 19,* intra annum suscipiendi Presbyteratum; alias praeter reatum gravis peccati, fructus, ex tali beneficio perceptos, ante omnem iudicis sententiam tenetur restituere *c. 35. de Elect. in 6;* quia non aliter conceditur *hoc* beneficium, quam sub conditione intentionis recipiendi intra annum sacerdotium. An et quatenus *recta fides, et maxime quoad Sacramentorum administrationem et mysteriorum celebrationem, an et quatenus requiratur divina charitas et gratia sanctificans* docent Moralistae; *cf. Schmalzgr. l. 3 t. 1.* Praesertim apud Sanctos Patres reperire est explicatas tam verbo, quam exemplo sanctitatem virtutesque omnes Clericorum proprias; has etiam plurimi Ascetae pientissimi viri ac vitae spiritualis magistri, editis piarum lectionum sanctarumque commentationum libris, vobis uberrime demonstrant.

In specie vero quaedam animadvertenda sunt de usu Sacramentorum, de Ecclesiae ministerio, de corporis cultu.

1. *De usu Sacramentorum sacratissimae Confessionis* et *Eucharistiae,* licet nihil praeceptum proprie sit, tamen quid a suis Clericis Ecclesia cupiat, satis indicavit, *Trid. Sess. 23. c. 13,* ubi praecipue de Diaconis et Subdiaconis sermonem habens, ait: « Sciant maxime decere si saltem diebus dominicis et solemnibus, quum altari ministraverint, sacram Communionem perceperint ».

2. Quod autem attinet **ad Ecclesiae ministerium,** haec sunt tenenda: I. nemo in Clericum regulariter est admittendus, qui certae Ecclesiae aut pio loco non addicatur, ubi muneribus fungatur sui ordinis propriis, nec proinde incertis vagetur sedibus, *Conc. Trid. Sess. 23. c. 16. de Ref.; Bened. XIII. Const. In supremo 23. Sept. 1724.* II. Si eiusmodi addictio in ipsa ordinatione omissa fuerit, fieri deinceps Episcopi arbitrio *a*) *potest,* si agatur de Clericis nondum ad presbyteratum promotis, qui beneficium ecclesiasticum nullum habent; *b*) *debet,*

si habent *Bened. XIII. l. c.; c) non potest* quoad presbyteros nullum habentes beneficium, qui ad Ecclesiae servitium (sive eidem adscripti aliquando fuerint sive non) cogi nequeunt sine aliquo stipendio *S. C. C. in Segn. Decretor. 13. Sept. § Coram, et 2. Nov. ad II. 1749.* III. Clerici eiusmodi ministerium detrectantes poenis adigendi sunt; quae tamen poenae, ne pecuniariae sint, vetuit *S. C. C. 19. Iul. 1618. apud Giral. P. II. Sect. 106;* versantur autem recte in exercitio sacrorum, eis interdicendo si Ecclesiae ab Episcopo designatae servire nolint, *Conc. Trid. l. c.;* in neganda autem eisdem promotione ad altiores ordines et ad beneficia ecclesiastica si pertinaces sint, aut si nulli prorsus Ecclesiae servire velint. *Bened. XIV. de Syn. l. II. c. 2. n. 13. et l. 13. c. 6. n. 6.*

99. *Declaratur 3. Exigitur* **corporis cultus externus**: supra namque allata verba Tridentini probant *generatim* quam graviter et decenter habitu, incessu, sermone, sese gerant oportet Clerici. Ad duo reducuntur quae de externo corporis cultu ab Ecclesia suis Clericis praescribuntur; scilicet ad deferendum habitum congruentem ordini clericatus, et ad habendam coronam et tonsuram congruentem. Et

Ad *Habitum quod spectat,* lex est *Trid. Sess. XIV. c. 6:* « Quia vero etsi habitus non facit monachum, oportet tamen clericos vestes proprio congruentes ordini *semper* deferre, et per decentiam habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendant ». Huc item revocanda generalis lex, clericos habitu suo pomparum saecularium contemptum, quem insinuare ceteris debent, praeseferre oportere, *Conc. Trid. Sess. 22. c. 1. de Ref.;* atque omnis alia lex decretalibus et posterioribus Romanorum Pontificum actibus contenta pro vita et honestate clericorum, speciatim quoad habitum et tonsuram, poenasque in eius violatores statutas.

Ex his magis particulares sequuntur leges, quarum praecipuae sunt: I^a. Seclusa necessitate, *Laicales vestes,* quae scilicet tales sint sive quoad formam, sive quoad colorem, *deferre Clericis vetitum est, cap. 15. de Vita et honest. Cler.; ibiq. Gonzal. Clem. 2. eod. t.; Conc. Trid. Sess. 14. c. 6. de Ref.; Bened. XIII. Const. Apost. Ecclesiae 2. Maii 1725.*

II^a. Contra *talaris vestis,* quae nimirum defluat ad talos usque,

et ea *nigri coloris* eo saltem tempore, quo in Ecclesia ministeriis sacris inserviunt, iisdem praecipitur *Bened. XIV. de Syn. l. XI. c. 8, et Inst. 34. et 71; Cf. Devoti Inst. can. l. 1. T. 1. § 12. in nota.* Dixi *usque ad talos defluat,* quamvis iuxta *Card. De Luca ad Trid. disc. 24. et Bened. XIV. not. 71. n. 9.* usque ad genua tantum defluere permittitur in oppidis et pagis, et in ipsis quoque civitatibus epicheia quadam et consuetudine, tamen extra Missae celebrationem. Ex his duabus regulis patet illicitum esse clericis quod *C. 15. de Vita et honest. Cler. et aliis cit. ll.* indicatur: scilicet induere publice aliquas vestes rubri aut viridis coloris, aut vestes virgatas vel partitas, aut alias saeculares; deferre interulas seu subuculas e collo manibusque apparentes corrugatas acuve pictas; gestare fibulas, iis exceptis quas consuetudo admittit, aliave ornamenta, praesertim anulos, modo excipiantur Episcopi et ii Clerici, qui ecclesiastica dignitate, vel doctoratus honore aucti, extra missam anulum gestare valent. Haec et similia contra Ecclesiae legem sunt, qua Clerici tenentur non solum proprio uti habitu, quo ipsi a laicis discriminentur, sed in ipso, qui eis praescribitur, quod status sui decorem offendat, devitare.

III°. Quae sint laicales vestes decernere, deque clericali habitu leges ferre, Episcoporum est ex Tridentino, *l. c.,* praescribente « honestum habitum clericalem illorum (scilicet clericorum) ordini et dignitati congruentem et iuxta ipsius Episcopi ordinationem et mandatum » *Cf. S. C. C. apud Fagn. in C. Si quis de foro competen. n. 21; Bened. XIV. Inst. 71. n. 6.* Hinc monet *Giraldi P. II. Sect. 48. not. 1. § Rursum,* integrum Episcopis manere quod praecipere possint usum continuum talaris vestis, cum nec sixtina Const. *Cum sacrosanctum* vim retinuerit, nec Tridentinum hunc determinatum usum praescripsit: sed generalia dumtaxat; tantum ad Episcoporum prudentiam pertinebit, ne quid decernant, quod, circumstantiis spectatis, importunum sit, *S. C. C. in Nucerina 20 Dec. 1817.*

Secunda lex, quae refertur ad externum corporis cultum, est **de crinium compositione,** et his continetur: 1. tenetur *tonsuram gestare,* i. e. capitis verticem in orbem tonsum gerere, ampliori quidem vel minori modulo, pro ordinibus susceptis

cap. 15. de Vita et hon. Cler., ibiq. Gonzal. Catech. rom. p. 2. c. 7. n. 27.

2. Insuper *vetitum* eisdem est quoad crinium cultum α) *capillamentum* seu ascititiam comam capiti inducere. Huc facerent Tertulliani verba *de Cultu foem. l. 2. c. 7.*: « Affigitis praeterea nescio quas enormitates capillamentorum... Si non pudeat enormitatis, pudeat inquinamenti, ne exuvias alieni capitis forsan immundi, forsan nocentis et gehennae destinati, sancto et christiano capiti supparetis ». At, quoniam pro senibus praesertim quaedam necessitas apparet, exceptio est; si duo haec simul concurrant, legitima causa ac legitima venia: quae quidem exquirenda est, in Romana Provincia indiscriminatim a Romano Pontifice, *Conc. Rom. 1725. cap. 3;* alibi vero ab Episcopo, si agatur de eadem gerenda extra Missam; a Romano Pontifice, si in actu celebrationis Missae *S. R. C. 14 Apr. 1626; Bened. XIV. Inst. 34. et 96. et de Synod. l. XI. c. 9; Cf. S. C. C. in Melphit. 8 Aug. 1722.*

β) Insuper *vetatur comam vel barbam nutrire, capp. 5. et 4. de Vita et hon. Cler., ibiq. Gonzalez, Giraldi P. 1. Sect. 314. Gestare autem barbam,* exceptis iis, qui sacris expeditionibus destinantur, vel cuidam ordini, cui permittitur, adscripti sunt: in praesenti latinae Ecclesiae disciplina non licet; quam consuetudinem vetustissimam nova sanctione Romani Pontifices confirmarunt: e. g. Pius IX., cuius nomine Nuntius Apostolicus Monachii huius Archiepiscopo de Bavariae quibusdam presbyteris usum gestandi barbam iterum inducentibus scribit: curandum omnino esse ab omnibus Bavariae Episcopis, ut non solum praedictus usus expresse prohibeatur, sed ut disciplinae unitas et perfecta cum Ecclesia Romana omnium magistra conformitas in omnibus, ac proinde etiam in habitu et tonsura Clericorum servetur, vel, si opus sit, restauretur. *Cf. Archiv. t. 10. p. 39. seq.*

Addite, ita ut **horum canonum violatores puniri debeant poenis statutis** *in Clem. 2. de Vita et hon. Cler., et in Trid. sess. 14. c. 6.* Iamvero ex his I. Illud in universum dici debet, qui laicales vestes assumpserint, ita ut publice pro laicis se gesserint, adeoque nec una vice, nec tantum domi

eas induerint *Gloss. in Clem. l. c. v. Publice; Reiff. eod. tit. n. 115. et seq.* pro vario personarum gradu diverse puniuntur; i. e.

1°. Quoad nutrientes comam qui moniti, pertinaces fuerint *Cf. Reiff. l. c. n. 88; Barbosa ibi* etiam excommunicatione ferendae scilicet sententiae plectuntur.

2°. *Quoad eos, qui vestium* formam ab Ordinario praeceptam non adhibuerint, poena plectuntur ab ipso Ordinario ferenda, aequa scilicet moderatione servata *S. C. C. in Ruben.* Habitus talaris *18 Aug. 1708 et Bened. XIV. de Synod.* Et generatim si habitum clericalem non deferant, distinguendi sunt hi violatores, an beneficiarii sint, vel in sacris constituti citra sacerdotium, vel sacerdotes aut Religiosi. Porro α) per Clem. V: *illi* si habeant dignitatem, personatum, aut curam animarum, per annum; si secus, per medium annum, suspensionem a perceptione fructuum incurrunt; *isti* per medium annum; *hi* vero per annum integrum ad obtinenda beneficia inhabiles reddantur. β) Omnes insuper per Tridentinum *l. c.* si post monitum publicum non pareant, ab ipso ordine, officio, beneficio et fructibus eorum suspensionem incurrant, imo si semel correpti deliquerint, per privationem coerceri possunt ac debent: ferendae ergo sententiae; γ) imo ipso facto omnium privationem beneficiorum incurrerent non incedentes talari veste et tonsura per *Sixti V. Const. Sacrosanctum 9 Ian. 1588; et Apostolicae 31 Ian. eiusdem anni;* sed ex communi sententia hae Constitutiones vel modo non obtinent, vel saltem requiritur sentenția declaratoria criminis.

3°. Speciatim quoad privilegia Clericorum, an et quomodo haec amittantur a non deferentibus habitum et tonsuram, res erit in tit. *de Privileg. Cleric.* Interea animadvertatur, in minoribus constitutos nullo beneficio auctos, ad beneficia ecclesiastica obtinenda inhabiles fieri, *Clem. l. c.* At

II. Tandem supra indicatur *posse habere locum exceptiones.* Exceptiones seu **excusationes ab habitu gerendo** huc reducuntur, scilicet 1. quoad *assumendas vestes laicales,* si necessitas id exigit: ac proinde *a*) ex causa *iusti timoris c. 15. de Vit. et hon. Cler.* quo pertinet consuetudo missionariorum incedendi laicalibus vestibus iis locis, ubi publicum catholicae religionis exercitium permissum non est, *Giraldi P. 1. Sect. 320; b*) ex

causa *infirmitatis vel paupertatis,* si qua eiusmodi sit, quae vere (quod est difficile) habitum clericalem vel omnino vel ex parte impediat, *Reiff. l. c. n. 113;* 2. quoad *deponendam vestem talarem,* si forte ab Episcopo praecepta fuerit, assumendo scilicet vestes, quae sint quidem clericales, sed breviores, sufficit etiam *causa itineris, Can. 3. Cau. 21. q. 4; Reiff. l. c. n. 114.*

II. DE NEGATIVIS CLERICORUM OFFICIIS.

Summarium. — Clericis ad honestatem morum tuendam prohibentur 1) **crapula, ebrietas, comessatio, sumptuosa convivia;** 2) **alearum et taxillorum lusus;** 3) **venationem exercere clamorosam:** 4) **profana spectare oblectamenta, e. g. interesse choreis aut licentiis bacchanalium, vel partem aliquam in iis habere.**

100. *Praen.* Non solum, suscepto aliquo officio, quae huic adimplendo positive conferenda sunt media necessaria; sed etiam ab iis abstinendum est, quae illud impediant aut ab eius dignitate sunt aliena. Hinc vidimus alia esse officia Clericorum negativa dicta, quae scilicet in eo sunt, ut ea devitentur, quae eorum ministerio rite et cum fructu obeundo obstant. Obstant autem 1) ea omnia, quae sive directe sive indirecte adversantur Clericorum honestati modo expositae, eorumque *dedecent sanctitatem;* 2) obstant quae ipsorum *ministerii dedecent dignitatem;* 3) *quaeque curam impetunt rerum spiritualium,* quibus continuo occupari debent Clerici, atque hos a suis sacris avocant ministeriis. Iamvero inter cetera, eiusmodi sunt quae obstare semper viderunt Patres, Maioresque nostri, scilicet *profana oblectamenta, mulierum cohabitatio* atque *negotia saecularia;* quae certe semper a cura rerum spiritualium aut abhorrent, aut avocant, vel eiusmodi ministerii dignitatem ac sanctitatem dedecent: hinc semper Ecclesia talia vetuit clericis: hac de re quae Ecclesia sanciverit breviter exponentes, exordimur ab iis vetitis, quae sive directe sive indirecte morum sanctitatem Clericatui congruentem respiciunt.

Prob. 1^m. a) Nam, *C. 14. de Vita et hon. Cler., interdicitur crapulae aut ebrietati indulgere; b*) tabernas seu cauponas ingredi, excepto casu necessitatis, e. g. tempore itineris, *ibid. et*

Trid.; c) convivia publica adire, *Conc. Mogunt. IV. Cap. 74. Can. 1. Dist. 44.* Exceptio tamen pro nationis moribus quandoque facienda est, e. g. *Meeting Anglorum.* Merito autem fuerunt haec prohibita; quia si haec impedimento ac periculo esse solent contra honestatem sectandam quoad saeculares, a fortiori quoad Clericos et Sacerdotes, « quorum omnium, ut ait Leo M., tam excellens est electio, ut, quae in aliis membris Ecclesiae vacant a culpa, in illis tamen habeantur illicita » *Can. Omnium Dist. 32.*

101. *Declaratur et prob. 2^m^.* Generatim **quoad alearum ludos**, iisdem indulgere clericis regulariter vetitum est, *Cap. Inter Dilectos de Excess. Prael.;* si tamen raro agatur de ludis expresse a legibus non prohibitis, recreationis causa et citra scandalum fiat, in iis praesertim regionibus, ubi apud Clericos praesertim honestiores, id est in consuetudine, non videtur esse reprehendendum, salvo tamen Episcopi iure absolute eiusmodi ludos prohibendi, *cf. Bened. XIV. de Syn. l. 10. c. 2. n. 2; Ferraris v. Clericus a. 3. n. 3. seqq.; Thesaurus de Poenis v. Ludus c. 4.* Quod vero spectat ad Regulares *cf. eumdem v. Ludus n. 9. seqq.* Parcius eisdem ludo indulgendum esse liquet. In specie autem habendum est prae oculis votum paupertatis, quo obstringuntur; si praemium sit aliquod lucrum. Ait Ferraris tantum pretii eis licere ludo exponere, quantum eisdem pro facultate legitima habita liceat donare. Tandem si quis has leges transgressus fuerit, poenam dabit arbitrio Ordinarii, quod ita semper intelligas, si nulla in iure notatur poena.

102. *Declaratur et pr. 3^m^.* Cum venatio, *can. 11. dist. 86. et toto tit. de Cler. venat.,* dicatur esse belli simulacrum, mentisque continuam afferens evagationem, merito Clericis eam exercere prohibetur. *Venatio generatim est persecutio et occupatio animalium, quae caelo, terra et mari nascuntur et nullius sunt. Venatio ratione praedae* alia est *specifice* et *proprie dicta,* quae et *saltuosa* et *silvatica* dicitur, tendens ad feras terrestres capiendas: alia *aucupium,* quae ad volucres: alia *piscatio,* quae ad capiendos pisces ordinatur. Porro piscationem non esse interdictam per se patet, etiam quia Apostoli post conversionem exercuerunt. Unde Hieronymus aiebat: « *penitus* non invenimus in scripturis sanctis sanctorum aliquem venatorem, piscatores

invenimus sanctos ». Ast quoad alias venationes, quae sit tamen Clericis vetita, varia eiusdem species prius erit distinguenda: alia enim *clamorosa* dicitur, ea scilicet quae magno armorum canumque apparatu ac tumultu fit, ut maiores ferae, e. g. apri, cervi etc. capiantur: alia *quieta*, quae nimirum sine eiusmodi apparatu atque tumultu efficitur. Hanc autem merito in duas alias subdistinguunt, quarum altera laqueis tantum ac retibus fieri solet, altera armis, licet paucis ac sine strepitu et ad minores feras occidendas.

Quibus positis facile est statuere, quae venatio clericis prohibeatur: scilicet 1) *clamorosa* absque dubio interdicta est, *C. 1. et 2. de Cler. venat. ibiq. DD.; Conc. Trid. Sess. 24. C. 12. de Ref. circa finem; Bened. XIV. de Synod. dioec. l. 11. C. 10. n. 6. seq.*: unde ne canes quidem alere iisdem permittitur *d. C. de Cler. venat. et Conc. Later. IV. Can. 15;* quia haec, praeter dicta, multum distrahit a divinis officiis etc. Poena Episcopi arbitrio, *cf. Thes. de Poen. cum add., Girald. v. Venatio § sub qua;* 2) venatio quieta, quae laqueis tantum ac retibus fit, sine dubio licita est, *Gloss. in C. 1. de Cler. Venat. v. Voluptate; Reiff.* aliique communiter, paucis refragantibus in tit. *de Cler. Venat.*: quibus adiici debet generalis consuetudo et argumentum deductum a *Conc. Trid. Sess. 24. C. 12. de Ref.*, ubi distinguuntur venationes *illicitae a licitis,* quo fit ut ibid. verbum *aucupium* quod recensetur inter venationes illicitas, intelligendum sit de aucupiis clamorosis, quae cum falconibus, magna hominum turba, magnoque comitatu exercere eo tempore consueverunt. 3) Tandem de venatione quieta, quae fit cum armis, merito disputant Doctores, cum ad eam defendendam virorum etiam gravissimorum consuetudo afferatur; ad impugnandam autem perspicui sint canones, qui delationem armorum clericis vetant. Nisi igitur Episcopus eam clericis suis prohibuerit, nemo poterit eo nomine reprehendi. Attamen iuri conformius est ab ea abstinere. *Cf. hac de re Bened. XIV. de Syn. l. 11. C. 10. n. 8; Ferraris v. Clericus a. 6. n. 22. seq.*

103. *Prob. 4^m.* **De oblectamentis clericorum** ut recte diiudicemus, prae primis regula generalis statuenda est, quam tradit nobis *S. Th. 2. 2. q. 168. a. 2. in 6,* mentem scilicet so-

latio aliquo relaxare non modo licitum sed necessarium esse: modo haec tria serventur ut relaxatio honesta habeatur: 1) ne in rebus turpibus vel noxiis quaeratur; 2) ne animi gravitas omnino abiiciatur; 3) ut loci, temporis ac personarum circumstantiis congruat, et secundum illas recte ordinetur. Ex hac regula probe intelligitur ratio canonum quaedam profana oblectamenta Clericis interdicentium.

Pertinent autem haec *ad spectacula, ad choreas, ad licentias bacchanalium,* in quibus singillatim inquirimus, quid prohibeatur Clericis et quae poena fuerit prohibitioni adiecta. I. Spectacula in genere ea omnia prohibentur, in quibus vel honestatis vel effusionis humani sanguinis periculum ineatur, *Trid. Sess. 22. C. 1. de Ref.; Tertull. de Spect. c. 19.*

Hinc sub sequentibus poenis Clericis prohibetur taurorum aut ferarum agitationes spectare *Pius V. Const. De salute 1 Nov. 1567; Thesaurus de Poenis v. Ludus Cap. 2.* sub sequenti exceptione ac poena, scilicet *a*) excipiuntur in Hispaniarum regnis Clerici saeculares ob indultum *Clem. VIII. de quo Thesaur. l. c. et ibi Barbosa et Girald. P. 1; b*) transgressores, extra casum exceptum ante Pii IX. Constitutionem *Apostolicae Sedis,* plectebantur excommunicatione *ipso facto* incurrenda; ast de hac modo silet dicta Constitutio.

II. *Theatris interesse;* quandoquidem honestatis periculum ibidem iniri solet: *Bened. XIV. de Syn. cap. 10. n. 11. seq.* ubi videantur quae habet de doctrina Ferraris et cf. quae de hac censura idem habet Ferraris *v. Clericus post ar. 8. in addit.* Haec autem sub sequenti exceptione et poena: *a*) Excipiuntur nempe repraesentationes sacrae in loco honesto, aliisque exclusis circumstantiis, quae honestatem in discrimen adducant, *Reiff. tit. de Vita et hon. Clericor. n. 141; b*) Transgressores (extra casum exceptum) arbitrio Episcopi puniuntur. *Cf. Bened. XIV. l. c.*

III. *Comoedias per semetipsos agere,* admissis saltem saecularibus et specie quadam publica, idque etiamsi de historiis sacris habeatur, *S. C. Ep. et Reg. in literis datis iussu Clem. XI. Vicario Capitulari Aquilano 31 Oct. 1706,* quas literas videre est apud *Ferraris v. Clericus a. 4. n. 19.* Dixi admissis saltem... Fatendum est enim contrariam extare consuetudinem quibusdam in locis, quae ante praedictas literas invaluerat et con-

tinuata est postea. *Cf. Ludovicus de Ameno de Delictis et Poenis tit. 2. § 1. n. 173. seq.* Ceterum regularibus ac sacerdotibus saecularibus abstinendum omnino ab iis esse convenientius, licet aliter censeat citatus *de Ameno.*

IV. *Bacchanalium licentiis interesse aut personatos incedere; Ferraris v. Clericus in addit. post. a. 18. n. 7., et Bened. XIV. Constit. Inter cetera 1 Ian. 1748.* Ideo vetantur Clerici choreas ducere, personati incedere, spectaculis publicis interesse et ceteris supra expositis, quia semper praesertim adest honestatis et gravitatis periculum « ne aures et oculi sacris officiis addicti, ludicris et impuris actionibus sermonibusque polluantur » *c. 15. de Vita et hon. Cler.* Unde

V. *Choreas ducere* omnino Clericis prohiberi, *Conc. Trid. Sess. 22. cap. 1. de Ref.; Ferraris v. Clericus a. 4. n. 14.; Bened. XIV. Inst. 76. et de Synod. l. 11. c. 10.* qui *Inst. cit.* animadvertit 1) choreas cum scelere plerumque coniungi, licet in se nil mali contineant; 2) ad sacerdotes ac praesertim ad parochos spectare viris ac mulieribus ob oculos ponere magnum innocentiae discrimen, dum choreas permixte instituunt; 3) huiusmodi saltationes, licet interdum sine ullo crimine ducantur, non ideo tamen clericis, sacerdotibus ac maxime parochis convenire. Quae si pro sua aetate asserebat Benedictus XIV., quanto magis de hac nostra erit asserendum?

Summarium. — 1) **Cohabitatio mulierum,** 2) **nisi sint iure vel consuetudine exceptae, clericis generatim prohibetur,** 3) **sub poenis variis, prout varia est huius disciplinae violatio.**

104. *Declaratur et prob. 1^m.* **De prohibita generatim cohabitatione mulierum** ostenditur in hoc 1°. puncto lex generalis, et modi varii eam violandi recensentur; in 2°. p. quaenam mulieres hac lege non contineantur ob exceptionem a iure, vel legitima consuetudine; in 3°. p. indicantur poenae, quibus violatores varii varie plectuntur. Iamvero generalem legem de vetita mulierum cohabitatione tradidit tum Innocentius III. *c. 9. de Cohab. Cleric. et mul.,* tum Concilium Nicaenum *apud Grat. Can. 16. dist. 32,* quorum ille ait: *Cum clericis non permittas mulierculas habitare, nisi forte de illis personis existant,*

in quibus naturale foedus nihil permittit saevi criminis suspicari. Alterum autem statuit: « Nemini, qui in clero est, licere subintroductam (extraneam, *cf. Gonzalez in c. 1. de Cohab.; Clem. n. 14. et Berard. canon. Grat. in hunc can.*) habere mulierem, nisi forte aut *matrem aut sororem aut amitam, aut etiam eas idoneas* (famulatus gratia accitas, *cf. Bened. XIV. Inst. 83*), *personas,* quae *fugiant suspiciones* ». Quoniam maxime ad honestatem et sanctitatem in Clericis tuendam haec regula facit, et cum a Concilio Tridentino sit melius explicata et efficacius sancita; latius sumitur et non prohibet tantum cohabitationem; sed generatim conversationem habitualem vel frequens consortium cum foeminis de continentia suspectis; sicut *can. 1. de Cohab. Cler.* etc.

Porro quinque modi distingui solent vel casus, in quibus haec lex canonica, prohibens consuetudinem cum personis alterius sexus, non servatur. Et 1°. quidem si *verum attentetur coniugium* et tamquam coniuges haberi velint; 2°. si in vero ac *proprii nominis concubinatu* conversentur; 3°. si pravos et *notorie corruptos* generatim *mores* exhibeant, quamvis cum certa concubinatum non exerceant; 4°. et si hoc certum non esset, neque antecedentia, quatenus adest tamen *gravis de iisdem suspicio,* 5°. quatenus *lex* ecclesiastica *de non cohabitando simpliciter non servatur,* etsi nil pravi intercesserit vel intercedere haud probabile sit, modo agatur de persona, cuius cohabitatio prohibetur.

105. *Declaratur et prob. 2m.* Quaer. scilicet **an dentur et quales sint exceptiones ab hac lege.** Ex iure vel consuetudine quadruplex est ratio exceptionis. Nam ipsa lex vetat quidem domi retinere mulieres, etiam servitii causa, *c. 9. de Cohab. Cler.,* nisi et ipsi Clerici illis indigeant *can. 27. Dis. 81; Bened. XIV. not. 83, 13,* et illae sint omnis suspicionis expertes, *C. Trid. Sess. 22. c. 4. de Ref.; Ex 27. et 9. de Cohab. Cler.:* suspicionis expertes praesumuntur *sanguine propinquae,* non vero extraneae, nisi *provectae aetatis et probatae virtutis sint, c. 15. de Praesumption.; Pirhing. h. t. n. 3.*

Hinc excipiuntur a lege *a*) mulieres *ratione proximae cognationis* consanguineae, i. e. in linea recta adscendentes vel descendentes sine limite: in linea obliqua usque ad 2m. gra-

dum inclusive quoad consanguineas; usque ad 1^m. quoad affines, nisi *alter alteri reverentiam debeat,* e. g. patrui, aut viduae nepotis, *cf. Pirhing in tit. de Cohab. n. 2. 3;* cui exceptioni factae in *c. 9. de Cohab.* non obstat *c. 1. eod. tit.,* quo cohabitatio etiam consanguineae prohibetur, nam ex contextu intelligitur consanguinea suspicionis minime expers; *b*) *ratione necessitatis,* h. e. servitii causa, mulieres extraneae, quae de Episcopi iudicio et *provectae* aetatis regulariter sint, h. e. saltem quadragenariae, *Bened. XIV. Not. 83, 15,* et extra omnem suspicionem. Dixi *regulariter,* quia *c*) *ratione connexorum* possunt cohabitare cum iunioribus non suspectis, quae pedissequae sunt consanguinearum, vel affinium in gradibus permissis seu eorum, qui de familia sint, vel quae sint uxores famulorum suorum, *Reiff. in tit. de Cohab. et Bened. XIV. l. c.; d*) tandem ex universali consuetudine possunt Clerici ratione studiorum, aut alia iusta de causa extra paternam domum viventes, apud honestam familiam ex Ordinarii aestimatione et licentia degere.

Ad Episcopi domum quod spectat, hos quam maxime decet, nullam habere secum mulierem, aut si gravissima consanguinitatis vel famulatus causa cum aliqua sit necessario cohabitandum, hac in re maiori cum cautione Episcopis agendum erit, et prae oculis omnes Clerici habeant *Can. 25. dist. 81,* ubi Augustinus neque sororem domi suae manere permisit dicens, *quae cum sorore mea sunt, meae sorores non sunt:* atque alta mente reponant, tum quae Hieronymus plurima admonet Nepotianum quoad mulierum consortium vitandum, e. g. « Hospitiolum tuum aut raro aut numquam mulierum pedes terant », quia non solum a malo abstinere oportet, sed *ab omni specie mali;* tum Chrysostomi *de Sac. c. 6.* gravissima verba: « Tantum enim oportet imo maius studium adhibere ut malas opiniones, non solum dum erumpunt, divellamus arceamusque; sed et procul, unde erumpere possint, prospiciamus, atque adeo causas ipsas, e quibus enascuntur longe ante tempus interimamus; nec etiam, dum coalescunt et in vulgi ore sparguntur et divulgantur, expectemus; tum enim haud proclive erit illas delere: sed admodum difficile ». Cui consonat *Hier. d. ep. 52. ad Nepot.:* « Si propter officium Clericatus aut vidua visitatur aut virgo, numquam domum solus introeas. Tales

habeto socios, quorum contubernio non infameris... solus cum sola et absque arbitro vel teste non sedeas. Si familiarius est aliquid loquendum, habet nutricem maiorem domus, virginem, viduam vel maritatam: non est tam inhumana ut nullum, praeter te, habeat, cui se audeat credere. *Caveto omnes suspiciones, et quidquid probabiliter fingi potest, ante devita* ».

Tandem numquam de memoria excidant praeclara Augustini *Serm. 355. serm. 1. de Vita et moribus Cler. suor. § 1. iuxta ed. Venet. 1769. § Credo autem etc., et in serm. 356. l. c. § 7. vers. Ideo volui etc., iuxta ed. Venet. 1570. serm. 49. de Diversis: Duae res sunt conscientia et fama. Conscientia necessaria est tibi, fama proximo tuo. Qui confidens conscientiae negligit famam, crudelis est. Quare crudelis? Quia fama turpitudinis in sacerdote eodem modo nocet populo ac si revera eius sacerdos turpis esset, quia apud populum fama operatur et opinio. Unde tanta in sacerdote debet esse integritas, ut illius nitorem non tantum maculet ipsa peccati labes, sed omnis etiam peccati suspicio: quia auctoritas illorum, qui aliis praesunt, non solum veritate sed etiam fama nititur; et aliquando in Rectore animarum peior erit peccati suspicio, quam vitium latens, si hoc in illo latere potest, propter aliorum offensionem et scandalum.* Iamvero cum populus fidelis sacerdotalis praesertim gradus sanctitatem maxime aestimet, nil nisi sanctum, grave ac religione plenum expectat ex Clericis: atque adeo Ecclesia sancta Dei, levia prae saccularibus delicta, pro Clericis maxima reputans, in his sub acri sanctione ea reprobat. Hinc mirum non est, Ecclesiam plures poenas determinasse.

106. *Declaratur et prob. 3^m.* **Quaenam** autem **poenae infligantur**, dicendum varias esse iuxta varios gradus violationis. Generatim huius disciplinae violatio duplicem habet gradum, quorum alter in vetita cohabitatione simpliciter se sistit, alter pravam addit consuetudinem eiusque concubinatum. Et primo quidem ii, qui vetitae cohabitationis simpliciter reï sunt, arbitrio Episcopi puniendi sunt, si moniti non pareant.

Deinde, qui concubinatum addunt eiusve suspicionem, sive scilicet 1) veras concubinas domi retineant, sive 2) mulieres secum habeant publice diffamatas, aut saltem suspectas cum fama concubinatus, *Thesaur. De poenis, v. Concubinatus, § Sed*

quaeres; sive 3) extra domum concubinatum vel cum certa persona exerceant, *Thesaur. l. c.,* vel vagum, *Giraldi P. 1. sect. 332. not. 1,* exerceant, ii pro vario gradu varie puniuntur.

a) *Si Episcopi sint,* monendi prius sunt a Synodo Provinciali, qui, si moniti, se non emendaverint, ipso facto suspensionem incurrunt, si qui autem in crimine perseverant, deferendi sunt ab eadem Synodo ad Romanum Pontificem, qui pro qualitate culpae etiam per privationem Episcopatus, si opus fuerit, in eos animadvertat, *Conc. Trid. Sess. 25. c. 14. de Ref.* Si Concilium provinciale haberi legitimo tempore non consueverit, eiusdem partes a Metropolita explendas esse merito censet, *Giraldi P. 1. Sess. 332. not. V.*

b) *Si sint parochi,* prius monendi sunt ab Episcopo, qui si moniti non resipuerint, coërcendi sunt aliqua poena; si qui adhuc in crimine perseverent, etiam parochiae privatione plecti possunt, appellatione remota, *Conc. Trid. Sess. 21. c. 6. de Ref.; Giraldi l. c.* § *Ex utraque.*

c) *Si clerici sint* aliorum graduum, tamen *beneficiarii,* prius a Superiore monendi sunt; tum, si non resipuerint, tertia parte fructuum beneficiorum ac pensionum, ipso facto privantur; et si adhuc in crimine perseverent, altera iisdem facienda est monitio, quae si inutilis fuerit, omnibus fructibus beneficiorum ac pensionum privantur, et ab ipsa beneficiorum administratione ab Ordinario, etiam uti Sedis Apostolicae delegato, quoad ipse arbitrabitur, amoventur; sique pervicaces adhuc fuerint, ipsis privantur beneficiis ac pensionibus: et inhabiles ad eam efficiuntur, salva superioris dispensandi facultate post manifestam vitae emendationem. Sed si perstent adhuc in crimine, excommunicationis gladio plectuntur; atque haec omnia suspendi per appellationem nequeunt, *Conc. Trid. Sess. 25. c. 4. de Ref.; Giraldi l. c.* § *Tandem.*

d) *Si non sint beneficiati* iuxta delicti ac contumaciae perseverantiam et qualitatem ab ipso Episcopo carceris poena, suspensione ab ordine, inhabilitate ad beneficia obtinenda, aliisve modis iuxta sacros canones puniuntur, *Conc. Trid. Sess. 25. c. 14. de Ref.*

e) Denique *quicumque sint* (imo quamvis laici sint), si in peccato notorii concubinatus moriantur, privantur sepultura ec-

clesiastica et sepulti exhumantur, nisi poenitentiae signa, unico etiam teste probata, moriendo dederint. Insuper donationes aut legatio, stante concubinatu mulieri facta (nisi forte donatio remuneratoria sit) irrita sunt etiam in foro conscientiae, ait Thesaurus *de Poen. v. Concubinatus n. 5. et 6.*

Summarium. — Alia vero sunt, quae Clericis sub variis poenis interdicuntur, habita ratione decoris statui Clericali convenientis, uti artes viles exercere; obsequiis abiectisque laicorum servitiis sese addicere; officium medici vel chirurgi agere.

107. *Declaratur et prob. 1^m.* Erit heic exponere recensita officia, 2. p., sub quibus poenis sint prohibita. I. **Artes viles,** quae scilicet communi existimatione tales sunt, ita ut honestos aut saltem liberales homines dedecere existimentur, e. g. lanii, cauponis, *Clem. 1. de Vita et hon. Cleric.; Gonzal. in c. 6. eod. tit. n. 7.* Et praesertim artes ludicras, ut histrionis, ioculatoris, athetae, agitatores equorum etc. *c. un. de Vita et hon. Cler. in 6; Thesaur. de Poenis v. Artes ludicras.*

II. *Obsequiis abiectisque servitiis in laicorum domibus sese addicere,* licet honestiori titulo eiusmodi servitii genus obsequatur, *Clem. XIII. Const. Cum primum 17. Sept.; et apud Ferraris v. Clericus art. 3. n. 63.*

III. Huc revocari etiam possunt quae in legibus ecclesiasticis continentur *de medicina et chirurgia,* potissimum ubi adustio vel incisio membrorum adhibetur; scilicet omnino vetitum est non modo clericis in maioribus ordinibus constitutis, sed etiam beneficiariis quibuscumque, salvo apostolico indulto, quod duplici sub conditione concedi solet: 1) ut adsit iusta causa, quae esse solet vel necessitas populi, vel ratio aperiendi aditus propagationi fidei inter infideles, vel, si de clerico saeculari agatur, eius vel suae familiae egestas, *cf. Schmalz. tit. 50. l. III. 47;* 2) ut absque incisione vel adustione exerceatur *c. 9. Ne Clerici vel Monach.* « *Nec ullam chirurgiae artem subdiaconus, diaconus vel sacerdos exerceat, quae adustionem vel incisionem inducit* » *in Conc. Gen. 1216;* quae postea dispositio ab Honorio III. extensa fuit ad minores et beneficiarios quoscumque *c. Super specula* quoad studium medicinae.

108. *Declaratur et prob. 2^m.* **Poenae, quibus eiusmodi actiones plecti solent,** 1) in genere relinquuntur arbitrio Episcopi, *cf. Sinistrari de delict. et poenis tit. 9. § 8. n. 30;* 2) in specie quoad exercitium artis ludicrae (publicum scilicet), hae sunt: *a*) privatio privilegiorum Clericalium ipso quidem facto, si annum in eo clericus perstiterit; praecedente vero trina monitione, si annus nondum fuerit elapsus, *C. un. de Vita et hon. Cleric. in 6; Fagn. in C. Contingit de sent. Excomm. n. 15; b*) si infamiae iuris clericus capax sit, i. e. si annos 25. expleverit, *cf. L. Si fratres C. Ex quibus caus. infamia irrogatur,* infamia iuris proindeque irregularitas, saltem quoad alios ordines suscipiendos. Etenim quoad ordines susceptos, utrum eiusmodi clerici irregulares fiant, controvertitur inter Doctores, quod satis est ad ipsam poenam, utpote rem odiosam excludendam, *Thesaur. de Poen. v. Artes lud. n. 2.*

Summarium. — Neque minus in sacris Canonibus variis sub poenis prohibentur quae aliena a clericali mansuetudine existimantur, quaeque praecipuae sunt 1) **militia;** 2) **armorum delatio;** 3) **iudicium sanguinis.**

109. *Declaratur et prob. 1^m. De qualibet parte distincta in summario,* 1) quid et quadamtenus sit prohibitum; 2) quae poena eiusmodi prohibitioni sit adnexa. Porro 1. **Militiae belloque sese immiscere** rem esse clericali statui omnino oppositam, manifestum est *c. 9. de Voto.* Unde prohibetur Clericis et religiosis etiam laicis ordinare aciem et dirigere milites in pugna, et non tantum pugnare.

Attamen exceptio quaedam est facienda: *a*) non prohibentur iusto bello interesse ad functiones sacras obeundas; *b*) ad milites cohortandos, ut ad bellum, quod iustum sit strenue exercendum, fortiter excitentur *can. 6. et seq. can. 23. q. 1; s. Th. 2. 2. q. 40. a. 2. ad 2; c*) nec prohibentur excubiae murorum urgente necessitate; *d*) item permittitur defensio legitima in casu necessitatis, puta in subito casu aggressionis hostilis, si laici in promptu non sint ad eam repellendam, *arg. Clem. Si furiosus de Hom.; Fagn. in c. Petitio de Hom. sub n. 4, et Thesaur. de Poenis c. 1. n. 1.;* atque proinde si laici pares non sint hosti repellendo. Quod si numerus sufficiens adsit, qui possit ac

velit hostem repellere, ab irregularitatis poena clericus non liberabitur, *c. Petitio de Hom.;* licet ea sit per se dispensabilis. Porro haec irregularitas non semper habet rationem poenae, non secus ac ea, quae ob necessariam parentum aliorumve proximorum defensionem incurritur. *Cf. Fagn. ind. c. Petitio n. 15.*

2. Poenae, quae ab iis Clericis incurruntur, qui in casibus non exceptis militiae belloque sese immiscuerint, hae sunt: *a*) omnibus aeque communis irregularitas, probabiliter si vel dubium adsit alicui illatae necis, et quidem etiam a Clerici sociis, si agatur de bello iniusto: ab ipso Clerico, vel ab aliis eius mandato in personam determinatam, si de iusto, *Thesaur. de Poenis v. Bellum n. 2; b*) varia pro vario clerici gradu privatio privilegiorum Clericalium et etiam beneficiorum, i. e. Privatio privilegii canonis tantum et quidem post triplicem monitionem, si clericus sit in sacris, *Thesaur. de Poenis v. Apostasia c. 4. n. 5. et 7;* insuper et aliae sunt arbitrio Episcopi relictae pro rei gravitate. Tandem privatio ipso facto omnium privilegiorum, *Fagn. in c. Contingit 45. de Sent. excom. n. 16,* et ecclesiasticorum beneficiorum, si constitutus sit in minoribus, *Thesaur. l. c.*

110. *Declaratur et prob. 2^m.* **De armorum delatione** 1. Generalis regula est eam Clericis prohiberi, quippe quae a clericali mansuetudine maxime abhorret. Nam, *c. Nimirum h. t. de Vita et hon. Cler.* dicitur: « *Clerici arma portantes excommunicentur; ob hoc supra modum viluisse gravitatem et religionem clericorum* ». *Cf. et c. Cum a iudaeis 2. c. Non pila 3. ca. 23. q. 8; Clerici arma 2. de Vita et hon. Cler.; c. Quicumq. ex Cler. 6. ca. 25. q. 8; c. In audientia 25. de Sent. excom. et Clem. 1.* Unde res gravissima est, cum sacri canones tantam poenam huic legi adnexam velint: et merito, quia arma Clericorum ferventes precationes atque lacrymae compunctionis esse debent. « Lacrymae meae mea arma sunt, talia sunt munimenta sacerdotis », *c. Convenior 21. ca. 23. q. 8;* quod S. Ambrosii dictum ingeminatur etiam *c. Non pila 3. et ca. cit.* « Orationes et lacrymae fuerunt mihi arma adversus milites ».

2. Excipitur tamen casus necessitatis *c. 2. Clerici h. t.,* e. g. in itinere per loca periculosa.

3. Quod vero attinet ad poenam adversus eiusmodi pro-

hibitionis violatores, ea in genere Episcopi arbitrio relinquitur, sicut excommunicatio; in specie autem quoad degentes in terris Ecclesiae Romanae multo graviores poenae inducuntur, de quibus videndae sunt *Const. Pii IV. Cum vices 6 Martii 1562; Pii V. Cum vices 12 Febr. 1572; Alexand. VIII. Etsi cuncta 13 Aug. 1690; Bened. XIV. Securitatem 15 Ian. 1572. Cf. Giraldi de Vita et hon. Cler. 2.*

III. *Dem. 3^m.* Cum in *c. 5. 9. et fin. tit. Ne monachi vel Clerici,* iudicium criminale sanguinis omnibus clericis, sive in maioribus sive in minoribus constitutis severissime prohibeatur; speciatim videndum est 1) quid eo nomine vetitum sit Clericis; 2) quid ab hac prohibitione excipiatur; 3) quae tandem poena eidem adnexa sit.

I. *Nomine iudicii sanguinis causae illae intelliguntur, in quibus de poena mortis vel mutilationis membrorum decernitur, adeoque ea omnia Clericis prohibentur, quae participem eiusmodi sententiae utcumque efficiunt. Cap. Clerici et Cap. Sententiae h. t. ibique Doctores, cf. Antonelli de iurib. et oner. Cler. l. 1. c. 56.,* ita ut ea prohibitione comprehendatur etiam actus assistendi executioni sententiae sive auctoritative, sive ob curiositatem, excepta tamen causa pietatis ad opem reo ferendam *cit. c. Sententiae; Reiff. eod. tit. n. 21.*

II. *Excipiuntur* tamen *a*) *Quaedam simpliciter,* i. e. *aa*) mandatum alteri datum exercendi iudicium sanguinis quoad clericos, qui temporalem iurisdictionem habent, *c. 1. Ne Clerici in 6; bb*) transcriptio iudicialis processus, quoad amanuenses privatos curiaeque minime addictos, *Giraldi P. 1. Sect. 614; S. C. C. ibid.; cc*) Testimoniales litterae a parocho datae de die natali rei capitalis, si dubium exortum sit, utrum eiusdem aetas sit capax extremi supplicii, *Giraldi Sect. 828; dd*) accusatio de crimine capitali coram iudice ecclesiastico, *Antonelli de Iurib. et Oner. Cler. l. 1. c. 56. n. 5. b*) *Quaedam autem nonnisi adiecta protestatione* se poenam sanguinis minime intendere: sunt autem α) accusatio de crimine capitali coram iudice saeculari, quae ad se, vel ad parentes, aut fratres aut etiam ad suos domesticos spectant *Antonel. l. c.;* β) testimonium in eiusmodi iudiciis coram iudice saeculari, debita cum Episcopi venia, factum etiam in causis extraneorum *c. Tua nos et c. Postulasti de Homic. et c. 2. eod. tit. in 6.*

III. Poena eiusmodi prohibitionem violantium in casibus non exceptis *a*) *generatim* varia est, prout iudicium sanguinis effectum habuerit nec ne, i. e. *aa*) si effectum habuerit est irregularitas; cui additur privatio beneficiorum, quae forte habet, post sententiam iudicis *c. 5. Ne Clerici; c. Ex litteris, v. Nos autem, de Excessib. Praelat.; Schmalz. in tit. Ne clerici n. 37; Thesaurus de Poenis c. 2. n. 2; bb*) si effectum non habuerit, relinquitur arbitrio Episcopi, *Schmalz. et Thesaur. ll. cc.; b*) speciatim quoad assistentes executioni sententiae sanguinis, non quidem auctoritative, sed ob solam curiositatem, relinquitur item arbitrio Episcopi, *Reiff. in tit. Ne Clerici.*

Ob eamdem mansuetudinem, modestiam, decus, quod status Clericalis exigit, prohibentur Clerici quominus propriis manibus aliquem delinquentem, sive fidelem sive infidelem, percutiant *can. 1. 7. Dist. 45; can. 25. Dist. 86. et c. 1. De Clerico percussore.* Nam Clericus Christi imaginem maxime referre debet, qui cum percuteretur non percutiebat, cum malediceretur non maledicebat, cum pateretur non comminabatur.

Sed alienis manibus immoderata seu cum notabili excessu graviter prohibetur: moderata tamen et iusta permittitur quibusdam Clericis. Ratio 1^i. est quia repugnat charitati et iustitiae erga proximum, nec non modestiae et decentiae clericali *c. 1. et 7. Dist. 45. c. 1. et 2. de Cler. percus.* Ratio 2^i. est *c. 19. Dist. 1. de Poen.; c. 1. 54. § 2. de Sent. excomm.,* ubi praeceptori vel magistro permittitur moderate discipulos correctionis causa percutere etiam Clericos. Permittitur et Praelatis tam regularibus, quam saecularibus Clericos vel subditos moderate percutere in maioribus constitutos, propter excessus graviores, in minoribus etiam, propter culpas leves. Attamen Episcopis interdicitur per seipsos percutere, ita ut verberationem quam quis meretur, per alium et quidem per Clericum non per laicum exequi eam possint, *c. 23. Dist. 86. cap. 24. de Sent. excomm.*

Poena contra Clericos percussores relinquitur arbitrio iudicis pro qualitate criminis, *c. 1. de Cler. percuss.* Quod si vel una percussio a Clerico facta lethalis fuerit vel enormis, hic deponendus est, *Gloss. in c. 1. de Cler. percuss.,* et Doctores arguunt *can. ult. Dist. 25. et c. 2. de Cler. percuss.*

Summarium. — Ad classem rerum mundanarum, quae Clericis interdicuntur, utpote a cura spiritualium avocantes, ut plurimum pertinent 1) Officia politica et civilia, 2) quaedam studia 3) et negotiatio.

112. *Declaratur et prob. 1^m.* **Officia politica et civilia.** Recensentur heic actiones sub variis poenis prohibitae, quia alienae a propria Clericorum vivendi ratione. *a*) Officia *politica* ea dicunt, *quae ad Reipublicae regimen* spectant, a quibus abstinendum clericis esse iubent *cap. 4. et 5. § Iubemus, Ne Clerici vel Mon.: Iubemus etiam sub interminatione anathematis, ne quis sacerdos officium habeat Vicecomitis aut Praepositi saecularis; si quis autem contra hoc venire praesumpserit et commonitus emendare noluerit, excommunicationi subiaceat.*

De qua prohibitione duo advertenda, sanctio et exceptio. *Sanctio seu poena* eidem annexa α) *quoad sacerdotes* excommunicatio, praevia trina monitione, vel una pro tribus cum denunciatione praedictae censurae, *ipso iure* incurrenda, adeoque monenti non reservata, *Thesaur. de Poenis v. Iudex cap. 11;* β) quoad Episcopos vel minores clericos definienda est a legitimo eorum superiore, i. e. a Romano Pontifice vel Ordinario, *Cf. Thesaur. l. c.; Suarez de Cens. Disp. 23. Sect. 3. n. 22; Schmalz. tit. Ne Clerici n. 64. Exceptio* admittitur quoad dignitatem senatoris vel Consiliarii Principis, *Gonzalez in cap. 2. Ne Clerici n. 5,* sive quia consilium dare ad rempublicam recte sancteque administrandam officio clericali congruit potius, quam repugnet, sive quia Ecclesiae bono id confert; atque huc referenda sunt quae habent *Clem. VIII. Constit. Securitati 9 Aug. 1603. et Urban. VIII. Constit. De iur. Ecclesiae 24 Nov. 1634.* Quae tamen ea sub lege intelligenda sunt, ut a ferendo consilio in iudiciis sanguinis clerici abstineant, *Schmalz. tit. Ne Clerici tit. 50.*

Haec data proportione applicantur deputatis. *b*) *Officia civilia,* quae scilicet ad forum laicale et ad saecularem administrationem pertinent et publice deferuntur ac publico modo exercentur, Clericis esse vetita, regula generalis est: *arg. can. 4. ca. V. q. 3. et cap. 2. et 8. Ne clerici vel Mon., cf. S. Cypr. l. 1. Ep. 1. alias vel 9. vel 66. ad Clerum et plebem Furnitanam,* nisi tamen agatur de iis, quae in iure excepta sunt; quae proinde

heic recensebimus, adiicientes ad singula poenas adversus eos constitutas, qui praescriptos limites transgrediuntur. Sunt autem haec:

Primum est *officium Procuratoris* (in foro scilicet laicali quandoquidem de ecclesiastico non dubitatur. *Gonzalez in cap. 3. de Postulando*) seu advocati. *Procurator est qui aliena negotia mandato domini absentis administrat, vel generalis ad omnia negotia et lites, vel specialis ad aliquod, si ad lites dicitur iudicialis, secus extraiudicialis;*

I. Cuius quidem permissio intra hos limites continetur pro vario Clericorum statu, nimirum:

a) Quoad Clericos saeculares in minoribus constituto nulloque beneficio auctos conceditur simpliciter et indiscriminatim, duplici tamen lege: 1. dummodo non habeant aliunde, quo congrue sustententur, *Fagn. l. c. n. 3;* 2. ut causae sanguinis excludantur, *Gloss. in Canon. Aliquantos v. Sacerdotium Dist. 51.*

b) Quoad Clericos saeculares constitutos in sacris vel beneficio auctos pro seipsis dumtaxat vel pro Ecclesia sua, vel (causis sanguinis exceptis) pro personis coniunctis aut miserabilibus, quae proprias causas administrare non possunt, *Cap. 1. et 3. de Postuland., ibique Doctores.* Quod autem Fagnanus addit in *Cap. 3. de Postul. n. 4. et 5.* quoad sacerdotes in foro tantum ecclesiastico haec licere, id iusto canonum fundamento non innititur, *cf. Gonzalez in d. Cap. 3. et Bened. XIV. de Syn. L. XIII. c. X. n. 12.*

c) Quoad Regulares pro suo tantum monasterio, et accedente simul mandato Praelati sui, *Cap. 2. de Postul.,* dummodo hoc ipsum eorum Constitutiones non prohibeant, *arg. Clem. Exivi* § *Proinde de V. S.*

II. *Poena in eos,* qui praedictos limites transgrediuntur, *in genere* ab Ordinario definienda est; cui additur irritatio actuum, si a parte adversa eadem postuletur. *Squillante de Oblig. Cler. P. 2. n. 55.; Anton. de Iur. et oner. Cler. l. 1. P. 2. c. 25. n. 12.*

In specie autem quoad sacerdotes, qui patrocinantur pro extraneo (non autem pro coniuncto) contra Ecclesiam, in qua habeat beneficium, infligi potest etiam privatio beneficiorum tamquam ingratis. *Cap. 3. de Postul., ibiq. Fagn. n. 20.*

Alterum est *officium consulentis,* quod omnino ac libere a

Clericis exerceri potest, domi scilicet suae, vel de iure respondendo pro veritate etiam in scriptis: vel etiam pro aliqua ex partibus litigantibus allegationes scribendo, *Fag. in Cap. 1. de Postul. n. 20. 21; Gonzalez in Cap. eod. n. 8. v. Tertius;* aliique communiter.

Tertium est *officium tabellionis,* de quo ut distinctius intelligatur quid Clericis permitti possit, *duplex tabellionum classis* est distinguenda; eorum qui contractus publica auctoritate scribunt, qui vulgo dicuntur *Notarii,* et eorum, qui acta iudicialia scripto item consignant, quique vulgo audiunt *Cancellarii.* Qua praemissa distinctione, quid, debita intercedente venia legitimi superioris, canones Clericis permittant, quaeque sit eorum poena, qui praescriptos limites transgrediuntur, breviter exponemus.

a) Officium scribendi contractus vel acta iudicialia in causis temporalibus sive in curia saeculari, sive etiam in curia ecclesiastica, eatenus permittitur, quatenus, sive ex beneficio, sive ex patrimonio, non habeant unde congrue sustententur; *Fagn. in Cap. Sicut se, Ne Clerici n. 20 sqq.,* idque sive in sacris Clerici constituti sint, *d. Cap. Sicut n. 8. Ne Cler.,* sive in minoribus, *Fagn. l. c.,* qui tamen non bene ratiocinatur: *Cf. Gonzalez ibid.,* cum unica ratio ea sit, quod eiusmodi officium est vere saeculare, ut patet, et insuper sua natura avocans a cura rerum spiritualium, cum se, qui illud administrant, subtrahere ab eiusmodi exercitio numquam possint, adeoque per se omnibus Clericis prohibitum.

b) Officium scribendi acta iudicialia in foro ecclesiastico in causis natura sua spiritualibus, Clericis omnino permitti, imo sua natura esse licitum nonnulli censent, *Gonzalez in d. Cap. 8. Ne Cler.; Barb. Ius Eccl. un. l. 1. cap. 40. n. 101.;* alii in eo tantum casu, in quo non habeant unde congrue sustententur, *Fagn. l. c. n. 56...* Unde sequitur eam regulam esse tenendam, quam consuetudo praecipit, *Barb. l. c. n. 102; Ferrar. v. Cler. a. 3. n. 67.* Excipienda sunt iudicia de haeresi, in quibus certum est Cancellarii officium exerceri a Clericis posse, textu expresso in *cap. Ut officium De Haer. in 6.*

I. *Permissio* intra hos limites continetur: *a*) Si agatur de actis in statu laicali scriptis, quae vel suppleri vel authenticari

debent, id per se licitum est, *Fagn. in Cap. Sicut se, Ne Clerici 32,* imo debitum censendum est ita, ut ne venia quidem superioris sit necessaria.

b) In ceteris casibus ita distinguendum est officium scribendi contractus vel acta iudicialia. In causis temporalibus, sive in saeculari sive in ecclesiastica curia eatenus permittitur, quatenus Clericus, sive ex beneficio sive ex patrimonio, non habeat unde sustentetur; et id sive sit in sacris constitutus sive in minoribus; secus non permittitur. *Fagn. c. 8. Ne Clerici n. 32.*

II. *Poena* in eos, qui praedictos limites transgrediuntur, *a*) Ordinarii arbitrio commissa est. *b*) Non extenditur ad irritationem actorum, nisi prius a tabellionatus officio eiusmodi Clericos Episcopus edicto publico interdixerit. *Fagn. l. c. Ne Cler.*

Quartum *est officium tutoris, curatoris* vel *administratoris* bonorum, de quibus haec praemittenda: 1) Triplicem esse tutelae speciem: *testamentariam,* quae a testatore in filios proprios impuberes alicui defertur; *legitimam,* quae, testamentaria deficiente, defertur a lege proximioribus agnatis; *dativam,* quae, deficiente simul testamentaria et legitima, defertur a Magistratu.

2) Tutoris autem officio affine est *officium Curatoris,* qui regulariter a Magistratu dari solet iis adolescentibus, qui pubertatem attigerunt, non ad eos more tutoris regendos, sed ad bona communia administranda. Quibus positis exponendum est 1. quatenus permittatur Clericis eiusmodi officia exercere; 2. quid in specie constitutum sit de saecularibus administrationibus ante Clericatum susceptis; 3. quae sint poenae eorum, qui praescriptos limites transgrediuntur. Praemittendum ad perspicuitatem, tutelam iure civili officium esse publicum, quod recusari nequeat, nisi legitimae, etiam in iure admissae, adsint excusationes.

Quod attinet ad permissionem variae sunt regulae pro variis officiis. Itaque.

I. *Tutela legitima permittitur quatuor sub conditionibus: a*) Ut liberum sit Clerico eam acceptare nec ne, *Gloss. in can. 26. dist. 86. v. Tutelas:* adeo ut 1°. recusare eam possit, etiamsi in illa sese ingesserit ante Clericatum, *Anton. de iur. et oner. Cler.*

l. 1. P. 2. Cap. 25. n. 5; 2°. eam recusando nullam poenam incurrat, neque privationis, scilicet successionis in haereditatem pupilli, *Gloss. l. c.,* neque amissionis legati sibi a testatore (non sub conditione) cum onere tutelae relicti, *Anton. l. c. n. 11:* salvo tamen Episcopi praecepto, quod ad eiusmodi tutelam suscipiendam imponi, iusta de causa, clerico potest. *Passer. de Statu t. 2. q. 187. a. 2. n. 131.* ibique alii. *b*) Ut eam acceptans bonorum administrationem non antea suscipiat, quam venia Episcopi accesserit, *Ferr. v. Cleric. a. 3. n. 83. sq. c*) Ut eiusmodi tutela sit unica, *Antonelli l. c. n. 7. d*) Ut Clericus non sit regularis, qui nonnisi ex apostolico indulto eamdem suscipere potest, *Ferr. l. c. n. 86.*

II. *Tutela testamentaria, tutela dativa,* curatio et quaelibet administratio peculiaris suscipi non possunt, nisi duae concurrant conditiones, i. e. *a*) *iusta causa,* si agatur e. g. de miserabilibus personis, *Can. 25. Dist. 86; Ferr. l. c. n. 88; b*) indultum Ordinarii; si agatur de causa a iure expresse admissa; sin de alia, Sedis Apostolicae, *Ferrar. l. c. n. 88; Anton. de Iur. et oner. Cler. l. c. 8 et 9.* Eccur non Ordinarii? nimirum si agatur de mero indulto, quia a iure communi Ordinarius dispensare nequit; sed si adsit iusta causa potest etiam cogere Clericum.

In specie autem quoad curationes et administrationes saeculares *ante Clericatum susceptas,* id est constitutum, ut, iisdem pendentibus, admissio in Clerum plus minusve impediatur; i. e. I. Quoad admissionem in Clerum saecularem hac sub distinctione, *Gloss. in Cap. Magnus de Oblig. ad ratioc. et ibi Fagn.,* eo tantum in casu impedimento sit, quo administrator *a*) si agatur *de administratione privata* (excepta tutela legitima ac miserabilium personarum, quae nullo pacto impediunt, *Reiff. l. 1. Tit. XXX. n. 7*), qui admitti in clerum postulat iudicio iam conventus fuerit ob dolum, *Devot. in Ius can. univ. in cap. un. de Obl. ad ratiocinia; b*) si *de administratione publica* omnino ita, ut in clerum admitti nonnisi eadem deposita, quispiam possit. *Cap. un. de Oblig. ad ratioc. ibiq. Devot.* II. Quoad admissionem in Clerum regularem, item omnino: adeo, ut admitti in Religionem nequeat, qui reddendis rationibus adhuc sit obnoxius; imo ne ille quidem, qui aere alieno supra vires gravatus sit, idque sub poena privationis officiorum, graduum,

vocisque activae et passivae, nec non ad eadem inhabilitatis ab iis superioribus ipso facto incurrenda, qui eum admiserint, *Clemens VIII. Constit. In suprema 2 Apr. 1602; Thes. de Poen. v. obligat. ad ratioc.....*

Cum vero ad curationes vel administrationes referri etiam possit *officium executoris Testamenti;* hinc de eo operae pretium est animadvertere: suscipi illud posse non modo a Clerico saeculari, verum etiam a regulari, qui proprii Instituti legibus non prohibetur, *cf. Clemen. Exivi § Verum etiam de V. S. et Reiff. de Test. § 23;* ita tamen, ut 1°. licentiam a praelato suo obtineat, *Cap. 2. de Test. in 6; Clem. un. eod.; Schmalz. tit. de Test. n. 192. 194;* 2°. ut rationes executionis peractae Episcopo reddat, *Clem. un. de Test.; Schmalzgr. l. c. 104; Fag. in Cap. Tum nobis de Test. n. 5.*

Quod denique attinet ad *poenas,* quas illi incurrunt, qui in praedictis officiis (tutoris scilicet, curatoris, administratoris) suscipiendis praescriptos limites transgrediuntur, hoc dici potest.

I. In genere arbitrio Episcopi poenae definitio relinquitur, *Can. 26. Dist. 86; Thesaur. de Poen. v. Tutela c. 1. n. 2.*

II. In specie quoad eos, qui tutelam dativam, aut testamentariam, vel curatoris officium contra canones susceperunt, haec insuper poenae nomine constitutae sunt. *a*) Acta ab eis gesta irrita habentur, *Thes. de Poen. l. c. § Nota secundo. b*) Promoveri ad Ordines ii prohibentur, quousque tutoris vel curatoris officium deposuerint, *Thesaur. l. c. § Nota quarto.*

113. *Declaratur et prob. 2m. Officiis civilibus ac politicis* **succedunt quaedam studia quae, cum saeculares curas nimium ingerant, clericis plus minusve interdicuntur.**

Sunt autem *studium iuris civilis et medicinae eorumque exercitium.* Itaque in primis de ipso studio harum facultatum videndum est 1. quid, et quandantenus sit prohibitum; 2. quibus, et qua sub poena.

Prohibentur Clerici praedictas scientias audire in publicis scholis, *Cap. 3. et 10. Ne Clerici et Cap. 1. eod. in 6,* excepto legitimo privilegio. Unde sequitur I. Easdem facultates docere per se et spectato iure communi non esse prohibitum, *Schmalzg. Tit. Ne Clerici n. 76. et sqq.; Fagn. in Cap. Super specula eod. n. 37. et seq.* II. Item licere domi et sub privato doctore eisdem

studiis vacare, *Thes. de Poen. v. Studium Cap. 3. § Limita quarto.* III. Quoad ius civile: cum pro eiusdem nexu cum iure canonico pluribus Universitatibus indulto Sedis Apostolicae facultas facta sit, ad eius scholam etiam clericos admittendi, eademque facultas, consuetudine iam constituta, fuerit ad alias prorogata; hinc item sequitur in iisdem universitatibus Clericis licitum esse ius civile audire, *Schmalz. tit. Ne Clerici n. 85. et 86; Maschat lib. III. Tit. 50. n. 7.* Ex privilegiis aut consuetudine hodie licitum est Clericis et Religiosis, cum licentia Praelatorum, ius civile audire in scholis publicis et multo magis intra claustra.

De Personis vero, ad quos ea prohibitio extenditur, deque poena eidem adnexa ita constitutum est.

I. *Personae* sunt *a*) religiosi et presbyteri saeculares indiscriminatim *Cap. 3. et 10. Ne Cler.; Schmalz. eod. n. 70. b*) Clerici, etsi nondum ad presbyteratum promoti, qui tamen dignitatem vel personatum obtinent, *Cap. 10. Ne Clerici; Schmalz. l. c.;* imo et plebaniam, quae scilicet habeat sub se capellas minores, quibus Vicarii perpetui praeponuntur *C. 1. eod. in 6. ibiq. Gloss., Schmalz.*

II. *Poena* alia est communis, alia Regularium propria: *a*) communis est excommunicatio ipso facto incurrenda, *C. 3. et 10. Ne Clerici,* quae tamen varias pro varia personarum classe exigit conditiones, i. e. *aa*) *pro regularibus,* 1) ut agatur de religioso proprie dicto; 2) ut intra duorum mensium spatium, ex quo a monasterio exiit, ad illud non sit regressus: *arg. Cap. 3. Ne Clerici; Schmalz. n. 71; Thes. de Poen. v. Studia c. 2. bb*) *Pro clericis saecularibus* unicam, ut intra duos menses ab eiusmodi scholis non recesserint, *Cap. 10. Ne Clerici; Schmalz. eod. 74; Fagn. in Cap. Super spec. b*) Propria Regularium ut reversi a praedictis scholis in ultimum locum inter fratres detrudantur, atque omni promotionis spe, salvo apostolico indulto, priventur *Cap. 10. Ne Clerici; Schmalz. eod. tit. 66; Thesaur. de Poen. l. c.*

Quod attinet ad eiusmodi studiorum exercitium de iure civili satis sit repetiisse, quae diximus de procuratoris, consulentis et tabellionis officiis. De arte vero medica adeoque de chirurgica diximus supra.

114. *Declaratur et prob. 3^m.* Cum negotiatio praesertim proprie dicta avaritiam fovere, a divinis curandis avertere, atque mendacio, blasphemiis, periuriis, dolo, fraudibusque exercendis, ut plurimum exponere soleat Clericos, his ea merito prohibetur: quam si quis eorum exerceat, praeter reatum culpae, potest a divinis suspendi et alias incurrere poenas, *Can. 2. 9. 10. Dist. 88; C. 6. Ne Clerici vel Mon.; C. 16. de Vita et hon. Cler.*

Ad rem *S. Th. 2. 2. q. 77. a. 4.* ubi *ad 3.* scilicet ad verba Hier. *(ep. 2. de Nepotian.):* « Negotiatorem Clericum ex inope divitem, ex ignobili gloriosum, quasi quamdam pestem fuge »; et ad obiect. « non autem negotiatio clericis interdicta esse videtur, nisi propter peccatum; ergo aliquid vilius emere et carius vendere est peccatum », sic resp.: « Ad 3^m. dicendum quod clerici non solum debent abstinere ab his, quae sunt per se mala, sed etiam ab his, quae habent speciem mali; quod quidem in negotiatione contingit: tum propter hoc, quod est ordinata ad lucrum terrenum, cuius Clerici debent esse contemptores; tum etiam propter frequentia negotiatorum vitia: quia difficulter exuitur negotiator a peccatis labiorum, ut dicitur *Eccl. 26;* est et alia causa, quia negotiatio nimis implicat animum saecularibus curis, et per consequens a spiritualibus retrahit; unde et Apostolus dicit *2. Timoth. 2: Nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus:* licet tamen Clericis uti prima commutationis specie, quae ordinatur ad necessitatem vitae emendo vel vendendo ».

Quae ultima verba S. Th. ut intelligantur distinctius, hac de re agendum est summario sequenti; atque ita patebit quid et quatenus in re magni momenti permissum sit, tum propter huius aetatis adiuncta, quibus, vel necessitas quoad vitae alimenta, vel nova insurgunt commercia, tum propter Ecclesiae plurimas Constitutiones ac responsa Doctorumque auctoritatem. Hos inter cf. qui scripsere *in t. 1. vel 50. lib. III. Dec. aut in dist. 88. aut in C. Trid. Sess. 22. c. 1. de Ref.; Raynaudus Theoph.* qui integrum tractatum scripsit de negotiatione religiosa; *Ferraris v. Clericus a. 3; Thesaur. de Poenis v. Negotiatio; Benedictus XIV. de Syn. l. 10. c. 6.* E recentioribus *Vecchiotti l. 2. § 109; Maupied; Lucidi; Sanguineti schol. ad tit. III. l. I.*

Summarium. — Non 1) **omnem negotiationem,** 2) **sed quaestuosam tantum,** 3) **clericis omnibus etiam minoribus, sive per se sive per alios exercendam vetat Ecclesia,** 4) **sub gravi poena,** 5) **nisi legitima necessitas excuset.**

115. *Declaratur et prob. 1^m.* Tria hac parte praestabimus, scilicet exhibebimus α) varias negotiationis species; tum β) definitionem negotiationis proprie et strictissime sumptae, et tandem γ) ostendemus quaenam ex his non prohibeantur.

1. *Species* triplex penes Doctores distingui solet: I^a. est *oeconomica,* quae consistit in iis, quae necessaria sunt emendis, ac quae superflua sunt vendendis, et insuper in suis praediis ac gregibus curandis, aut locandis. Alia est *lucrativa,* quae subdistinguitur in *artificialem,* et *quaestuosam;* II^a. proinde est illa, quae in alicuius artis exercitio sita est; III^a. est haec, scilicet *quaestuosa,* quae in rerum aliunde coemptarum commercio, nullo circa eas intercedente artificio, quo immutentur, exercetur. Quae ultima est negotiatio proprie et strictiori sensu dicta, quam *S. Ligor. l. 3. n. 381.* definit actum, quo quis rem sibi comparat eo animo, ut integram et non mutatam carius vendendo et permutando lucretur.

2. *Definitionem* S. Alphonsi praeiverat definitio consonans *Io. Chrys. in hom. 38. in Matth.* Consonant pariter *Molina, Layman, Less., Fagn.* aliique cum dicunt re « *Negotiari est aliquid emere ut immutatum carius vendas* »; hinc quatuor elementa negotiationis sunt: α) ut *emeris:* unde non est vera negotiatio, si non illud idem vendas, quod emeras: e. g. si vendas quod percipis ex re empta, vel permutata, maturis iam fructibus; etsi emeris ad hoc, ut ex ea fructus venderes: ex vinea uvas, ex grege foetus.... domum, rhedam, navim, ut eam loces; praedia, ut fodinas in ea exsistentes exerceas; atque etiam aliorum ope instituas; tum β) *ut vendas,* h. e. si rem comparaveris *animo vendendi:* qui animus deest, si tibi prospiciens comparaveris, quod tuis usibus necessarium, vel etiam superfluum videbatur, *Lugo de Iust. et iur. Disp. 26. n. 31. 33:* et modo arrepta occasione vendas: γ) ut *carius* vendatur: quod non obtinet si inferiori, vel eodem pretio vendatur amicis pauperibus, *c. 6. Ne Clerici vel Mon.; Lugo l. c. 27. 31. 32;* δ) tan-

dem ut *nulla intercesserit mutatio:* quae si adest, etsi ematur ad carius vendendum, non est negotiatio stricte dicta. Haec porro immutatio fieri potest vel naturaliter, aut tuis operis, vel industria, e. g. mustum emere, ut illud vinum factum vendas, si oves, sues... emas, ut postea sive ex tuis pascuis, sive ex agris alienis, sive ex fructibus emptis in foro saginatos vendas: vel si ex panno, vel lino emptis confectum a te vestimentum, aut clericalem pileolum vendas...

3. Iamvero ex distinctis negotiationibus permittitur oeconomica et artificialis, etsi lucrativa sit. De oeconomica generalis regula est, eamdem clericis licere: dummodo vitium non sit in modo, *Clemens XIII. Encyc. Cum primum,* quia haec ad rectam rei familiaris administrationem pertinet. Hinc sequitur *a*) quod supra indicavimus et penes Doctores adnotatur, e. g. *Barbosa Ius eccl. univ. l. 1. c. 40; Ferraris v. Clericus a. 3. n. 17; Giraldi P. 2. sect. 73; cf. S. C. C. apud Fagn. in c. Multa Ne Cler. vel Mon.,* licere clericis ex foliis suarum arborum bombycinam facere, sues propriis quercubus alendos emere, animalia propria locare... item vinum suum etiam minutatim (scilicet per alios) vendere *S. C. Episcoporum et Reg. apud Ferraris l. c. n. 15;* vel his similia de rebus suis agere; *b*) licere etiam res ad usus proprios coemptas, occasione data, carius vendere, modo non eo animo ac studio comparatae fuerint, ut lucrum ex iis quaereretur, *Gonzal. in C. 6. Ne Clerici; c*) licere clericis bona Ecclesiae conducere, *S. C. C. apud Barbosa l. c.,* quia bona Ecclesiae bonis propriis aequiparari possunt, quippe quae ad Clericorum administrationem pertinent: non tamen hoc licet eis absolute, sed ex rationabili causa, e. g. paupertatis, *cf. Giraldi in opere de Off. Parochi, v. Negotiatio in indice. d*) Dixi dummodo non sit vitium in modo emendi et vendendi, quale esset e. g. passim in nundinis, ad res proprias vendendas, interesse, ibique laicali quasi apparatu ac specie se sistere, *Clemens XIII. l. c.; S. C. C. in Tudert. Edicti 12 Sept. 1807.*

Item de negotiatione artificiali generatim tenendum est: eam pariter Clericis licere non ad turpis lucri cupiditatem; sed ad subveniendum vitae necessitatibus; modo nil in ea redoleat, quod a clericali officio et dignitate absonum foret:

cuiusmodi est, ut Basilius penes Gonzalez advertit, quidquid est sordidum, vel nimias distractiones inferat, aut avaritiae studium, quaestumve improbum, atque imposturam prae se ferat. Nec tantum, si in se id ferat, sed etiam si in moribus totius populi universim pro tali habetur. Nam quid dedeceat et a dignitate quoque abhorreat, etiam ex moribus populi discendum est, nisi forte agatur de re, in qua populus docendus sit, non sequendus.

Hinc sequitur: *a*) illicitum esse clericis aliena praedia absque necessitate conducere, *S. C. C. apud Ferr. v. Clericus a. 3. n. 41;* cauponariam aut laniorum artem exercere, *Clem. de Vita et hon. Cleric.,* aliaque eiusmodi agere. *b*) In specie illicitum esse Regularibus (Hospitalariis S. Ioannis de Deo exceptis) exercere aromatariam, *Clemens XI. Const. Alias 20 Iul. 1733; Benedict. XIV. Const. Essendo noi 14 Nov. 1640; Cf. Theoph. Raynaud de relig. negot. § 8;* nisi deinceps facultatem a Romano Pontifice obtinuerint, quae pluribus data est, praesertim ad medicamenta in proprios usus parata renovanda, ne vim suam amittant, aut corrumpantur, *cf. Schmalz. l. c. n. 21.*

116. *Dem. 2.* **Ecclesia vetuit quaestuosam negotiationem:** de qua duplex regula tenenda est: 1ª. nisi causae excusantes adsint; per se et generatim eam illicitam esse; 2ª. praeterea; si de aliquo contractu dubitatio inciderit an licitus sit clericis, responsum ab Apostolica Sede esse petendum, *Clemens XIII. Const. cit.* Patet *Reg. 2ª.:* ad 1ᵃᵐ. vero quod attinet universaliter et constanter negotiatio ab Ecclesia prohibita est: atqui modo vidimus non esse prohibitam tam oeconomicam, quam artificialem: ergo restat quod fuerit prohibita, *quae quaestuosa dicitur.* Et merito: lucrum omnino intendit, atque nimium aliena est a status clericalis ratione et dignitate. *Ad mai.* α) In iure novissimo Trid. *Sess. 22. c. 1. de Ref.* innovavit et confirmavit, quae sacri canones tam in iure novo, quam antiquo salubriter hac de re praescripserunt: quinam sint speciatim hi canones indicavimus in *Prop. 85. ant. p. fin.* β) Quod Romani Pontifices, in iure novissimo circa negotiationem prohibuerunt, id reperire est in *Bened. XIV. Const. Apostolicae servitutis 25 Febr. 1741;* et in *Clementis XIII. Constit. Cum primum 17 Sept. 1759;* qui ultimus cetera inter,

definit cambium activum esse actum verae ac propriae negotiationis, atque adeo Clericis, sive proprio sive alieno nomine agentibus, prohibitum. γ) In specie huc revocandum est *Decr. S. U. I. 4 Dec. 1872*, quo auctoritate Romani Pontificis declaravit S. C. per Pii IX. Constitutionem *Apostolicae Sedis* non fuisse revocatas Urbani VIII. Constitutionem *Ex debito* 22 Febr. 1633, et Clementis IX. Constitutionem *Sollicitudo* 6 Iulii 1669, quibus quaelibet negotiatio prohibetur sub poena excommunicationis latae adversus Ecclesiasticos et missionarios mercaturam in Indiis Orientalibus exercentes.

117. *Declaratur et prob. 3^m.* **sive per se sive per alios exercendam Clericis omnibus etiam minoribus prohiberi.** Nam penes omnes duplex communis recipitur nunc regula: 1^a. est, quod quam negotiationem Clerici exercere per se prohibentur, eamdem ne per interpositas personas exercere possint, *Bened. XIV. Apostolicae Servit. 25 Febr. 1741; Clemens XIII. Const. Cum primum 1759; Urb. VIII. Const. Ex debito 22 Febr. 1633.* 2^a. Regula est, quod legibus, quae interdicunt negotiationem, tenentur Clerici non solum in maioribus, sed et in minoribus ordinibus constituti, *Fagn. in C. Multa Ne Cler. vel mon. n. 83; Schmalz. h. eod. tit. n. 25.* Dixi communis recipitur *nunc:* quia inter Doctores, ut videre est penes Schmalz. *l. c.*, controversum erat, an prohibitio negotiationis sub excommunicatione extenderetur etiam ad Clericos, qui per alios negotiationem exercerent sub alieno nomine, perinde ac si per se et proprio eorum nomine; quam controversiam sustulit *Bened. XIV. Const. cit.*

118. *Prob. 4^m.* **Poenae in Clericos negotiatores latae** hae sunt: *In genere* I. sicubi privilegium manet immunitatis, a vectigalibus eodem privantur quoad eas res, in quibus negotiationem exercent: sententia tamen iudicis Ecclesiastici, instante potestate laica, *Thesaur. de Poen. v. Negot. n. II.* II. Quae bona negotiatione adepti sunt, eadem spolio subiiciuntur ita, ut de illis frustra testamentum faciant; idque etiamsi de personis agatur, quae in genere a lege spolii exemptae sint, *Bened. XIV. l. c.* III. Aliis insuper subiiciuntur poenis, quae iuxta Trid., *Sess. 22. c. 1. de Ref.*, ab Ordinario definiendae sunt, easque etiam ad censuras extendi posse admonet *Clemens XIII.*

Const. cit. § 14; cf. poenas Romano Clero indictas apud Thesaur. de Poen. v. Negotiatio n. V.

In specie quoad missionarios iam indicavimus S. U. I. decretum, quo excommunicatio latae sententiae penes Urb. VIII. et Clement. IX. *ll. supra citt.* adversus missionarios in Indiis confirmatur. Huius excommunicationis porro α) obiectum est omnis et quaecumque negotiatio seu mercatura. Negotiatio minus patet, quam mercatura, quae attingit etiam ea, quae non artificialiter, sed naturaliter mutata, revendi possunt, et solent; β) excommunicantur autem I) omnes ecclesiastici, tam saeculares, quam regulares, cuiusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, qui ab his, quorum est auctoritas, apud Indos Orientales, et in partes Americae tam australes, quam septentrionales missi sunt, aut in iisdem regionibus, quomodolibet morabuntur; II) obnoxii etiam sunt superiores immediati ac Generales et Provinciales praedictorum Ordinum, Congregationum etc. qui in suos subditos etiam pro una vice quomodolibet delinquentes, saltem per amotionem a locis commissi delicti non animadverterint. A qua censura, licet nemini reservata, praedicti delinquentes absolvi non possunt, praeter quam in mortis articulo, nisi lucris huiusmodi prius restitutis.

119. *Declaratur et prob. 5^m^.* **Ad causas excusantes** quod attinet, eae rediguntur ad necessitatem sive suam, sive eorum, quibus ex naturalis officii debito opem ferre Clericus tenetur, *Clem. XIII. l. c. § 10,* triplici tamen sub conditione: 1°. ut re delata (nimirum constare debet de necessitate, idque legitimi iudicis sententia: licet autem ordinarius iudex sit Episcopus, tamen potest esse Romanus Pontifex, quia hic vi primatus est ordinarius et immediatus superior) ad Romanum Pontificem quoad Italiam et insulas adiacentes, ad Ordinarium autem quoad alias regiones, venia ab eo impetretur; 2°. ut vitium in modo non sit; 3°. ut necessitate cessante protinus et ipso iure facultas negotiandi cesset, *Clement. XIII. l. c. § 10. 11. 12.* Unde sequitur I. si negotium aliquod haereditario aliove iusto titulo Clerico defertur, quod sine detrimento statim dimitti nequeat, veniam ita esse concedendam ut 1°. non sit indefinita, sed ad tempus; 2°. per laicam personam geri illud prae-

cipiatur, *Bened. XIV. dicta Const. Apostolicae servit.* § 2. II. In genere cum negotiandi indultum concedendum est, in ipso rescripto indicandos et praescribendos esse honestiores modos, qui sint tenendi, *Clem. XIII.* § 11.

TITULUS IX.

DE DUOBUS OFFICIIS MAIORUM ORDINUM

SEU DE CAELIBATU ET DIVINI OFFICII RECITATIONE.

Praenotandum.

Qui sunt in maioribus ordinibus constituti, tenentur duabus praecipuis obligationibus, caelibatus scilicet et recitationis horarum canonicarum. Veneranda caelibatus lex, ob eximiam sublimis sacerdotii puritatem sanctitatemque, ob mysteria pertractanda, et sacra in proximum exercenda ministeria, obligationem imponit momenti maximi ita, ut iis, qui in sacris Ordinibus sunt constituti, tam illicitae quam invalidae sint nuptiae, quae si contractae ante sacros ordines fuerint, matrimonii usus in Ecclesia latina nullatenus permittatur. Eiusmodi autem continentia spectari potest 1. in ordine ad sacerdotium, quemnam scilicet cum hoc nexum habeat; 2. ad legem Ecclesiae; 3. in ordine ad societatem, quae ad civium felicitatem et vitam eorum tueri, sociorumque propagationem fovere teneatur. Hinc triplex propositio:

I. DE CAELIBATU SACRO.

Conclusio prima. — Caelibatus 1) etsi neque naturali, neque divina positiva lege Clericis imponatur, 2) tamen est institutio ad Ecclesiam proprie pertinens, eique maxime conveniens.

120. *Declaratur et prob. 1ª. pars.* Quamvis, ut dicit 2ª. pars, virtus continentiae pertineat ad honestatem Clericorum, ipsa sanctitate ministerii Clericalis eximiam puritatem exigente; tamen, ut a legitimo matrimonio, vel eius usu prorsus abstineant Clerici, nec iure naturali nec divino constitutum legitur,

s. Th. 2. 2. q. 88. Etsi enim congruentiam maximam cum sacerdotali officio atque munere dicat caelibatus, tamen inde non sequitur ordinem et matrimonium eiusque usum inter se pugnare, secus numquam Graecis fuisset permissus usus matrimonii iam contracti ante Ordines sacros. Quoad ius positivo-divinum speciatim patet, *a*) quia neque ex sacris Scripturis, neque ex traditione ullum habetur argumentum; *b*) Concilium Tridentinum hanc prohibitionem Clericis factam non a iure divino repetit, sed ecclesiastico, dum *can. 9. de Matr.* anathema dicitur illi, qui asseruerit « Clericos in sacris Ordinibus constitutos, non obstante lege ecclesiastica vel voto, posse matrimonium valide contrahere ».

121. *Declaratur et prob. 2^a. pars.* 1. Ex praecellentia intrinseca status virginalis statui coniugii, atque ex maxima puritate atque sanctitate, quae statui sacerdotali competit. Maxime enim convenit sacerdotes, vel qui in sacris constituti propiores sunt sacerdotio, aemulari prae ceteris charismata meliora, sanctitatemque perfectiorem, quam tam verbo, quam exemplo populum edocere praestat, *1. Cor. VII. 38;* atqui ex *Trid. can. 10. Sess. 24.* status caelibatus est sanctius et melius charisma, « si quis dixerit statum coniugalem anteponendum esse statui virginitatis et caelibatus, et non esse melius ac beatius manere in virginitate aut caelibatu, quam iungi matrimonio, anathema sit ». Ad hoc autem genus vitae plures laici Deo in saeculo sese consecrarunt, ut aemularentur melius charisma toto vitae tempore: unde in dedecus Clericorum evaderet, si laici possent quod non possent Clerici.

2. Ab exemplo Christi Domini et Apostolorum. Nam Christi sacerdotium N. L. est idem sacerdotium, quod participatur a sacris Presbyteris, atque horum proinde sacerdotium ad instar sacerdotii Christi procedere debet: atqui sacerdotium Christi cum maxima virginitate coniunctum fuit et est. Sola virgo Maria virginitate placens, illud in sacra viscera attrahens Verbum, quod ab aeterno Virginem generat Deus, factum hominem Virginem nobis edidit Salvatorem.

3. Ab exemplo Apostolorum, quos Dominus sibi eligit aut Virgines aut castimoniae deinceps devinctos. Hinc s. Paulus non solum docuit bonum esse mulierem non tangere, et melius

ac beatius esse sic manere, in statu nempe virginitatis, sed provocat ad suum exemplum omnes verbis sequentibus: « *bonum est, si sic permaneant, sicut et ego* ».

4. Per sacerdotium evadimus spirituales Patres fidelium non ad corpora gignenda, sed ad animas omnes Christo generandas ac magis magisque sanctificandas; evadimus intercessores ceu medii inter Deum et homines collocati, atque adeo in omnibus divinam Servatoris Dei imaginem exhibentes. In quod sublime elevati fastigium hominum duces et lumina mundi *(quia angelus Domini exercituum est; Vos estis lux mundi)*; quamobrem sacerdotes tamquam quid super mundanum omnino atque caeleste laici summa veneratione suspiciunt. Iamvero compareant ipsi ceu mariti inter uxores, ceu parentes inter carnales filios; illico contemnuntur ab omnibus, iamque nomen atque decus spiritualis patris, quo fideles populi cuncta secreta cordium pectori sacerdotali suaviter committere ferebantur, penitus amittant.

5. Idem *suadent reliqua officia sacerdotis,* singula si recte perpendantur. Sacerdotis enim est sacrificium offerre, orare, exhortari, ad concionem dicere, rudes instruere, Sacramenta ministrare, aegrotos invisere, curam pauperum habere. Sed qui vinculo coniugali obstrictus est nec idoneus, nec sat liber est ad haec officia, quae totum sibi hominem exigunt: nonne sacerdos si maritus et pater esset, dividit cor a Deo utpote sollicitus, quî placeat uxori, a mysteriis sacris ministeriisque se facile avocans, utpote qui domesticis curis ac saecularibus negotiis distentus cogitat quî collocet filios?

6. Id convenire clericis omnibus constat praeterea ut Thomassinus aliique « facto ipso quod in Ecclesia potissimum occidentali, perpetua saeculorum serie ostendi potest continentiam a clericis fuisse servatam, si res universim spectetur ». *Cf. Zaccaria Historia polemica caelibatus.* Nam si quoad presbyteros et diaconos caelibatus intelligatur vel prohibitio a contrahendis nuptiis post susceptionem ordinum; vel si iam ante contractae essent, prohibitio cuiuscumque usus coniugii, id verum esse prae Occidentali Ecclesia monumenta haud pauca testantur apud Thomassin. *Part. I. lib. II. Cap. 60....* Atqui antequam legibus etiam scriptis saec. IV. deinceps, talis

caelibatus praescriberetur, hic nequit intelligi nisi traditione apostolica sive moribus ac Apostolorum Patrumque exemplo et consuetudine esset inductus. Quod enim semper in Ecclesia observatum fuit, nec ab ullo Concilio legitur institutum, id censetur esse apostolicae traditionis. Inter tot de antiquitate caelibatus testimonia sufficiat Hieronymus, qui adversus Vigilantium presbyterum Gallum indicentem bellum acerrimum continentiae sacerdotali aiebat: « Quid facient Orientis Ecclesiae, quid Aegypti et Sedis Apostolicae? Quae aut virgines clericos accipiunt aut continentes; aut si uxores habuerint mariti esse desistunt. Proh nefas! Episcopus sui sceleris dicitur habere consortes: si tamen Episcopi nominandi sunt, qui non ordinant diaconos, nisi prius uxores duxerint; nulli caelibi credentes pudicitiam, imo ostendentes quam sancte vivant, qui male de omnibus suspicantur; et nisi praegnantes uxores viderint clericorum, infantes de ulnis matrum vagientes; Christi Sacramenta non tribuunt ». Item S. Doctor *Apol. pro lib. advers. Iovin.* « Christus virgo, virgo Maria utriusque sexus virginitatem dedicavere: Apostoli vel virgines vel post nuptias continentes; Episcopi, Presbyteri, Diaconi aut virgines eliguntur aut vidui, aut certe post sacerdotium in aeternum pudici ». Cf. Epiphanii pulcherrimum testimonium *apud Thomass. l. c. II. V.* Huc maxime facit quod Carthag. Conc. II. (an. 397) Patres testati sunt etiam quoad subdiaconos: « Ut quod Apostoli docuerunt et ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus ».

Epiphanius, qui mortuus est an. 402. *haer. LIX. n. 4.* contra Novatianos ait: « Quin eum insuper, qui adhuc in matrimonio degit ac liberis dat operam, tametsi sit unius uxoris vir, nequaquam tamen ad Presbyteri, Diaconi, Episcopi aut hypodiaconi ordinem admittit: sed eum dumtaxat, qui ab unius uxoris consuetudine sese continuerit, aut ea sit orbatus ». Quod repetit in Expositione fidei. Et cum velit reddere rationem cur deflectant plures Clerici ab ista obligatoria consuetudine *eod. l. c. haer. LIX.* ait: « Quod in illis locis praecipue fit ubi ecclesiastici canones (lex ergo erat) accurate servantur. At enim nonnullis adhuc in locis presbyteri, diaconi et hypodiaconi liberos suscipiunt: Respondeo non illud ex canonis auctoritate fieri, sed propter hominum ignaviam, quae

certis temporibus negligenter agere ac connivere solet ob nimiam populi multitudinem, cum scilicet, qui ad eas se functiones applicent, non facile reperiuntur »; a qua sanctitate magis atque magis deficiens Ecclesia Graeca edidit tandem saec. VII. canones trullanos, unde schisma Photianum est praeformatum.

Conclusio secunda. — Caelibatus sacer est etiam officium impositum ecclesiastica lege sua sanctione munita quoad omnes, qui modo ordinibus maioribus constituuntur.

122. *Declaratur et prob.* Monumenta certa extantis legis proferenda sunt et ea duplicem in classem sunt tribuenda, 1ª. ius vigens in Ecclesia ostendunt; 2ª. nexum huius vigentis iuris cum iure praecedentium saeculorum exhibent. Generatim quoad personas, quae huic legi subiiciuntur, prius advertendum est, strictiorem hac de re disciplinam apud occidentalem, quam apud orientalem Ecclesiam. Occidentalium disciplina longe severior est, tum in ipsa lege extendenda, tum in dispensationibus admittendis.

Et re quidem vera, *qualis caelibatus exigatur relate ad nuptias valide contractas ante ordinis susceptionem* patet ex seq. *a*) Episcopi, presbyteri, diaconi et subdiaconi non solum a novis nuptiis contrahendis, sed etiam ab usu coniugii antea contracti severissime arcentur; ita ut filius ex tali concubitu cum uxore prius legitime ducta natus quoad ordines et beneficia ecclesiastica habeatur pro illegitimo, *c. 14. de Filiis Presbyter.*, quamvis quoad haereditatem et effectus civiles censeatur legitimus.

Adde *b*) si quis laicus constante matrimonio ordines petat, de eo ita decernit Ecclesia: 1) Ut ad sacros ordines admitti non debeat nisi cum uxoris venia, *c. 5. de Convers. Coniug.*, ita ut, ea invita, ordinatus qui fuerit, de eo ita sit iudicandum: α) si matrimonium consummatum non fuerit instanter ab Episcopo moneatur, ut Professionem regularem in aliqua e Religionibus approbatis emittat, ubi perpetuam castitatem solemniter voveat, *Extrav. antiquae Io. XXII. de voto et voti redemp.*; β) si consummatum matrimonium fuerit, eove non consum-

mato, si in approbatam religionem ingredi ille renuerit, ad uxorem suam redire, si eadem instet, compellatur, etiam per censuram; quo quidem in casu, licet reddere debitum ipse teneatur, petere autem illud eumdem non posse manifestum est, *cf. Fagn. in c. 5. de Conv. Coniug. n. 14.* 2) Ut uxor ordinationi viri consentiens continentiam profiteri debeat, *d. c. 5. de Conv. Coniug.,* et quidem si sit iuvenis, in aliqua religione: si vero senex et minime iudicio prudentis suspecta etiam extra religionem, sed separata, *arg. c. 4. eod.; cf. Fagn. in d. c. 5. n. 10. et 11; cf. Bened. XIV. de Syn. l. 13. c. 12. n. 16.* 3) Ut Ordinatus sine praedictis conditionibus, ne matrimonio quidem soluto possit in suscepto ordine ministrare, aut ad superiores provehi, vel beneficium aut officium ecclesiasticum habere, nisi aliquam e religionibus approbatis ingrediatur eiusque regulam profiteatur, *D. Extrav. Antiquae Io. XXII. de Vot. et vot. redempt.* Idem uxoris 4) consensus requiritur ad primam tonsuram et ordines minores, ad quos nemo licite promovetur, nisi habeat intentionem ascendendi ad maiores, *c. ult. De temp. Ord. in 6; Trid. Sess. 23. c. 4:* atqui istam habere nequeunt coniugati, nisi uxor consentiat et castitatem profiteatur.

Si tempus vero post susceptos ordines relate ad matrimonium contrahendum spectetur: a) Constituti in minoribus ordinibus Clerici gaudent adhuc libertate contrahendi matrimonium: imo contractis nuptiis, gerentes habitum et tonsuram, nisi bigami sint, fruuntur privilegio canonis et fori, *C. un. de Cler. coniug. in 6,* sub nova tamen per Tridentinum adiecta conditione, ut ex deputatione Episcopi alicui Ecclesiae ministrent *Sess. 23. c. 6. et 17. de Ref.* Ob graves tamen rationes sacri canones prohibent, ne tales Clerici coniugati, *c. 3. et 4. de Cler. Coniug.,* beneficia ecclesiastica acquirant, aut prius acquisita retineant; ita ut ipso iure beneficia amittant, et teneantur tum ipsa abdicare, tum fructus post contractas nuptias perceptos ante iudicis sententiam restituere.

b) Constituti autem in maioribus prohibentur omnino a contrahendis coniugiis, ita ut si Episcopi, presbyteri, diaconi aut subdiaconi attentent coniugia contrahere, haec nulla prorsus et irrita sint, certo etiam quoad subdiaconos propter declarationem et legem constitutam a Concilio Oecumenico Lat. I.

can. 21, et II. *can. 7.* Hanc legem approbavit, suaque sanctione munivit, *Trid. Sess. 24. de Sacram. Matr. can. 9;* adeoque matrimonium post ordines maiores iam susceptos celebratum, invalidum omnino, atque una cum irregularitate sit coniunctum.

Ad Orientales quod pertinet hisce limitibus lex caelibatus continetur. I. Qui ad Episcopalem dignitatem promovetur neque uxorem accipere, si non habeat, neque eam, quam forte habeat, potest amplius retinere; sed eam a se separatam in aliquo monasterio alere debet, Trullana ipsa Synodo ita statuente, *Can. 48.*

II. Hypodiaconi, diaconi atque presbyteri matrimonium post ordinationem suam ita contrahere non possunt, ut etiam invalidum sit, si contrahant, *Bened. XIV. Const. Eo quamvis 4 Maii 1745 § 35. ad 39. Cf. et Assemani Biblioth. iur. orien. can. et civ. l. 1. c. 13. n. 320. et n. 341. ad 360.*

III. Si matrimonium ante ordinationem hypodiaconus contraxerit, eodem etiam in ordinibus sacris (excepto ut supra episcopatu) uti potest, *C. Cum olim de Cler. coniug.;* ita tamen ut presbyteri, antequam ad sacrum sacrificium seu sanctam missam celebrandam accedant, vel per hebdomadam, vel per triduum ab uxore curent abstinere, *Clem. VIII. Const. SSmus Dñus § 5. in ipso fine 31 Aug. 1595; Bened. XIV. Const. Etsi pastoralis § VII. n. 28. 26 Maii 1742. Cf. Zaccaria nuova giustificazione del Celibato sacro Dissert. 2. C. 2. n. 4.*

IV. Cum autem una cum schismate morum corruptela apud Graecos schismaticos vehementer invaluerit, ut etiam post sacros Ordines matrimonium non raro contrahere ab ipso saec. XII. consueverint, *Assemani l. c. n. 461;* hinc redeuntibus iisdem ad unitatem, ita cum ipsis Sedes Apostolica videtur comparata, ut peculiaribus perpensis circumstantiis facilius ad dispensandum moveri se sinat, ne ab expetita unitate ii deterreantur, *arg. d. Const. Benedict. XIV. quae incipit: Eo quamvis § 48. ad 52 Cf. Zaccaria l. c.*

Quo melius eiusmodi ius caelibatus in Ecclesia nunc vigens intelligatur; ostendenda est, 1) connexio iuris vigentis cum veteri; 2) ratio legis Ecclesiae inculcanda, atque huius

3) natura et 4) conditiones indicandae: tandem innuendum an 5) dispensatio dari queat.

1. Si quaeratur **nexus, quo ius vigens caelibatus Clericorum cum iure aetatum praecedentium** ex propositione antecedenti patet: quibus addenda haec sunt: I. caelibatus in Ecclesia latina semper iure servatus est, nec ullum exemplum afferri potest, quo impune Episcopus, presbyter, diaconus, aut nuptias contraxerint, aut nuptiis antea initis usi fuerint: dixi semper iam a primis Ecclesiae annis, consuetudine saltem et apostolica traditione inducta. Quin imo apostolica Patrum constitutione caelibatum institutum esse constat *ex Siricio ep. V. ad Africanos.* Hic Pontifex (mortuus an. 385.) memorat legem continentiae omnibus sacerdotibus et levitis impositam, eiusque transgressoribus poenam depositionis, quin et excommunicationis infligendam dicit. Epistola data an. 385. ait: « Quarum sanctionum omnes sacerdotes et levitae insolubili lege constringimur, ut a die ordinationis nostrae sobrietati et pudicitiae et corda nostra mancipemur et corpora ». *In Conc. Carth. II. (387. 390.)* cum non solum presbyteri et diaconi, sed omnes, qui sacramentis divinis inserviunt, penitus continentes esse monentur, addiderunt Patres, « ut quod Apostoli docuerunt, et ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus » *Harduin. t. 1. p. 351.* Ex quibus et aliis monumentis praesertim ex *Epiph. haer. 59,* patet legem scriptam caelibatus obligantem constitutos in sacris iam universalem esse saec. IV. in Ecclesia latina et graeca.

Ad subdiaconos quod attinet, licet IV. saec. nondum in lege tenerentur, id tamen servatum iam esse in Ecclesia Romana liquet ex *Leonis ep. XIV. ad Anastas. Thess.* Romae enim altari subdiaconi ministrabant, quod cum factum deinceps esset ubique commune, sub Pelagio II. et Gregorio M. facta est lex continentiae universalis pro subdiaconis. Et hoc quidem vel in ipsa ordinatione sponderi voto opus erat et quidem primum voto expresso, tum ex intentione Ecclesiae voto castitatis tacito, seu cum ipsa ordinatione indivisibiliter connexo, violantes vero legem caelibatus loco suo exciderunt, uti apparet quoad diaconos, *c. 3. 4. D. 32; c. 3. D. 84; can. 13. D. 32; can. 4. et 5.*

D. 31; can. 2. D. 82; quoad subdiaconos, *can. 1. D. 32; can. 5. D. 25; c. 1. et 5. D. 31.*

Cum deinceps in Occidente praesertim nutante vita canonicorum, clerogamia luctuose invalesceret, Leo IX., Nicol. II., Alex. II. tantae corruptelae invicte sese opposuere, quorum legibus insistens Greg. VII. sub poena excommunicationis vetuit, ne laici sacerdotum, coniugatorum missae interessent, neve iisdem sacramentaliter confiterentur, *C. 15. et 16. D. 81; 5. 6. 14. D. 32.* Ut vero ea, quae Greg. constituerat, maiorem nanciscerentur firmitatem, in Conc. Lat. I. et II. *c. 15. D. 81.* Clericorum coniugia, quae hactenus valida et nonnisi sub poena privationis beneficiorum et dignitatum Ecclesiasticis interdicta erant, nulla prorsus et irrita deinceps haberentur. Haec autem est lex vigens, praesertim ex Trid., *Sess. 24. de Matrim. c. 9,* ut supra vidimus. Porro haec legislationis praxis Ecclesiae ostendit caelibatum eiusmodi indicendi potestatem esse de iure divino primario, licet ipsum ius constitutum continentiae sit de iure divino secundario, h. e. maxime conveniens, atque ad finem Ecclesiae obtinendum necessarium.

2. Et re quidem vera praeter allatas in antecedenti propositione **rationes,** *a*) nonne caelibatus liberiores reddit clericos in obeundo suo munere, in tuenda iustitia, ac in catholica veritate propaganda? Unde merito Greg. VII., *ep. 3. n. 7,* aiebat: « Non liberari potest Ecclesia a servitute laicorum, nisi liberentur Clerici ab uxoribus » (1).

b) Ponas uxoratos Clericos: quot illico mala! quot damna Ecclesiae immineret, eamque opprimerent! munia sacra perfunctorie peragerentur; zelus ad vitia profliganda virtutesque in cor omnium inserendas penitus remissus; gloriae Dei latius

1 Il più gran nemico (dice Rohrbacker *Storia univ. della Ch. l. 65.*) del celibato ecclesiastico è il dispotismo. Nell'essere come solitario v'ha qualche cosa d'indipendente, di libero, di superiore alla forza. Un prete ammogliato è assai più arrendevole: ei teme per sè, per sua moglie, per i figli suoi: lo si tiene per cinquanta fili e lo si fa muovere come una macchina. Egli predicherà la servilità sotto il nome di religione. Enrico VIII. corruttore dell'Inghilterra trova troppo ritrosi i preti ed i vescovi: li fa ammogliare, e tosto in nome del cielo essi consacrano il più vergognoso eccesso di sua tirannia.

dilatandae studium vel nullum vel tenue; hinc passim contemneretur Religio: atque sicut Dei templum, ita et sacerdotium desolatum iaceret, et langueret; auctoritas ministrorum apud populum penitus despecta foret.

c) Nonne omnia redundarent damna, quae adhuc dolemus saec. XI. sub Gregorio et Henrico Imperatore contigisse, cum tantus fuit sacerdotum ad nuptias passim adhinnientium contemptus, ut sacramenta a laicis administrarentur? Iam a saec. IX. pestis incontinentiae Clericorum irrepsit et propagata fuit in Italia, in Germania, in Anglia, Gallia..... Quam miserrimus in his regionibus status rerum contigerit Ecclesiae, quanta hinc abiectio cleri fuerit secuta, et quam difficillimum fuerit eiusmodi vitium eradicare, sufficit vidisse unum Cleri Veronensis exemplum *penes Rathesium in huius operibus De tempore canonum an. 964, et de Discordia inter Raterium et Clericos an. 968. Cf. Iungman. Dissert. XX. n. 14–18.*

Ceteras inter causas huius incontinentiae fuerunt: 1. Populi aliqua generalis morum relaxatio; 2. quia tunc passim abrogata fuit vita canonica seu communis clericorum, in qua vita communi consortium cum mulieribus impediebatur efficacius; 3. praesertim cum eiusmodi clericorum connubia, quamvis illegalia, invalida tamen penes omnes non censebantur: adeo ut quidam Clerici facillime potuerint sibi persuadere caelibatus legem usu et consuetudine abrogatam. Aliae caussae speciales praesertim in Germania et Italia, *cf. penes Iungm. l. c. n. 24. et 25;* alia vitia connexa, *l. c. 26. sqq.*

d) Adde proventus ex beneficiis ecclesiasticis omnes, imo ipsa Ecclesiarum bona in rem familiarem converti, atque absumi, rerumque sacrarum turpissimam fieri nagotiationem: non amplius vigeret beneficentiae studium in pauperes, quorum patrimonium sunt bona cuncta Ecclesiae. Quo desineret vel ipsa S. Caroli Borromaei aut S. Vincentii a Paulo misericordia in pauperes, si illos uxoratos constituas?

e) Saltem ille perversus vigeret amor familiae, quem *nepotismum* vocant, illa contingeret ecclesiasticarum dignitatum veluti hereditaria in filios Clericorum successio, quae si in carnali Hebraeorum sacerdotio permittebatur, in Christi sacerdotio, ad cuius dignitatem et officium una divina vocatione,

legitimaque electione assumi clerici valeant, nullo potest pacto permitti.

3. **Quoad eius naturam,** licet quaestio non sit authentice definita utrum voti naturam habeat, an merae legis ecclesiasticae; nihilominus non est ambigendum eiusmodi votum lege ecclesiastica esse firmatum, *Can. 1. Dist. 32.* Unde sequitur eum, qui ordinem sacrum ita susceperit, ut servandae continentiae voluntatem nullam habuerit, continentiae lege nihilominus teneri, *Can. 1. Dist. 27; Fagn. in C. Tuae litterae de Cler. per saltum prom. n. 58. seqq.*

Sunt qui huius legis stabilitatem ex eo repetunt, quod sit quidam fere contractus; cum autem natura sua sit irrevocabilis ex parte Ecclesiae, quae sacro characteri illam adnexam voluit, quia character deleri nequit; ita ex parte Clerici irrevocabilis esse debet. Hinc ad quaestionem ex vi voti ne an legis ecclesiasticae tantum servandus caelibatus? *Resp.* Proxime et immediate ex vi voti, remote vi legis Ecclesiae praescribentis teneri eum, qui votum non emittat castitatis servandae, *cf. Ballerini ad Gury v. 2,* adeo, ut si habeatur firma voluntas recipiendi subdiaconatum, cum quo votum continentiae est inseparabiliter connexum, hoc ipso voveri censeatur. Ceterum quodcumque peccatum etiam internum contra castitatem subdiaconi, voti obligationem praecise removentis, habere etiam rationem sacrilegii, si non voti, saltem ordinationis sacrae ratione, qua subdiaconi persona solemniter ab Ecclesia consecratur, communiter admittitur.

Advertatur heic discrimen inter vim voti seu continentiae ordini sacro adnexi, et vim ex professione solemnis castitatis. Professio solemnis in religione approbata non modo ad futurum reddit inhabilem, sed etiam dissolvit ratum; votum autem solemne ordinis futurum, sed non ratum, dirimit. Cum dicimus votum continentiae esse inseparabiliter adnexum ordini sacro, non dicimus *huic* esse *essentialiter* adnexam continentiam.

Qua in re audiatur *S. Th. 2. 2. q. 88. a. 11. in* 0: « Est ergo considerandum utrum continentia sit essentialiter adnexa ei, ad quod votum solemnizatur: quia si non est essentialiter adnexa potest *manere solemnitas* consecrationis sine debito continentiae, quod non potest contingere, si sit essentialiter ad-

nexum debitum ei, ad quod votum solemnizatur. Non est autem essentialiter adnexum debitum continentiae ordini sacro, sed ex statuto Ecclesiae; unde videtur quod per Ecclesiam possit dispensari in voto continentiae solemnizato per susceptionem sacri Ordinis. Est autem debitum continentiae essentiale statui religionis, per quem homo abrenuntiat saeculo totaliter Dei servitio mancipatus, quod non potest simul stare cum matrimonio...» quod ultimum confirmat S. Thom. *Decretali Cum ad Monasterium De Statu Monach.;* ubi asseritur castitas adnexa regulae monachali. Haec autem ita accipimus, quod monachus, cum sit monachus, non potest uxoratus esse; non quod Romanus Pontifex non possit dispensare in voto continentiae etiam religiosum, sicut et Clericum in sacris. Nam etsi votum sit solemne, solemnitas dependet ab Ecclesia: haec autem *solemnitas* castitatis sive in Professione sive in suscipiendo ordine sacro (cui iure ecclesiastico adnexa est) si legitima auctoritate removeatur, restat in regulari votum simplex, a quo Ecclesia potest quoque ex iusta causa dispensare.

4. Quoad **conditionem,** quae necessario exigitur, ut lex caelibatus vim suam exserat, ea est ut sacri Ordinis susceptio voluntaria fuerit, et a coactione immunis, *arg. c. 13. cau. 32. q. 1, et c. 2. cau. 33. q. 5; S. C. C. in Parisiensi 12 Iul. 1721.* Unde sequitur *a*) Ordinatum in impubere aetate, licet post usum rationis (multo magis ante rationis usum), non teneri lege continentiae, nisi expresse vel tacite ordinationem ratam habuerit, confirmata iam aetate, *Bened. XIV. Const. Eo quamvis 4 Maii 1745 § 23. collato 26;* quae quidem aetas ex sententia *Fagn. in C. Tuae litterae de Cler. per salt. prom. n. 40. et seqq., 73 et seq.*, incipit ab ipsa pubertate, i. e. ab expleto quartodecimo anno, ex sententia *Sanchez in tract. de Matr. L. 7. Disp. 30. n. 8. in f.*, ab aetate a Concilio Tridentino definita ad professionem religiosam ineundam, i. e. ab expleto sextodecimo anno; cui sententiae favere videtur *Bened. XIV. in d. Const. § 28,* et multo magis *§ 27. Concil. Tolet. II.* anno decimoctavo completo. Ratio vero eiusmodi canonicae legis ea est, quam tradit *Fagn. l. c. n. 45.*, quia perpetua et irrevocabilis continentiae obligatio, quae instar solemnis voti sit, adeo gravis censetur, ut satis voluntaria minime habeatur, nisi

eius aetatis experientiam quis habeat, quae potis est ad matrimonium ineundum. *b*) Furiosum eatenus teneri, quatenus vel ordinatus fuisse censeatur, aut saltem dubitetur de lucidi intervalli tempore, vel omnino constet eundem ante furoris tempus suscipiendi ordinis sacri intentionem habuisse, *S. C. C. 23 Dec. 1587; apud Fagn. l. c. n. 80. seq. c*) Ordinatum per vim et metum, qui cadere poterat in constantem virum, minime teneri, *S. C. C. in Parisiensi 12 Iul. 1721; Fagn. in c. Maiores de Baptis. n. 90. et seqq.*, et praecipue *105. et seqq.*, nisi forte susceptum ordinem libere postea ratum habuerit, *arg. c. 1. in princ. de Reg. in 6; Fagn. l. c. n. 114.*

5. De **Dispensatione** autem ab hac caelibatus lege in Ecclesia Occidentali hoc breviter dici potest; rarissima ea de re haberi exempla; quemadmodum videri potest apud Zaccaria *Nuova giustificazione del celibato sacro in Appendice,* ubi omnia vir eruditissimus collegit, quae summa adhibita cura reperire potuit. Nihilominus vix dubito alia quoque, licet paucissima extare, ea tamen ignota, quia eiusmodi conditio exigenda merito est ad scandala evitanda. Quapropter si quis cupiat in hac etiam re aliquam regulam habere, ea duplex assignari potest, id est 1. ut agatur de causa gravissima et publica; 2. si de privata caussa res sit, ut ea non modo longe gravissima esse debeat, verum etiam, ut cum ea conditione sit coniuncta, ut ordinatio eius, qui dispensationem petit, in iis saltem regionibus, in quibus ipse moretur, omnibus ignota sit, neque facile cognosci possit, *cf. de Iustis de Dispens. matrim. L. II. c. 15. n. 113,* ubi addit S. Poenitentiariam in hisce casibus apponere consuevisse hanc clausulam « quod si uxori supervixerit, perpetuo sine spe coniugii maneat et officium B. V. M. saltem diebus dominicis et festis, saltem per modum satisfactionis, quoad vixerit recitare teneatur ». *Cf. Ferraris v. Impedim. matrim. art. 3. n. 1. et seqq.*

Conclusio tertia. — Caelibatus quin ullum in societate sive *α*) **individuo caelibi sive** *β*) **ipsi statui afferat detrimentum, multiplicem potius utilitatem confert; ergo etiam qua socialis institutio permittenda est.**

123. *Declaratur et prob. 1. p.* Utique permittere nequit status civilis institutionem, quae individuorum iura laedant, aut ipsius

societatis bonum commune directe impetunt: sed negamus iura et bona, quae talia sint tam pro individuo, quam pro Societate heic laedi. Nam quod caelibatu laesum videri posset, vel esset obligatio naturalis, vel ius et obligatio ad longiorem vitam, quae nonnisi per uxorem haberi posset, vel ius ad matrimonium et eius consectaria. Atqui in his nullum ius laedit caelibatus.

Non in 1°. quia nulla adest obligatio ducendi uxorem: et obligatio obtinendi finem primarium matrimonii, quae prolis est propagatio, non singulis individuis, sed ipsi societati inhaeret.

In 2°. etiam negatur suppositum, cum experientia constet, longaevae aetatis viros reperiri inter caelibes potius, quam inter coniugatos: tamen ceteris paribus, cum plurimi sacerdotes apostolicis laboribus dediti essent, in praemium a Deo vitae compendium obtinuerunt. Et dato etiam, at non concesso, caelibis vitam abbreviari; nonne haec parva vitae iactura tam praesentis, quam alterius vitae bonis compensaretur maximis?

Neque in 3°.; licet enim natura omnibus det ius ad matrimonium; hoc tamen ius in pluribus sive propter morbum, sive propter bonorum inopiam, sive propter occupationes imminuitur vel adimitur. Neque eorum, qui sanitate, vi divitiarum, ceterisque a natura requisitis, apti matrimonio essent, Ecclesia ius violat caelibatus lege. Ipse enim Clericus iure suo libere cedit per promissionem castitatis, quae *conditio est sine qua non* ad beneficium indebitum ordinis clericalis accedit. Accedit autem ad sacros ordines matura aetate, magna cum consideratione, nulla vi actus, sed plane liber: post ordinationem vero, cum prius esset liber ad saecularia vota transire, amplius non est liber, iurata solemniter castitate; cuius legem proinde ipse sibi non alii imposuerunt. Aliunde Ecclesia prudenter agit: ex una enim parte videt necessitatem, ut ministri eius caelibes omnino sint, atque adeo castitatem eis imponit ceu conditionem ingressus in Sanctuarium sacrae Hierarchiae; ex alia vero studet ad sacros ordines nonnisi eos admittere, quos adhibitis sanctificationis mediis Clericorum status propriis, in proposito continentiae perseveraturos fore confidit.

Huc revocanda sunt bona non solum physica, quae medici, sed praesertim moralia et caelestia, quae Sancti Patres virginitati atque caelibatui adstruunt: huc laudes, quibus ipsam prae ceteris efferunt. *Cf. Ambr. de Virgin.*

124. *Declaratur et prob. 2. p.* Statui ipsi magnam confert utilitatem. Nam ingens bonum est ipsi statui: *a*) si vera floreat Religio, sine qua etiam felicitas temporalis diu saltem haberi nequit. Porro floret tunc Religio catholica, cum optimum habeat clerum, cui tota demandata est cura religionis: quo ergo magis potestatis ecclesiasticae subiectum multiplex eiusmodi curae et officio apte proportionetur, eo magis religio floret: atqui clerus nec bonus nec par curae Religionis catholicae exercendae esse potest sine caelibatu. Unam experietiam appello: si ab Ecclesia caelibatum removeas, tam miram ac celerem Religionis christianae propagationem mente assequi non poteris. Quis vidisset unquam aut in Anglia Augustinum, aut in Germania Bonifacium, aut Irenaeum una cum Dionysio in Galliis evangelizantes, si ii uxores atque filios habuissent? Si barbarorum mores exculti, si universus orbis sit Christo conversus, si pauperibus asylum, si aegris hospitium patuit, si innumera pro bono societatis universae instituta fundata sint, nonne id totum caelibatui referendum? Artium scientiarumque monumenta totidem signa ecclesiastici caelibatus prostant. Si foecunditatem comparas virginitatis catholicae cum ministrorum protestantici sterilitate coniugii, penes hos omnia bona silent, penes nos omnia florent. Hinc merito scriptor protestans *Political and letter anecdotes 1819* fassus est: « *Non fu piccola sciagura per la causa del Cristianesimo in Inghilterra il permesso di matrimonio dato al nostro clero, quando la riforma ci distaccò dal Papismo. Imperocchè n' è venuto, quel che ne dovea venire, e che si dovea prevedere. Dopo quell'epoca i nostri ecclesiastici non si sono d'altro occupati che della moglie e dei figli loro* ».

b) Indefinita multiplicatio populi, ut habet *Taparelli Saggio teoretico v. 2. p. 189. seq. Roma 1855,* cum auctoritati rectrici seu vi morali proportionata non sit, neque territorio, fines suos excedens, ingens malum est societati; quia non indefinita hominum turba, sed ordo, pax, virtus, et cetera, quae Religio

promovet, illa sunt, quae salutem adferunt reipublicae; atqui efficaciter, sine laesione iurium et morum, aliter occurri nequit huic malo ex vehementissima cuiusque propagandae prolis cupiditate, quam per virtutem eximiam caelibatus, ergo.

c) At neque timendum est *decrementum populi:* quia experientia constat magis propagari genus humanum, sed plura matrimonia iniri, ubi plus viget moralitas; ibi vero plus viget moralitas ubi maior educatio a castis sacerdotibus procedit; ergo cum clericalis caelibatus conducat valde ad bonos mores, utilis valde est incremento populi.

d) Ast dicunt bonum commune potius est bono privato: sed coniugium ordinatur ad bonum commune, caelibatus vero ad bonum speciale; ut scilicet vitent tribulationem carnis, quam sustinent coniugati. Haec est difficultas quam tertio loco sibi proponit *S. Th. 2. 2. q. 152. a. 4,* et respondet: « Ad tertium dicendum quod bonum commune potius est bono privato, si sit eiusdem generis; sed potest esse quod bonum privatum sit melius secundum suum genus; et hoc modo virginitas Deo dicata praefertur foecunditati carnali; unde Augustinus dicit *in l. de Virg. c. 9.* quod *foecunditas carnis etiam illarum quae in hoc tempore nihil aliud in coniugio quam prolem requirunt, quam mancipent Christo, pro amissa virginitate compensari non posse credenda est* ». Unde status impedire nequit hoc bonum maioris ordinis et etiam quia Christus Dominus « consuluit virginitatem, ut ait *s. Th. l. c. in* θ, tamquam melius bonum, et etiam ratione (destruitur error Iovinianí), tum quia bonum divinum est potius humano, tum quia bonum animae praefertur bono corporis; tum etiam quia bonum contemplativae vitae praefertur activae; virginitas autem ordinatur ad bonum animae secundum vitam contemplativam, quod est cogitare ea, quae sunt Dei: coniugium autem ordinatur ad bonum corporis, quod est corporalis multiplicatio generis humani, et pertinet ad vitam activam, quia vir et mulier in matrimonio viventes necesse habent cogitare quae sunt mundi ».

e) Adde tandem exempla honestae vitae maxime heroicae mirum in modum conducere ad societatis felicitatem temporalem: atqui caelibatus est exemplum heroicae honestatis; unde aliarum virtutum exempla heroica in Clericis invenire

est, utpote qui liberi ab uxore et filiis tempore pestis, famis, belli, terraemotus, labores ferunt; nec non bona cuncta vitamque suam, in quodlibet discrimen pro populo inducunt; atqui haec mirifice in utilitatem cedunt status: ergo.

Tandem etsi aliquod vel caelibi, vel statui civili damnum obveniret: nonne pro bono societatis Religiosae hoc permittendum esset? quandoquidem ad perfectionem finis altioris ordinis obtinendam societas inferioris ordinis quodlibet subire damnum teneatur, ne societas superior vel levissimum quodpiam detrimentum patiatur; ministrorum autem Ecclesiae, quibus orandi et sacrificandi iuge incumbit officium, quique lux mundi, sal terrae, angeli Dei exercituum cunctis populis, etiam virginum collegiis esse debent; sanctitatem eam, quae superhumana ac supernaturali vivendi ratione continetur, et propriam caelibatus, (quo quis ab omnibus saecularibus curis liber, et super reliquos excellens, vehementium passionum victor atque perfectae abnegationis efficiatur exemplar), necessariam esse ad perfectionem finis Ecclesiae, praesertim postquam haec id lege statuerit, negabit nemo.

II. DE HORIS CANONICIS.

Conclusio quarta. — Merito Ecclesia horas canonicas quotidie recitandi Clericos omnes in maioribus constitutos officio graviter obstrinxit ita, ut eos, praeter legitimam dispensationem, nonnisi physica aut moralis impotentia ab ipso excuset.

125. *Declaratur et prob. prop.* quoad tria 1. merito Ecclesia imposuit onus eiusmodi; 2. quibus imposuit; 3. qualis recitatio et obligatio. I. **Imposuit horas canonicas** et **merito.** Horae canonicae sunt preces, publicae nomine Ecclesiae, Deo a sacris ministris quotidie recitandae iuxta sacrorum canonum praescriptiones; hinc *canonicae.* Dicuntur etiam Breviarium, quia excerpta continent praecipue ex verbo Dei scripto et tradito, ex utroque scilicet Testamento, ex Patrum operibus, ex gestis Sanctorum, ex doctrina Ecclesiae atque Doctorum; ubi ceu compendium eorum continetur, quae Spiritu Sancto afflante excogitari potuissent ad laudes Deo debitas canendas,

eique preces fundendas, ad pias lectiones et contemplationes instituendas, et quibus *nil melius, nil sanctius, nil sublimius unquam efferri continget.* « Ut bene laudetur Deus, laudavit seipsum Deus; et ideo quia dignatus est laudare se, invenit homo quemadmodum laudet eum » *Aug. in ps. 144.* « In David Christus erat, Christus ubique diffusus, eius vocem in omnibus psalmis vel psallentem vel gementem vel laetantem in spe..... notissimam iam et familiarissimam habere debemus » *Aug. in ps. 175. et 42.* Nomine Ecclesiae, scilicet societatis curam religionis unicae habentis, recitantur preces, per sacros ministros, ita ut totius Ecclesiae sit vox una *Aug. Proleg. III. in psal.* Ecclesiae scilicet Orientis atque Occidentis undique terrarum Orbis per labia sacerdotum officium tantum explet « sacrificium laudis honorificabit me » *ps. 39.* « Offeramus hostiam laudis Deo, idest, fructum labiorum confitentium nomini eius » *Hebr. XIII. 15.* Quasi mundus illi universus, atque omnium sit pater, sic ad eum accedit *Chrysost. de Sacerd. l. 6. c. 4.* Eum, qui pro universo terrarum Orbe legatus intercedit, qualem quaeso esse oportet?

Horae canonicae appellantur quoque **officium,** cum impositum sit Clericis ceu pensum solvendum quotidie a media ad mediam noctem; ad hoc enim ordinantur ministri, atque in servitium alicuius Ecclesiae inscribuntur seu intitulantur: ut nomine scilicet Ecclesiae sanctae Dei pro se et pro aliis eas recitent. Sicut missae celebratio, ita et horarum canonicarum recitatio in Ecclesia catholica sunt continuatio officii duplicis, quod et perfectissime ipsemet Christus Dominus, mortalis adhuc, implevit, atque usque ad consummationem saeculi implendum per suos sacerdotes iussit. Officium scilicet laudandi Deum, eique sacrificium offerendi: ipsemet implevit, ut testatur *Io. XVII. 6:* « manifestavi nomen tuum hominibus; et oblatus est quia ipse voluit », tamquam verum holocaustum in ara crucis: cui repraesentando suffecit Missae sacrificium, atque Ecclesiae suae, iam praerogativa infallibilitatis auctae, determinandum reliquit alterum circa divinas laudes officium sic antonomastice vocatum. Atque ita duobus hisce praesertim, et ad ea praeparandis fidelibus intenti esse debemus ministri Ecclesiae, tum quia pro Christo legatione

fungimur, tum quia haec duo natura ipsa exigit, ad quae cetera erga Deum officia reducuntur; et a quibus tamquam a fundamento omnia sacrorum rituum instituta dependent. Ex his et huiusmodi patet merito Ecclesiam determinasse usum horarum canonicarum, quae sua distributione totam repraesentant Christi passionem:

Matutina ligat Christum, qui crimina solvit;
Prima replet sputis: causam dat *Tertia* mortis:
Sexta Cruci nectit; latus eius *Nona* bipertit;
Vespera deponit; tumulo *Completa* reponit.

II. *Quibus incumbat obligatio.* Praecepti necessitas omnes cogebat Clericos quotidie convenire in Ecclesiam ad divinum psallendum officium sive maioribus sive minoribus ordinibus constitutos. Ratio est, quia in ordinatione Clerici omnes certae Ecclesiae adscribebantur, ut ei perpetuo inservirent: ideoque in ea divinum celebrarent officium, quod pars erat praecipua ac nobilissima eius servitii, quod nondum aucti sacerdotio, quotidie praestare debebant. Ast cum haec desiit disciplina, coeptumque sit Clericos ordinari, quin certae semper Ecclesiae omnes inscriberentur, et praesertim cum ordinationis titulus pro maioribus tantum ordinibus iam exigeretur, sensim sine sensu minores Clerici illud Ecclesiasticum officium obire desierunt; nec ad id obligati manent alii, quam ratione beneficii et professionis beneficiarii et religiosi professi; et ratione ordinis omnes constituti in sacris ordinibus.

Difficile est reperire quandonam subdiaconis, praesertim ratione ordinis, expresse et formaliter obligatio gravis fuerit imposita. Benedictus XIV. *Const. Ea quamvis* § *43.* ait: « In Ecclesia occidentali imposita est presbyteris, diaconis et subdiaconis dicta obligatio, quamvis nullum beneficium ecclesiasticum fuerint assecuti. Cohaeret enim ordini sacro diurnum pensum horarum canonicarum, illudque veteri traditione acceptum et immemorabili consuetudine in more positum fuisse docet communior Theologorum opinio ». Colligitur id etiam ex *c. 1. Presbyt. et c. Dolentes 9. de Celebrat. missarum;* tamen prout explicat dicta optima iuris dubii interpres consuetudo.

Clare adhuc supponitur a Patribus Concilii Basileensis antequam in schisma prolaberetur.

III. Qualis *obligatio et recitatio?*

R. Obligatio est gravissima adeo ut, si vel pars notabilis omittatur, graviter peccetur. Generatim *a*) Deum laudare est officium naturale hominis: « creatus est homo ad hunc finem, ut Dominum Deum suum laudet, revereatur... » ; *b*) quia nomine Ecclesiae et pro aliis impletur officium; *c*) et etiam quia gravissimis verbis *C. Dolentes 9. de Celeb. missarum* imponitur « in virtute sanctae obedientiae, ut divinum officium nocturnum pariter et diurnum, quantum eis dederit Deus, studiose celebrent pariter et devote ». Haec porro obligatio semper tenet cum procedat ratione ordinis indelebilis suscepti; contrarium vero obtinet, cum procedit tantum ratione beneficii, aut status; tunc enim cessat penitus et in perpetuum: 1. abdicato beneficio vel amisso; 2. extincto statu, cui adnexa obligatio fuerit; 3. dispensatione Romani Pontificis, quae ultima ratio solvit etiam obligationem procedentem ex suscepto ordine sacro.

Ceterum undecumque procedat cessat ad tempus vel suspenditur obligatio ex toto vel in parte, prout excusat: I. impotentia physica, et moralis, seu II. incommodum grave; III. quaevis alia necessaria occupatio; IV. dispensatio Episcopi ex iusta causa, et ad breve tempus.

Qualis tandem recitatio esse debeat, distinguendum est inter partem materialem et formalem. *a*) Quoad partem materialem lex Ecclesiae est, ut recitetur officium ex breviario, quo quisque legitime utitur, servata illius forma: alias non satisfacit, ut statuit Pius V. *Const. Quod a nobis...* « Mutata enim forma prope interimit rei substantiam. Proinde qui eius partes adeo perturbat, ut vix species divini officii supersit, non satisfacit » *Suarez n. 17.* Quoad sanctos ex Kalendario propriae dioecesis, i. e. eius, in qua domicilium fovet, aut residentiale beneficium possidet *C. de Iis; C. Placuit dist. 12.* Tamen, quia debent officium et missa convenire peregrino, permittitur officium recitare eius loci, in quo versatur *S. Alph. IV. 161. v. Iuxta. b*) Quoad partem formalem, Officii recitatio est actus humanus: ergo sciens volens, h. e. *cum intentione;* est

etiam oratio: ergo aliqua *attentione* opus est; est oratio vocalis: ergo verba rite ac recte proferri debent. *c*) Quoad utramque materialem et formalem officium 1) est onus diei eique affixum et dicuntur horae canonicae: ergo *suo tempore;* 2) sunt horae canonicae, quibus tituli matutinum, vesperae, prima, tertia, sexta, nona, quae ordinem dicunt: ergo *suo ordine,* i. e. ne horae intervertantur neve horae partes. 3) Cum hora suis momentis continuis defluat, et horae canonicae suis partibus constent, continuo singulae recitandae sine interruptione. Cum omnes horae efforment totum pensum affixum diei, ut quis absolvat suum pensum quotidianum, omnes et singulas horas seu totum recitare debet. Ceterum quoad ea, quae de divinis officiis dicenda supersunt, in lib. 2°., ubi de rebus, redibit sermo: quandoquidem inter praecipuas ex spiritualibus rebus recensentur, quibus Ecclesia uti solet ad finem suum consequendum.

TITULUS X.

DE CLERICORUM COMMUNIBUS IURIBUS AC PRIVILEGIIS.

Praenotandum.

Supposita institutione ordinis clericalis consequuntur sponte iura ac privilegia Clericorum. Ordo dicendi exigit, ut prius de origine privilegiorum agatur, tum de singulis privilegiis in specie.

I. DE IURIBUS AC DE PRIVILEGIORUM CLERICALIUM ORIGINE.

Propositio. — *a*) Indicatis breviter iuribus ac privilegiis seu immunitatibus, quae communes sunt, asserimus eas *b*) non ex iure civili sed ecclesiastico, *c*) atque generatim etiam ex iure divino immediate derivari.

126. Ex titulis praecedentibus non tantum discrimen inter clericos et laicos, sed etiam illorum prae his dignitas et praestantia patet: sunt enim illi, qui supernaturali iurisdictione gaudent in universum humanum genus, et quoad res momenti maximi, sunt qui praesunt nomine Dei et Christi quoad omnia,

quae directe mores felicitatemque populorum aeternam, atque indirecte temporalem quoque, spectant, seu ii, quorum manibus salus omnium populorum necessario reposita est. Tantae dignitatis vel ritus ipse initiationis et cooptationis in Clericatum, tonsura scilicet instar coronae capiti inducta, ostendit. Ostendunt etiam iura ac privilegia praeclarissima, huius dominicae portionis nobilitatem praeseferentia, quae communia sunt omnibus Clericis, quatenus a laicis distinguuntur, quia sive mediate sive immediate ea exigat universus Clericatus ordo. Quod mirum videri non debet consideranti clericos esse peculiari ratione ministros ac famulos Dei Altissimi, peculiarem tribum Levitarum, hereditatem, portionem Domini, custodes ac vigiles Ecclesiae Sanctae Dei, quam acquisivit sanguine suo, esse Patres, Intercessores, pupillam Oculi Dei et legum latores. Quin imo post Deum sunt salus, vita, protectio nostra. Huc revocanda ingentia ornamenta, insignia decora, atque singularis veneratio, quibus vel ethnicae nationes sacrorum ministros fuerint prosecuti. Christiani primis saeculis ad sacerdotum genua provoluti, eorum pedes exosculari, benedictionem flagitare, eosque Patres, dominos, venerabiles, amabiles Dei, sanctos..... appellare atque Imperatores, Reges eos habere consueverant.

Hinc mirum prorsus accidet nemini, si vel ipsi Imperatores uni etiam minimo tonsurato posthaberentur, atque in Ecclesia post omnes Clericos in infimo subsellio sederent: nil mirum, si omnes eorum praerogativas, iura, privilegia agnoscentes tuerentur, ac si de propriis iuribus et privilegiis ageretur. Unde supposita institutione Ordinis clericalis, consequuntur sponte iura et privilegia Clericorum. Iura dicimus Clericorum, quae clericali conditione sua natura adhaerent, privilegia quae clericali dignitati sive ad eam muniendam, sive ad ornandam, atque augendam sunt adiecta: quae notio et distinctio iurium et privilegiorum communis apud plures, sic intelligitur a nobis ut privilegia, e. g. immunitates, quaedam dicantur adiecta, quatenus magis determinata ac distincta sunt ἐν ἀτόμῳ ab ipsa Ecclesia, non quatenus, praesertim si generatim sumantur, ac si non consequerentur et ipsa ex natura Ordinis Clericatus: unde lato sensu dicuntur privilegia cum vera sint iura. Interim

conf. Antonelli de Privileg. Cleric., et de Grassis de Effectibus Clericatus, et praesertim *Del Bene.* Dicemus 1°. de iuribus, 2°. de origine privilegiorum in genere hac prop., 3°. de singulis privilegiis in specie propos. seqq.

127. *Declaratur 1m.* Iura et privilegia propria omnium Clericorum apte dividuntur a Barbosa in *praerogativas* et *immunitates ;* quidquid enim ipsis Clericis prae laicis competit, vel est in agendo vel in omittendo, quatenus quis eximitur ab aliquo onere seu munere, quod laici absque ullo levamine patiuntur aut implere tenentur, si 1m. iura propria habentur, scilicet potestas moralis inviolabilis; si 2m. habentur immunitates. Quid enim est immunitas, nisi quasi muneris vacatio, prout munus inter alia significat onus, cuius remissio seu liberatio immunitatem praestat? *L. Munus ff. de V. S. et L. 1. de Iur. imm.; Cf. Del Bene P. 1. c. 1. n. 1.* At heic a nonnullis *praerogativae pro iuribus, immunitates pro provilegiis* habentur. *Praerogativa proprie* penes Romanos veteres est suffragium, quod a centuria seu tribu praerogativa datur, h. e. a centuria habente ius et privilegium ut prior suffragia conferat. *Translate,* ut hic a nobis, sumitur pro privilegio, auctoritate, aut praestantia, qua quis alteri in aliqua re praefertur. *Ulp. L. Observ. ff. de Offic. procons.* Porro soli Clerici non solum praeferuntur laicis, sed exclusive capaces sunt iurium et privilegiorum statui Clericali adhaerentium.

Iam de communibus Clericorum iuribus satis est dixisse ad eos tantum pertinere 1°. ministeria et negotia ecclesiastica atque adeo divina officia peragere, sacra contingere, exercere actus respectivi ordinis; qui si ab aliis emittantur non solum illiciti, sed et invalidi sunt: ut est ordinare, confirmare, consecrare, absolvere a peccatis ; magistratus et praelaturas ecclesiasticas gerere, leges et sententias in foro canonico ferre, censuras edere, in beneficiis instituere, aliaque spiritualia ab ecclesiastica iurisdictione dependentia explicare. Unde 2°. tamquam necessarium consequitur ius obtinendi ecclesiastica beneficia, *C. 6. de Transact., ibiq. Gonzal. et ceteri DD.,* nec non pensiones ex beneficiis ecclesiasticis, *Pius V. Const. Sacrosanctum 11 Sept. 1568.* (Hic adverte pensiones pro munere temporali praestando non esse pensiones proprie dictas). Hinc 3°. ius

standi in Ecclesia ceu proprio loco intra cancellos altaris; 4°. ius consequendi ecclesiasticos honores, praecedendi collegiis laicorum; 5°. ius coeundi in collegium clericale suis proinde legibus ac iuribus instructum; 6°. ius ponendi iuramentum in conscientia, tacto pectore et non scripturis.

128. *Declaratur et prob. 2m.* Longior potius instituendus sermo est de privilegiis seu immunitatibus. *Immunitas* praecise definitur: *Privilegium quo res quaedam vel persona a communi aliqua obligatione seu onere eximitur,* ubi privilegium sumitur lato sensu, prout dicit etiam ius aliquod naturale vel divinum alicui specialiter conveniens prae aliis. *Suar. Defensio fid. l. 4. c. 2.* Immunitas ecclesiastica triplex ex parte obiectorum distinguitur, alia scilicet locorum seu templorum, alia personarum seu Clericorum, tertia est immunitas bonorum, quae ratione locorum seu personarum ab oneribus seu tributis eximuntur. De immunitate locali alibi, nunc de ceteris, quae *privilegia* appellantur. Haec porro, praeter quaedam minora, tria sunt praecipua, quae iure Decretalium Clericis sunt communia, *fori, canonis,* et *immunitatis speciatim dictae.* **Fori privilegium,** hoc est *ut coram laico iudice etiam in causis temporalibus conveniri nequeant;* **Canonis,** *ut eorum persona ita sacra habeatur ut excommunicati ipso facto sint, qui eos percutiant;* **Immunitatis,** *ut ipsi a muneribus sive civilibus sive municipalibus, eorum bona a vectigalibus ac tributis sint immunia.*

Quae quidem ut recte intelligantur, 1) animadvertendum est haec omnia privilegia ad immunitatem personalem posse reduci, cum ratione personae iure meritoque sint concessa. 2) Ad causam finalem, quod pertinet, unde eiusmodi privilegia constituta sunt; ea quidem non ad honorem, aut ad commodum singulorum referenda est, sed ad ipsius dignitatis clericalis tuitionem, textu expresso in *Can. 9. 10. 35. q. 4. et in C. 12. de Foro comp.* Quapropter merito in *eod. Cap. et Cap. 16. de Sent. Excom.* quoad privil. can., *et in c. 7. de Immun. Eccl.* quoad privilegia immunitatis definitum est, non posse Clericum sponte eisdem renuntiare; cum manifestum sit detrimentum iuri alterius, multoque magis Ecclesiae aliqua ratione inferre nemini licitum esse. Omnia scilicet privilegia clericalia, cum sint in bonum status clericalis, privatorum voluntate ab-

iudicari nequeunt. Unde poterunt amitti sive ex delicto, sive ex iuris dispositione, vel iudicis sententia, sive ex defectu ob non servatas conditiones; numquam tamen propria Clerici voluntate amitti possunt. 3) Quod ad conditiones spectat, quae adesse debent, ut eiusmodi privilegia effectum habeant; eae quidem paullo distinctius ac singillatim de unoquoque privilegio exponendae sunt.

Quaestio nunc solvenda est de iuridica horum privilegiorum seu immunitatum origine. Triplex distinguatur sententia: 1ª. Regalistarum, qui volunt ex mero principum privilegio derivari immunitates; 2ª. est eorum, qui omnem immunitatem formaliter et immediate derivari sentiunt ex iure divino; 3ª. est eorum, qui ex iure canonico omnes repetunt immunitates in causis profanis, ex iure autem divino immediate et formaliter eas tantum repetunt, quae causas ecclesiasticas spectant. Quaestio modo nobis non est, utrum in causis ecclesiasticis sint clerici immunes a laica potestate; sed quoad res et causas eorum civiles; neque est quaestio de subiectione potestati civili quovis modo spectatae, sed de subiectione potestati coactivae, seu iurisdictioni proprie dictae.

In hac 2ª. p. res est contra Regalistas contendentes, recensita privilegia ex mero Principum saecularium beneplacito concessa fuisse, qui mutato praesertim rerum statu sociali, e. g. in praesens, possunt et debent revocare. Sed hi, qui a iure civili eiusmodi immunitatem ortum habuisse asserunt, sententiam proferunt expresse damnatam a Pio IX. *Const. Multiplices 10 Iun. 1851,* ubi inter ceteras doctrinas in *lib. Francisci Vigil Peruani* traditas, qui inscriptus est *Defensa de l'autoritad etc.* quas quidem doctrinas, cum summus Pontifex reprobat ac damnat, haec etiam totidem verbis recensetur: *Ecclesiae et personarum immunitatem a iure civili ortum habuisse;* quaeque in *Syllabo eiusd. Pontificis § V. n. 30.* sic habetur: « Ecclesiae et personarum Ecclesiasticarum immunitas a iure civili ortum habuit ». Unde doctrina catholica est assertio nostra, quae tum immunitatem negat ortam a iure civili, tum eam Dei ordinatione et canonicis sanctionibus constitutam esse affirmat. Et sane α) Bonif. VIII. *C. Quamquam de censib. in 6. Cum,* ait, *Ecclesiae ecclesiasticaeque personae ac res ipsarum non*

solum iure humano, sed et divino a saecularium personarum exactionibus sint immunes, etc. β) Conc. Later. V. *Sess. IX. in Leon. X. Const. Supernae dispositionis arbitrio,* dicit: *et cum a iure tam divino quam humano laicis potestas nulla in ecclesiasticas personas attributa sit* etc. simulque Pontifex innovat Constitutiones omnes et singulas hac in re Praedecessorum suorum. γ) Denique Concilium Tridentinum, *Sess. 25. c. 20. de Ref., Ecclesiae et personarum ecclesiasticarum immunitatem, Dei ordinatione et canonicis sanctionibus constitutam* affirmat.

Porro haec verba praesertim Leonis X. *cum a iure tam divino quam humano...* excludunt vel removent a laicis omne ius in personas ecclesiasticas non solum divinum et humanum, sed quodcumque ius etiam naturale; secus argumentum non concluderet: atqui si a potestate civili descenderet immunitas, haberent laici in clericos aliquam potestatem saltem radicaliter et in iis, quae ratio civis et territorii exigeret. ε) *Cf. Palmieri de Rom. Pontif. Th. 24. p. 497; C. Si Imperator Dist. 96: Non a legibus publicis, non a potestatibus saeculi, sed a Pontificibus et sacerdotibus Omnipotens Deus Christianae Religionis Clericos et Sacerdotes voluit ordinari et discuti.* Atqui haec *Ioan. VIII.* verba praesertim τὸ *discuti* sic glossatur communiter: « Ergo antequam esset aliqua constitutio, etiam clerici non erant de iurisdictione saeculari: unde omnes Constitutiones, quae emanarunt, quod Clerici non sint iudicandi nisi ab Episcopis, non sunt nisi iuris declaratio ».

Insuper quod clerici sint immunes a potestate laica non solum iure civili et canonico, sed etiam ex iure divino remote saltem etiam quoad causas civiles et criminales Clericorum auctores nobis sunt innumeri, iique nobilissimi Doctores, *Cf. Del Bene* in suo egregio opere, quod duobus foliaribus contentum inscribitur *De Immunitatibus et Iurisdictione Ecclesiastica.* Hic praesertim *c. 5. dub. 8.* quarta probatione ait: « Quarto probatur ratione, quia nulla potestas virtute propria se extendit ultra sphaeram seu limites sui obiecti: sed Ecclesiastici et eorum bona sunt extra obiectum et limites iurisdictionis saecularis: ergo ad ea saecularis iurisdictio non se extendit per se et propria virtute, sed solum, si ad id se extendat aliquando, se extendit per accidens, i. e. ex commissione alterius, scilicet

ecclesiasticae potestatis. *Maior* patet: *minor* probatur, quia cum obiectum cuiuscumque potestatis sumendum sit ex proprio fine ipsius, sequitur quod potestatis civilis, quae per se ac directe ad finem temporalem ordinatur, propriam materiam ac obiectum esse oporteat res temporales ac politicas non item sacras, i. e. quae ad Dei cultum per se ac directe spectant, ideoque suapte natura ac institutione ad supernaturalem finem tendunt: at vero inter ea, quae sacra censeri debent, enumerantur tum personae sacrae (i. e. divino cultui peculiariter directae) tum loca sacra, tum bona omnia, quae vel ad Ecclesiarum ornatum, fabricam vel ministrorum sustentationem spectant, sicuti cum communi docet *S. Th. 2. 2. q. 99. a. 1.* Ergo haec omnia sunt extra obiectum et limites saecularis iurisdictionis.

Confer et Suarez *Defens. fid.* qui *l. IV. c. 9.* ait: « Quia Clerici tam quoad corpus, quam quoad animam sunt Petro specialiter subiecti iure divino evangelico: ergo eodem iure sunt a iurisdictione Principum saecularium exempti ». Probat autem *antec.*, quia clerici specialiter iure divino sunt dicati et traditi Deo, atque eius cultui non solum quoad animam, sed etiam quoad corpora: atqui iure divino ideo omnes christiani sunt B. Petro subiecti quoad animam, quia agitur de rebus spiritualibus et ad cultum Dei pertinentibus; ergo Clerici B. Petro subiecti sunt eodem iure quoad utrumque, scilicet eo ipso, quod hi sunt dicati Deo secundum animam et secundum corpus; pertinent utroque modo ad ius Dei peculiare.

Hinc perperam, aiunt adversarii, has immunitates et privilegium esse, et in his ipsum Ius canonicum provocare ad ius civile. Nam contra hos monuisse sufficiat privilegium esse ius non commune omnibus, sed speciale personae vel personarum classi seu ordini a legitima auctoritate concessum; hoc autem non dicit legitimam auctoritatem, a qua dimanant privilegia, esse saecularem. Insuper cum provocatur ad ius civile pro tuendis eiusmodi privilegiis, provocatur ad Principem non concedentem, sed defendentem iura Ecclesiastica tam brachio saeculari, quam civilibus legibus: nam in iis, quae ad ius divinum in ordine supernaturali et ius canonicum spectant, auctoritas

civilis partem habere potest, quatenus probans idem ius sicut debet, tum impedimenta removet, quibus liberum exercitium eorum iurium iniuste impediretur, tum subditos suos obligat, etiam vi adhibita, ne iisdem iuribus adversentur. Sic Carolus M. *in suo capitulari l. 6. c. 109,* postquam sanxerit: « *Clerici non saecularibus iudicibus, sed Episcopali audientiae reserventur* », addit rationem: « *Fas enim non est ut divini muneris ministri temporalium potestatum subdantur arbitrio* ». Atqui teste Isidoro, « *fas* est lex divina, quae et ad Deum pertinet, et ex quadam naturali aequitate descendit ».

129. *Declaratur et prob. 3^m^.* **Immunitates Clericorum generatim etiam ex iure divino immediate derivari.** *a*) Nostra haec sententia negari videtur a Molina, Farinaccio, Oliva, Zoesio, qui concedunt mediate, originaliter, initiative solum descendere: quatenus Christus dedit Ecclesiae mandatum eximendi clericos et Regulares a Foro saeculari, vel quatenus eos constituit velut Patres et magistros fidelium. Sed plurimi sunt, qui nostram tuentur sententiam; e. g. Abbas, Felinus, Azor., Fagn., Laymann, Barbosa, Engel, Del Bene, Suarez aliique nobilissimi viri e Doctoribus Theologis et Canonistis. Recte Pichler *de Foro competenti* § *Dico 5:* « Exemptio Clericorum et Religiosorum a foro et iurisdictione laicali non solum statuta est a sacris canonibus, ut locis citatis patet, sed etiam statuta est *a iure divino probabilius immediate* saltem in thesi ».

b) Ius divinum duplex concipi potest, naturale non quod a sola natura procedat, sed quod ab aliqua divina institutione dimanat, in eaque implicite continetur, ut ei proinde sit connaturale, ea scilicet supposita institutione, ab ipsis rerum essentiis exigatur: positivum, quod expresse a Deo revelante, suamque voluntatem significante, constitutum est. Ius divinum proprie sumptum distinguitur a canonico, quod ab auctoritate Ecclesiae instituitur, Deo solum conferente potestatem, non condente formaliter tale ius seu legem. Ius divinum naturale aliud est primitivum, quod scilicet essentiale est ipsi rei vel fini intento a natura: aliud secundarium, quod scilicet praecipit vel suadet id quod eidem fini congruum est.

Prob. 1. Si haec immunitas non esset ex iure divino im-

mediate, esset repetenda a iure dumtaxat canonico seu Romani Pontificis: atqui non potuisset Romanus Pontifex tot homines tam quoad se, quam quoad eorum bona, a potestate saecularium eximere; cum talis exemptio esset iuri divino naturali contraria; quatenus est nativae iurisdictionis Principibus saecularibus debitae manifesta privatio. Unde positiva lege Dei debent esse exempti Clerici a potestate laicali; vel saltem quia ipsa natura personae sacrae exigit exemptionem. Porro utrumque habetur, tum lex positiva traditionibus contenta, tum ex ipsa natura personae sacrae, eo scilicet quod Deus sacerdotalem instituit dignitatem, non solum quatenus aliquo sacro charactere Clerici insigniti sunt; sed quatenus iurisdictionem habent, et ministerium sacrorum, quod est de essentia Clericatus: ergo, sicut ordo clericatus formaliter et immediate est iuris divini, ita etiam eiusdem iuris esse videtur exemptio seu immunitas connexa cum ordine Clericatus.

2. Atque adeo Doctores plures dicunt: hoc ipso quod Christus constituerit Patres, magistros et pastores laicorum, censetur illos ab horum iurisdictione exemisse immediate, et per se *arg. can. 9. 11. Dist. 96.*

3. Clerici et Religiosi non minus dicati et consecrati sunt ad cultum et servitium Dei: atque ideo sacri existunt, imo magis, quam templa, altaria, vestes sacrae; atqui haec sunt iure divino immediate exempta. Ergo.

4. Verba Leonis X.: « Cum a iure tam divino quam humano laicis potestas nulla in ecclesiasticas personas attributa sit » etc., et Tridentini *Dei ordinatione et canonicis sanctionibus,* accipienda sunt sensu proprio, nisi ea impropriari cogat necessitas: atqui propria horum verborum significatio *iure divino, divina ordinatione* est quod immunitas sit immediate a Deo, secus frustranea essent: ergo.

Et re quidem vera Leo X., ut advertit Abbas, per verbum *ius divinum* non intelligit mere canonicum, secus inepta esset tautologia, quia ius mere canonicum est ius humanum. *Cum a iure tam divino, quam humano Laicis potestas nulla in ecclesiasticas personas sit attributa.* Porro horum sensus vel est simpliciter negativus: laicos non habere hanc potestatem ex iure divino aut humano; vel est positivus scilicet laicis interdictam

esse hanc potestatem: si 1^m., ut recte arguit P. Palmieri *l. c.*, vel ea divisio comprehendit quodcumque ius, etiam naturale, vel non: si non comprehendit inepta est propositio; cum nil probet: ergo comprehendit ius quoque naturale. Unde vel sensu positivo vel negativo excludente quodvis ius, verba sumas oportet: atqui si positive sumas, dicendum est laicos nullam potestatem habere in personas ecclesiasticas, quia potestas, quae nullo iure conceditur, nulla est. Cur vero nulla est in laicis potestas? aut quia positiva lege Dei exempti clerici sunt, aut quia ipsa natura personae sacrae hanc immunitatem postulat: hoc autem est verum ius naturale divinum; si igitur desit positiva lex, dicendum est iure divino naturali fuisse constitutam immunitatem eo ipso, quod Deus sacerdotalem instituit dignitatem. Ecclesia ergo testibus Patribus Tridentinis et Lateranensibus, agnoscit aliquod ius divinum sanciens immunitatem Ecclesiasticam verbaque *ordinatio divina* comparata cum verbis Leonis significant legem statuentem ius.

130. Scholion. Diximus *generatim* immunitates derivari ex iure divino; quia in applicatione ipsarum potest aliqua esse iuris ecclesiastici. Nam quamvis privilegium immunitatis Clericorum immediate et cum omni proprietate iuxta auctores citatos asserimus esse de iure divino, quia ab ipso Christo non solum promissum vel iussum, sed etiam datum et actu concessum; tamen dicimus esse etiam de iure canonico declarante ius divinum et privilegium hoc conservante, vel prout expedit, in pluribus moderante.

Nam I. revocandum est quod potest evadere ius canonicum illud idem, quod est iuris divini; quatenus *a*) Ecclesia auctoritate sua illud idem statuat, quod divina auctoritas iam decrevit, confirmando illud, et speciales addens poenas; *b*) quatenus specifice determinet, quod Deus iussit generatim; *c*) quatenus determinet exercitium iuris, quod Deus quidem concessit; sed tamen exercitium reliquit prudentiae Ecclesiae.

Ut intelligatur qui moderandum Romano Pontifici submittatur privilegium hoc, cum sit iuris divini; advertendum est ius interdum significare propriam legem seu praeceptum, interdum facultatem utendi, quasi ius facti, sicut distinguuntur iura servitutis, ius in re et ad rem: hoc secundo sensu pri-

vilegium immunitatis, prout scilicet dicit libertatem quamdam a subiectione alterius, est facultas quaedam moralis ad non parendum tali potestati, vel libere operandi sine respectu vel impedimento illius; et tunc est ius divinum tamquam Dei donum, sicut libertas a servitute, quae homini est naturalis, optime dicitur ius divinum naturale. Posito autem tali privilegio, sequitur lex divina praecipiens, ut habenti tale privilegium non fiat vis nec coactio. Moderatio vero pontificia fieri debet cum iusta causa, quae erit necessitas vel maxima utilitas ad convenientem Ecclesiae ordinem, et decentiam aut bonos mores ecclesiastici status: habita etiam ratione graduum Clericatus, in quibus clerici versantur.

Nam, omissis Romano Pontifice et Episcopis, quibus in utroque foro est potestas quoad omnes subditos quaecumque ligandi et solvendi, ratio immunitatis sacerdotibus convenit propter duo: 1. quia, cum ordo sacerdotalis det ipsis potestatem in Corpus Christi physicum, ipsi participant maxime sacerdotium Christi et efficiuntur res maxime sacrae; ergo a iusisdictione laica exemptae et subiectae Romano Pontifici; 2. quia, cum habeant potestatem in corpus Christi mysticum, sunt Patres spirituales laicorum, iudices eorum in causis spiritualibus, et ad Deum maxime spectantibus, et in foro maxime sacro, et ideo appellantur Reges, Dii etc., atqui indecens prorsus Patres subiici iurisdictioni filiorum.

Clericis autem minoribus sacerdotio, idem discursus et per participationem quamdam eadem ratio immunitatis applicatur. Nam sunt omnes sub peculiari familia Christi; ad ordinem rerum sacrarum plus minus spectant; sicut res ecclesiasticae, licet aliae aliis, sacratiores sunt, et tamen omnes subsunt potestati Ecclesiae. *Cf. c. 14. Relatum cau. 11. q. 1.* Hinc intelligitur solutio difficultatum, quae ab aliquibus obiiciuntur; quibus ut plene satisfiat, iuverit etiam animadvertere quod sequitur.

II. Distinguatur oportet ipsum ius seu potestas moralis, et exercitium eiusdem; illud potest esse essentiale sine isto, sicut homini tot facultates. Ipsa enim rei natura potestatem aliquam exigere potest, cuius tamen exercitium vel libero arbitrio subsit, vel certis prudentiae legibus temperari debeat.

III. Item exercitium iuris necessarium alicui esse potest tum ut simpliciter sit, tum ut bene sit.

Ex hucusque dictis patent solutae sequentes obiectiones: Obiectio 1ª. *De Ecclesiastica privilegii canonis origine* nemo sanus potest dubitare. Eam quippe habemus *in c. 13. Conc. Rhem. an. 1131. et in c. 15. Conc. Lateran. II. an. 1139.* qui in decreto Gratiani est *c. 29. cau. 17. q. 4.* Quod vero pertinet ad immunitatis privilegium, (quo nomine etiam privilegium fori intelligitur) *Dei ordinatione et canonicis sanctionibus* constitutum esse, ait *Conc. Trid. Sess. XXV. c. 20. de Ref.,* unde hoc vero propius videtur ut dicatur a canonicis sanctionibus, i. e. ab ecclesiastico iure ortum habuisse, ex quadam tamen ordinatione divina licet non stricte sumpta, neque praeceptiva, quae deducitur ex convenientia cum iure naturali et ab exemplis, quae in V. T. leguntur. *Cf. Gonzalez in C. IV. de Immun. Eccl. et in c. 8. de Iudiciis.* Qui enim a iure divino proprie dicto immunitatem repetunt Clericorum (non enim heic loquimur de immunitate locali, i. e. de iure asyli, quae iuris humani esse facilius conceditur) ii neque ex iure naturali argumentum proferunt, quod de necessitate, ut aiunt, concludat; neque ex sacris Litteris idoneum locum proferre possunt; deinde vero explicare satis non valent, unde factum sit quod eiusmodi privilegium, Sede etiam Apostolica annuente, non paucis in locis vel imminutum vel sublatum sit, cum in iure divino fieri quidpiam tale non posse sit omnino manifestum. Obiectio 2ª. Per hoc quod aliquis a pagano fiat christianus non eximitur iure divino a vinculis, quibus antea erat addictus, e. g. coniugii, obedientiae, debiti pecuniarii.... ergo neque hoc, quod ex christiano fiat clericus. Obiectio 3ª. Exemptio clericalis variari potest pro varietate temporum et locorum: atqui ius divinum est invariabile.

II. DE SINGULIS PRIVILEGIIS IN SPECIE.

I. Privilegium canonis.

Propositio. — Exponitur privilegium canonis " Si quis, suadente diabolo, huius sacrilegii reatum incurrerit, quod in Clericum vel Monachum violentas manus iniecerit, anathematis vinculo subiaceat et nullus Episcoporum illum praesumat absolvere, nisi mortis urgente periculo, donec apostolico conspectui praesentetur et eius mandatum suscipiat „. *Can. 29. Si quis suadente, cau. XVII. q. 4.*

131. *Praenot.* A privilegiis in genere ad singula nunc in specie properamus gradum; et primo quidem de illo, quod personalem Clericorum inviolabilitatem tuetur; α) quod *canonis* appellatur, quia constitutum est *can. 15. Conc. Oecum. Later. II. an. 1139.* sub Innocentio II., et exhibetur tum in *Decr. Grat. ll. cit.*, tum in *Synod. Rhem. an. 1148.* sub Eugenio III., tum a *Martin. V. Constit. Ad evitanda,* qua Pontifex percussorem Clerici notorium vitandum edixit. Quae omnia de re gravissima heic, praesertim si historica, quibus ab Innocentio editur canon considerentur adiuncta, facile commonstrant. Singula canonis exponentes exhibemus, praesertim quid sit 1) manus violentas iniicere 2) in clericum vel monachum seu subiectum patiens; 3) suadente diabolo, an iniuria esse debeat lethaliter peccaminosa; 4) quid valeat illud *si quis iniecerit* seu subiectum agens; 5) anathematis vinculo subiaceat, seu qualitas poenae, qua privilegium munitur; 6) nullus Episcoporum praesumat absolvere nisi.... seu de absolutione eorum, qui eiusmodi privilegium violaverint.

β) Quoniam tam a iure, e. g. *Decretal. t. 29. l. V. de Sent. Excomm. in 6, in Clement. et in alleg. Const. Martin. V.* aliisque ecclesiasticis sanctionibus, quam a iuris canonici scriptoribus, ampliorem extensionem hic canon, praesertim verbis *iniicere violentas manus in clericum vel monachum, suadente diabolo,* magis magisque in diem habuerit; et quoniam Bulla Pii IX. *Apostolicae Sedis* aliquid circa hunc canonem immutasse videtur, prius dicemus de extensione canonis ante Bullam *Apostolicae*

Sedis; tum de mutatione, si qua per eamdem Bullam facta fuerit.

γ) Animadvertendum pariter est eiusmodi privilegium partim esse favorabile, partim odiosum; favorabile quidem ex ea parte, quae pertinet ad definiendum subiectum, cui inhaeret; quod enim hac ex parte aliqua extensio fiat, id favet ei, in cuius gratiam extenditur; nemini autem detrimento est; quandoquidem hoc privilegium non ad cuiuspiam iura minuenda, sed ad arcendas iniurias tendit. Est autem odiosum ex ea parte, quae spectat ad irrogandam poenam, proindeque ad definiendas, sive personas, sive actiones, quae huiusmodi poenae sint obnoxiae, ita ut ex hac parte extendi privilegium nequeat ultra id, quod legis verba aut eiusdem authentica interpretatio sonent.

132. *Explicatio canonis. Si quis iniecerit etc.* significatur subiectum agens percussionis adeo, ut ex iis legis verbis et ex eiusdem authentica interpretatione, eiusmodi personae privilegii violatores indictaeque poenae rei habeantur omnes, modo capaces sint graviter delinquendi, quin sexus, dignitas, aetas ullatenus excuset. Unde in specie ex iure Decretalium ii sunt *a*) *Iniicientes* iniuriose manus in Clericos, sive eos percutiendo, *Can. Si quis suadente..,* sive eos capiendo, aut detinendo, *Cap. 15. de Sent. Excomm.; b*) eamdem iniuriam *mandantes, Cap. 7. de Sent. Excomm.; c*) eam *non impedientes,* saltem si ex officio deberent, *Cap. 47. de Sent. Excomm.* Dixi autem *saltem,* quia plurimi Doctores sentiunt extendendum id esse ad quoscumque, etiamsi ex officio minime tenerentur, *cf. Thesaur. de Poenis v. Iniuria c. 2. n. 1. § Ampliatur 4; d*) eamdem, suo nomine factam, *ratam habentes, C. 23. de Sent. Excom. in 6; e*) denique *consentientes, C. 47. de Sent. Excom.,* i. e. per positivam cooperationem auctoritatem suam praestando, *Glos. ibid. v. Consentientes,* sive scilicet incitando sive consulendo etc. *Thesaur. de Poenis l. mox cit.*

Iniecerit violentas manus. Nomine violentae manuum iniectionis heic venit *quaecumque actio externa iniuriosa in materia gravi, qua scilicet non verbis, sed re lethalis iniuria fiat in personam Clerici vel Monachi,* e. g. occisio, vulneratio, vinculorum iniectio. Dixi non *verbis:* unde si contumeliam dixeris, si minis

terrueris, coegeris, e. g. domo tua excedere, aut eam ingredi prohibueris.... non incurris excommunicationem, sed neque incurritur, si *re,* sed non in *personam* fiat iniuria, e. g. calumniando, clam aliquid surripiendo. In personam autem fit iniuria *laesione corporis, libertatis* atque *dignitatis: corporis,* e. g. si Clericum veneno sustuleris, aut persecutus eum fueris, ut in praeceps corrueret vel ex equo decideret, atque de facto corruit, decidit; *libertatis,* cum detruditur in carcerem, aut in alium privatum locum...; *dignitatis,* quoties vis adhibetur, e. g. sistendo rhedam, qua vehitur, aut equum, quo insidet, vel aliquid, licet nullius pretii, ei detrahendo, puta crumenam, pileum, baculum..., vel aliquid aliud contumeliosum in ipsum admittendo, v. g. sputo, pulvere, luto eum foedando, vestes quibus induitur ei conscindendo, canem in ipsum irritando etc.

Hinc intelligitur personae violationem sitam esse in *manuum iniectione late sumpta,* adeoque in qualibet reali iniuria, quae facto externo consummata sit, et effectum habuerit, i. e. inieceris manus..., quae iniectio manuum sit violenta et cui excommunicatio maior rite applicetur, adeoque, quae inficiatur culpabili, gravique peccato, sive ratione sui, sive ratione adiunctorum, *cf. Reiff. de Sent. Excomm. n. 108.;* quae gravitas indicatur *per τὸ suadente diabolo* etc., h. e. ita ut talis actio sit graviter iniuriosa seu ratione realis iniuriae gravem includat culpam: unde si abest iniuria et quidem gravis, abest talis culpa, ac proinde poena cessat, quae talem supponit culpam. Porro *iniuria fit, a) a volente, b) in rationaliter invitum;* et cum gravis esse debeat, praecedere omnino debet plena advertentia mentis et deliberata voluntas inferendi, ex prudentum existimatione, gravem iniuriam realem in personam noti clerici, qui privilegio canonis sit munitus. Unde non incurrit excommunicationem dictam si quis percutit clericum, laicum putans vel corrigendi gratia, vel ioco, vel ex subita ira, aut si percutiat iustae defensionis causa; aut (ex iuris aequitate) cum propria vel uxore, vel matre, vel sorore, vel filia turpiter inventum, quamvis lethali non careat. *Cf. Gonzalez in c. 3. de Sent. Excomm.*

In Clericum vel Monachum seu subiectum patiens. Intelliguntur ii omnes, qui iure non excipiuntur, hoc canonis frui privilegio. Intelligitur: 1°. omnis Clericus, etiam qui solam

clericalem tonsuram receperit, etsi censura aliqua sit irretitus, aut irregularis, aut aliis clericorum privilegiis sit destitutus, aut coniugatus, modo non bigamus simulque tonsuram et habitum clericalem deferat; 2°. omnis Monachus, seu utriusque sexus religiosus, adhuc novitius, laicus seu conversus religiosus ordinum militarium tertiarius, vel eremita sub regula, et in communitate vivens. Eremitarum triplex genus est, ait *D'Annib. in Const. Apostolicae Sedis;* alii collegialiter vivunt: contra, alii pro lubitu suo habitum eremiticum suscipiunt, dimittunt; alii de mandato Episcopi alicui Ecclesiae vel aediculae inserviunt: illos hoc privilegio gaudere *Reiff.*, istos non item: utrumque explorati iuris est. De his non convenit. Ideo, re mature perpensa, pro percussoribus respondere melius est. 3°. Quinam autem iure excludantur a privilegio canonis, patet ex sequentibus conditionibus, quae iuxta supra dicta, necessariae sunt ut eiusmodi privilegium locum habeat.

133. Itaque ex dictis conditiones necessariae, quae pro fruitione privilegii verificari debent, duplicem in classem possunt distingui, quarum aliae sint ex parte rei seu ipsius privilegii, aliae ex parte personae seu eius, ad quem privilegium pertinet. 1°. Ex parte rei sunt: I. Ut iniuria Clerico illata *realis* esse debeat. De verbali enim canones minime loquuntur. II. Ut eadem *gravis* censeri possit, i. e. eiusmodi, quae lethalem culpam attigerit: quandoquidem culpae, quae levis sit, gravissima poena infligi non potest, *Can. 41. et 42. cau. 11. q. 3. Cf. Bened. XIV. De Syn. dioec. l. X. C. 1.*

Unde sequitur nullum esse locum eiusmodi privilegio decretaeque excommunicationi: *a*) si qui Clericum percussit in ea aetate sit, quae nondum peccati mortalis capax censeatur (et si censetur, sit autem impubes, ab Episcopo absolvitur); *C. 1. de Sent. excom.; Cf. Gonzalez in h. c. b*) *Si ex levitate iocosa percussio facta sit, C. 1. de Sent. excom.*, vel ex subitaneo motu irae et, ut aiunt, primo primi, *arg. d. Can. 41. cau. 11. q. 3; Cf. Ludovicus de Ameno de Delictis et poenis Tit. 7. § 3. n. 60. 61. 70. et seqq.*, quo etiam referri debet *C. 3. de Sent. Excomm.*, ubi immunis ab excommunicatione edicitur, qui in Clericum cum uxore sua vel propria matre, sorore, filia turpiter inventum, manus iniecerit violentas. *c*) Si per modum defensionis factum id fuerit et

cum moderamine inculpatae tutelae, *C. 3. de Sent. Excomm. ibique Gloss.* III. *Ut percussori notum fuerit eum,* quem laesit, *esse clericum, Cap. 4. de Sent. Excom. ibique Gloss. v. Ignoraverit et Gonzalez.*

2°. Ex parte autem personae, i. e. *Clerici,* quaecumque praescriptae sunt conditiones, ad unum hoc genus rediguntur, nimirum ut privilegium ipsum non amiserint; quod duplici causa fieri potest:

I. causa criminis; iique sunt *a*) degradati realiter, *C. 2. de Poenis in 6; b*) qui deserto habitu clericali dedunt se enormitatibus, i. e. latrociniis, seditionibus etc., in quibus vis infertur, *C. 14. de Sent. Excom.* Privilegio canonis privari Clericum, qui homicidium omnino deliberatum committat auctor etiam est *Clemens XII. Const. In supremo; c*) qui dimisso habitu clericali in gerendis muneribus, *C. 25. de Sent. Excom.*, aut in saecularibus negotiis, *c. 45. eodem,* tertio commoniti perseverant; *Cf. Fagn. in d. Cap. Contingit 45. de Sent. Excom.; d*) qui tertio etiam commoniti histrionem aut ioculatorem agunt, *C. un. de Vita et hon. Cler. in 6;* aut artes viles abiecto clericali habitu exercent. *Clem. un. eod.*

II. *Causa dimissionis saltem tacitae conditionis clericalis,* Clerici coniugati, qui aliquam ex iis conditionibus, quas Bonifac. VIII. *in C. un. de Cler. Con. in 6. et Conc. Trid. Sess. 23. C. 6. de Ref.* praescripsit, non impleverint; quae sunt 1°. ut virginem atque unicam duxerint; 2°. ut clericales vestes retineant; 3°. ut alicuius Ecclesiae servitio sint addicti.

134. Hisce, quae ad omnes Clericos de privilegio canonis pertinent, addere operae pretium esset ob materiae affinitatem ampliationes quasdam, quae in hoc privilegio factae sunt in gratiam eorum, qui in ordine clericali sunt insigniores, i. e. *Legati Sedis Apostolicae, Cardinales, Episcopi:* ad quorum personam dignitatemque ab iniuriis tuendam multo graviores leges latae sunt: at ne plus aequo heic immoremur, satis est praesertim ex Bulla *Apostolicae Sedis* adnotasse, I. Quoad qualitatem iniuriae comprehendi etiam hostilem persecutionem seu actum eosdem hostili modo insequendi, *Bulla cit. inter censuras spec. modo R. P. reservatas n. 5.* II. Quoad poenas multo asperiores esse constitutas, de quibus inter cetera consuli debent, *a*) quoad

Episcopos, *Clemen. 1. de Poenis; b*) quoad Cardinales, *C. 5. de Poenis in 6; c*) quoad Legatos Sedis Apostolicae. *Cf. leges latae contra laesae maiestatis reos:* qua de re consulendus Farinacius *q. 112. n. 160.*

Praeter excommunicationem contentam in *Const. Apost. Sed. n. V.,* in specie si persona Episcopi violata sit, adiiciuntur etiam aliae poenae, e. g. 1) privatio officiorum ac beneficiorum sive spiritualium sive temporalium, quae a reo, vel ab eius cooperatoribus, habeantur in Ecclesia, cui laesus Episcopus praeest; 2) inhabilitas filiorum ad beneficia ecclesiastica obtinenda usque ad secundam generationem in eadem Ecclesia ac dioecesi; 3) interdictum in eorum terris, quod antea latae sententiae erat, nunc vero ferendae: et si civitas proprium Episcopum occiderit, cathedra episcopalis ab ea removetur. *Cf. Thesaur. de Poenis v. Iniuria.* Si Cardinalis persona violata sit, adiiciuntur poenae, quae *C. Felicis de Poenis in 6.* recensentur. III. Quoad personas, quae hac in re poenis obnoxiae fiunt, consulenda est Constitutio Pii V., quae incipit. *Infelicis 1 Ianuarii 1569,* ubi non secus ac reos plectendos iisdem poenis esse iubet eos quoque, qui machinationem aliquam cognoscentes, praedictis legibus comprehensam adversus Cardinalem initam eamdem non revelaverint.

135. *Anathematis vinculo subiaceat.* Poena, quae vi privilegii canonis contra violatores supra dictos constituta est. gravissima prosus est tum natura sua, tum ob eiusdem adiuncta. Est enim excommunicatio maior; eaque 1°. latae sententiae *d. C. Si quis suadente diabolo Ca. 17. q. 4. et Pius IX. Const. Apostolicae Sedis n. 2us. 2ae. classis;* 2°. Sedi Apostolicae reservata ll. cc., exceptis casibus, quos infra aperiemus; 3°. eiusmodi, ut a beneficio sit omnino exclusa Martini V. *in Extrav. Ad evitanda,* qua constituitur, neminem propter excommunicationem esse vitandum, nisi excommunicationis sententia nominatim in ipsum lata et denunciata fuerit: dummodo tamen iniectio manuum in Clericum sit notoria, i. e. talis, sicut ipse ait Martinus, ut nulla possit tergiversatione celari, nec aliquo iuris suffragio excusari, *Mart. V. in Concordatis* cum natione German. apud Harduin. in *Collect. Conc. T. VIII. p. 892. Col. 2. Parisiis 1714; cf. S. Anton. P. 3. Tit. 25. C. 3. et Thesaur. de Poenis P. 2. v. Cen-*

sura C. IV. et P. I. C. 21. § Dicendum II; Giraldi Expos. iur. Pontif. P. I. Sect. 926.

Nullus Episcopus illum praesumat absolvere, nisi etc. Ad absolutionem quod pertinet eorum, qui eiusmodi privilegium violaverint, i. e. Clericum percusserint, ea ad Romanum Pontificem ita est reservata, ut iure saltem inspecto personaliter ab eodem peti debeat *Can. Si quis suadente cau. 17. q. 4;* quod tamen hodiernis moribus exigi non solet, nisi forte in gravioribus causis; unde satis est eam petere per litteras, vel per procuratorem, *Giraldi Expos. Iur. Pont. p. I. sect. 919. in fine:* imo reservatio ad ipsum Romanum Pontificem sublata est multis in locis, ita nimirum ut eadem tribui possit: 1°. ab Episcopo, si I. *percussio non sit enormis, sed levior, c. 18. de Sent. Excomm.;* quae autem talis dici debeat, fusius declaratur in *Extrav. Perlectis* relata a Navarro *in Manuali c. 27. n. 91. et a Giraldi P. Sect. 919; Cf. etiam Molina de Iust. et Iure Tom. 4. Disp. 57. n. 1; Barbosa de Potest. Episcopi Alleg. 42. n. 1.* II. Si percussores *impuberes* sint, etiamsi postea ante absolutionem ad pubertatem devenerint, *C. ult. de Sent. Excom.* III. Si sint *mulieres, C. Mulier et C. Monialib. de Sent. Exc.* IV. Si sint *servi et filii familias,* quando pater aut dominus percussioni non consenserint, *C. 37. de Sent. Excom.* V. Si sint *senes* aut alia corporis impotentia impediti, aut etiam eiusmodi inopia, ut Romam adire nequeant, *C. Quamvis 58. de Sent. Excom.* – Si tamen impotentia sit ex mala valetudine, non aliter ab Episcopo sine ulla Romani Pontificis venia absolutio tribui poterit, quam si exigant a reo iuramentum, quod pristinae saluti restitutus a Romano Pontifice eam requiret, *C. 26. de Sent. Excomm.*

2°. A praelato proprio tribui potest absolutio, *si percussor regularis* fuerit, *C. 2. de Sent. Excom.,* hisce tamen sub conditionibus: *a*) ut percussio non fuerit enormis, *C. 32. et 50. de Sent. Excom.; b*) ut is, qui percussus fuit, sit etiam regularis eiusdem coenobii, aut si alterius coenobii aut ordinis sit, satisfactio indicatur coram Praelato eiusdem ordinis aut coenobii, *C. 32. de Sent. Excom.; Cf. Gonzalez in c. 9. de Off. Leg.*

Antequam res de absolutione dimittatur animadvertendum est: 1. Episcopis esse adhuc vi *cap. Liceat Conc. Trid.* facultatem absolvendi ab occultis; 2. quoad casus notorios, distin-

ctionis supra tactae inter percussionem levem, mediocrem, enormem, esse *materialem,* h. e. *relate ad malum physicum,* quod infertur: semper autem requiritur ut eiusmodi percussio sit gravis ratione iniuriae illatae, saltem relate ad loci, personarum et temporis adiuncta, quae iniuriam per se levem efficere possent gravissimam, *Cf. acta S. Sedis, Appendix vol. XVII;* 3. huc etiam revocanda principia Iuris et Theologiae moralis circa impotentiam physicam et moralem, ob quam et quatenus percussor Romanum Pontificem teneatur adire. *Cf. not. Ballerini ad Gury in tract. de Censuris n. 951. seqq. et etiam not. ad eiusdem Gury v. 2. ad n. 575.*

136. *De immutatione,* si qua facta sit circa ampliationes modo explicatas privilegii canonis ob editam Constitutionem *Apostolicae Sedis,* qua censurae antea latae limitantur, et has inter inseritur *Can. Si quis,* prout recensetur in Concilio Lateranensi, duplex est sententia. Inter cetera pro sententia affirmante factam esse immutationem aliquam seu pro sententia limitante, et restringente interpretationem latissimam iuxta Doctores supra datam, afferuntur tres casus uti exempla: 1. pueri impuberes, qui cum prius essent obnoxii, modo non amplius: nam quando legislator voluit et hos teneri expressit; 2. eos, qui exciderint privilegio fori non gaudere privilegio canonis, ut infra patebit; 3. mandantes percussionem, ratam habentes et non prohibentes. Circa haec tria praesertim, immutationem factam esse, saltem in praxi ex principiis reflexis tenere debemus: lex enim dubia non obligat, praesertim cum versamur in odiosis.

Probabilem enim valde reddunt sententiam limitantem rationes sequentes: 1ª. est, quia solum canonem lateranensem inseruit Constitutio *Apostolicae Sedis,* et censurae eiusdem Constitutionis vim habent eo modo, quo in ea insertae sunt et non secus ac si primum ab ea editae fuerint; atqui nemo, praetermisso iure Decretalium, canonem lateranensem extenderet ad mandantes et ratam habentes; 2ª. quando Constitutio *Apostolicae Sedis* voluit hos quoque teneri, eos nominatim recensuit, ut est in n. V. inter censuras Romano Pontifici specialiter reservatas: « Omnes interficientes, mutilantes, percutientes, carcerantes detinentes vel hostiliter insequentes S. R. E.

Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicae Legatos vel Nuncios, aut eos a suis Dioecesibus, territoriis, terris seu dominiis eiicientes, nec non ea mandantes vel rata habentes, seu praestantes in eis auxilium vel favorem ». Quando legislator voluit dicere, scivit; ideo non dixit, quia noluit; 3ª. ex scopo Constitutionis *Apostolicae Sedis*, limitandi scilicet censuras antecedentes; 4ª. ex optima responsione ad difficultates sententiae oppositae.

Qui tenent enim applicationem eamdem, qua ante Constitutionem *Apostolicae Sedis* privilegium canonis extendebatur etiam ad mandantes etc., arguunt *a*) cum haec materia sit in bonum ordinis clericalis, tota favorabilis est, atque adeo amplae interpretationi subiicienda; *b*) amplissima interpretatio canonis lateranensis est perpetua et authentica, quae continetur, *cc. 6. et 47. de Sent. Excom. et c. 23. eodem tit. in 6; c*) verba Constitutionis *Apostolicae Sedis* declarantis easdem censuras in hac ipsa Constitutione insertas, non modo veterum can. auctoritate, quatenus ait Pius IX, *cum hac nostra Constitutione conveniunt,* verum etiam ex hac ipsa Constitutione: atqui veterum can. auctoritas comprehendit etiam mandantes, consulentes....».

Et *respondent* auctores primae sententiae *ad primam* « aeque favorabilis est immunitas locorum sacrorum: atqui excommunicatio lata in violantes immunitatem non tenet mandantes... » ergo. Adde, si favor ex maiori aut minori dignitate personarum aestimari debet, et si haec excommunicatio tenet per se mandantes, non erat necesse in Constitutione *Apostolicae Sedis n. V.* inter censuras specialiter reservatas Romano Pontifici hos nominatim recensere, cum ibi de Episcopis et Cardinalibus agatur, pro quibus magis amplior et latior interpretatio.

Ad 2m. Recepta doctrina est, interpretationes extensivas vel restrictivas, quae ab ipsis legislatoribus prodeunt, nomine interpretationes, re autem vera esse novas leges et nova indigere promulgatione. *Suarez de Leg. l. VI. c. 1.* Ergo multo magis interpretationes, quae in odiosis extenderent legem de casu ad casum, de persona ad personam: etsi agatur de legislatore ipso interprete, cui ut mero interpreti, sicut privato interpreti,

nullo pacto fas est ad iustae interpretationis regulas poenas trahere a casu ad casum, et non valet argumentum a pari neque a fortiori.

Ad 3^m. Ex ipsa Constitutione *Apostolicae Sedis* patet Responsio: ibi enim dicitur « quatenus cum hac nostra Constitutione conveniunt ». Unde paucis: iuxta regulam hermeneuticae debemus interpretari censuram solum prout inserta est Constitutioni *Apostolicae Sedis:* atqui Constitutio dicta solum canonem lateranensem inseruit iisdem omnino verbis. Ergo saltem dubium erit comprehendi mandantes etc. Porro cum dubitatur utrum aliqua censura adhuc vigeat, evidenter ostendi debet, eam esse insertam Constitutioni *Apostolicae Sedis.* Ergo.

2. Privilegium Fori.

Propositio. — Existit Privilegium fori, h. e. exemptio a foro seu iurisdictione laicali 1) Clericis iure tam divino quam canonico tributum, 2) cuius limites, 3) tum modi amittendi, 4) nec non violatores horumque poenae recensentur.

137. *Praenot.* 1°. Agunt de hac materia Canonistae Doctores in *l. 2. Decret. tit. 2.* et praesertim in *h. t. cap. 2. et 12;* tum in *Commentariis Decreti Gratiani ad can. 9. et 10. Dist. 96,* tum in *expos. Conc. Trid. Sess. 23. de Ref. c. 7. et Sess. 25. c. 20 de Ref.* Qui vero particulares ea de re tractatus edidere, duplicem classem constituunt, quorum 1^a. est eorum, qui hoc privilegium ab oppugnatoribus defendunt, quique, post Hincmarum Rhemensem in suo tractatu ad Carolum Calvum, sunt e. g. *Suarez* in opere, quod inscribitur *Defensio fidei l. IV; Altaserra de iurisdictione ecclesiastica,* et alii *praeter Bellarminum aliosque Theologos in tract. de Clericis.* Altera classis est eorum, qui hoc privilegium non tam defendunt, quam exponunt vel utrumque agunt, cuiusmodi sunt *Del Bene De Immunitate; Carlevallius de Iudiciis; Oliva de Foro Ecclesiae* (cuius tamen opus ob nonnullas propositiones prohibitum est donec corrigatur); *Martha de Iurisdictione,* aliique.

2°. Quoniam non desunt quidam etiam inter catholicos, qui censent opus incassum nos aggredi de privilegiis Clerico-

rum; cum haec fere ubique sublata videantur, animadvertendum est quoad factum: triplici conditione reperiri potest status erga Ecclesiam: 1°. ita ut potestas civilis omnia iura et privilegia Ecclesiae agnoscat, eorumque liberum relinquat exercitium; 2°. ita ut ex parte, inobedientia quadam atque irreverentia supposita, haud integra Ecclesiae iura ac privilegia cognoscens ius commune nonnisi quadamtenus immutatum per tolerantiam Concordatorum recipit ut exequatur; 3°. ita ut consummata omni ex parte inobedientia atque rebellione forum ecclesiasticum violenter de medio sustulerit. Iamvero altera et tertia conditio lugenda prorsus est, utpote quae semper anormalis est. Quod si Ecclesia utramque permittit, id non significat nuntium se remittere iuri suo, sed tolerare seu pati, non cohonestare hanc ultimam conditionem, quatenus eam impedire non valeat: alteram vero, seu conditionem Concordatorum, cogitur etiam admittere pro maiori vitando malo, quod obveniret nisi talem Concordiam cum Principibus iniret.

Fere ubique locorum ultima conditio obtinet, quae ad minimum est systema separationis, quod in se malum debet quandoque ut minus malum, sed necessarium tolerari. Per alteram, seu concordatorum conditionem, quae in paucis viget catholicis nationibus, imminutum valde est privilegium fori. Quapropter, si quo in loco de hac materia excitetur controversia, Concordata primum, si qua ibi forte habeantur, inspicienda sunt; et si nulla sint, vel casum de quo agitur non attingant, ius commune seu canonicum adeundum est. De quo iure et quoad statum in prima conditione versantem nos agimus, cum scilicet Ecclesia est in suo statu normali una cum libero iurium omnium suorum exercitio.

3°. Hoc fori privilegium ad Clerici iuridicam personam inviolabilem efficiendam tendit, vi nempe cuius Clerici neque in civilibus neque in criminalibus causis apud iudicem laicum possint conveniri, utpote cui a nullo iure facta est potestas seu iurisdictio in Clericos.

138. *Prob. 1m.* **A laica potestate** dictis in causis omnino eximi Clericos, *non solum a iure civili et canonico sed etiam a iure divino immediate habetur.* 1. Ex iure civili, *Codex Theod. l. 16. tit. 2. leg. 47,* dum Imperatores fas non esse putant, ut

divini muneris ministri temporalium potestatum subdantur imperio. 2. Ex iure ecclesiastico, *C. Nullus de Foro compet.; Cap. Ecclesia S. Mariae 10 de Constit. in 6; Cap. Si Iudex 12. de Sent. Excom.;* a Tridentino Concilio, tum in genere *sess. 25. c. 20. de Ref.;* tum in specie ut *sess. 23. c. 6. de Ref.,* ubi statuit conditiones, sub quibus valeat quis privilegio fori gaudere, etsi sit minoribus dumtaxat ordinibus initiatus. Adde proscriptionem XXXI propositionis in syllabo a Pio IX damnatae, qua damnatur « abolitio fori ecclesiastici facta inconsulta et etiam reclamante Sede Apostolica ». Adde praxim Ecclesiae, qua semper vel efficacius tuita est eiusmodi ius: vel gravissimis poenis patratam laesionem huius privilegii punivit. *Cf. Const. Apostolicae Sedis a n. VI–VIII.* Sed 3. *ex iure divino etiam immediato saltem in thesi:* nam Christus non regiae sed Pontificiae iurisdictioni subdidit quidquid sacrum est in Ecclesia, dum ligandi, solvendi, pascendi seu regendi munus S. Petro et Apostolis tradidit: atqui personae Clericorum non minus, sed magis sacrae sunt, quam aliae Deo dicatae res. Quod privilegium locum habet speciatim etiam quoad actiones reales, quando scilicet Clerici conveniuntur actione reali super rebus temporalibus, etiam patrimonialibus: nam canones et leges non distinguunt, et ceteroquin eadem ratio pugnat, cum iurisdictio et iudicium super tali re institutum directe tendat in personam, quae rem possidet. *Cf. Pichler de Foro Compet.*

139. *Declaratur 2* . Quinam sint **limites** seu quousque extendatur eiusmodi privilegium, huius notio accuratior revocanda est, unde limites intelliguntur. Privilegium fori est: *Exemptio Clericorum, intuitu status ac dignitatis clericalis, a foro et iurisdictione laicali in causis, quae ceteroquin ad iudicem laicum pertinerent, dummodo rei personam Clerici in iis gerant. Can. 12. et 13. cau. 11. q. 1. Exemptio* a iurisdictione et potestate iudicis saecularis ita, ut Clericus non possit a iudice saeculari ad forum suum trahi, carcerari vel puniri: sed dumtaxat ab Ecclesiastico: neque res sit de causis feudalibus, *C. 6. et 7. de Foro comp.,* vel de causis civilibus ante Clericatus susceptionem ad iudicem laicum iam delatis, *arg. c. 19. de Foro comp.; Reiff. in h. t. n. 264. seqq.;* in quibus tamen advertendum est non posse a laico in clericum procedi ad executionem corporalem. Quod

ultimum neque per fictionem iuris posset: nam fictio iuris cadit super causam, quae retrotrahitur ad suum initium, non autem super personam, *quae* adhuc fingi posset contra rei veritatem *laica,* quae esset alia fictio iuris. Nam hic laeditur duplex privilegium fori et canonis; et cum fictio inducta sit pro primo et non pro secundo, hinc fictio iuris extendi non potest. *Reiff. l. c.*

Ex qua notione sequitur: I. Quoad *materiam circa quam* privilegium versatur, *a*) *non contineri* in eadem causas, in quibus Clericus est actor, etiamsi in iis laicus, qui reus est, Clericum reconveniat, *arg. c. 1. et 2. de Mutuis petit.,* dummodo reconventio legitima sit, neque fiat circa rem spiritualem aut criminalem. *Cf. Reiff. in d. tit. § 2. per totum.* Reconventio autem locum non habet praecipue in his casibus: 1. in causis executivis; 2. in causis appellationis; 3. uti res est de debito illiquido contra liquidum; 4. coram arbitris voluntariis, secus de arbitris iuris, scilicet qui ex iuris dispositione eligendi sunt, e. g. si controversia sit inter Episcopum et Clericum eidem subditum, *Can. 46. Si Clericus cau. 11. q. 1.*

Inde sequitur *b*) *contineri* 1°. causas criminales sive duo termini tum admissionis criminis, tum actionis causae incidant in statum Clericalem rei, sive alteruter tantum, *Schmalz. de Foro compet. n. 88-89;* ita tamen ut in casu susceptionis clericatus vel reditus ad eumdem post crimen in statu laicali admissum, abesse fraus debeat: quae si a iudice laico opponatur, cognoscenda est ab Ecclesiastico, *Reiff. de Foro comp. n. 267;* 2°. improprie, quippe quae non vi privilegii, sed natura sua ad forum pertinent ecclesiasticum, causas tam spirituales, quam spiritualibus adnexas, quae omnino ecclesiasticae sunt; tum quae titulum habent laicalem simul et ecclesiasticum, quae cumulative ad alterutrum iudicem pertinent, ita ut praevenientis fiant, adeoque mixti fori appellantur. De quibus interim *cf. Girald. Expos. Iur. Pont. P. 1. Sect. 231. in App.*

Ex eadem notione sequitur, II. quoad *subiectum,* 1°. privilegio frui Clericos latissima significatione sumptos, etsi coniugati sint: modo α) unam et virginem duxerint, β) habitum gerant clericalem γ) et alicuius Ecclesiae servitio addicti sint: quorum primum requisitum praecipuum est, alterum et tertium,

si servata non fuerint, id efficiunt ut Clericus privilegium fori allegare nequeat, Episcopus autem possit eius causam ad se advocare *S. Cong. Conc. apud. Bened. XIV. De Synod l. 12. c. 2; S. Cong. Immun. in litt. encycl. ad Episcopos dit. pontif. an. 1837;* 2°. sequitur etiam in eo privilegio comprehendi et laicos, qui in causis civilibus simul cum Clericis sunt rei conventi, dummodo causa sit individua, *Schmalz. tit. de Foro Comp. n. 141;* 3°. Fagnanus in *C. Nullus de Foro Comp.* enumerat alios, qui tamen non aeque ab omnibus adnumerentur ceu in hoc privilegio contenti.

140. *Declaratur 3^m^.* **Ad modos amittendi privilegii fori** quod attinet, amittitur privilegium fori 1. vel ob legitimas conditiones minime servatas, 2. vel ratione delicti.

Ex defectu legitimae conditionis eiusmodi privilegium amittunt Clerici vel sola tonsura vel minoribus tantum ordinibus insigniti, neque ullo ecclesiastico beneficio aucti, qui clericalem habitum non deferunt. Conditiones scilicet quae ex Tridentino, *sess. 23. c. 6. de Ref.*, servandae sunt sub poena amissionis privilegii fori, sunt *a*) habere beneficium ecclesiasticum, *b*) aut simul et deferre habitum clericalem, et alicui Ecclesiae inservire de licentia Episcopi, *c*) aut degere in seminario vel in aliqua schola seu universitate de licentia Episcopi. Si vero Clerici sint coniugati, iam diximus requiri copulative ut uni et virgini nupserint, ut incedant in habitu et tonsura, ut Ecclesiae alicuius servitio ab Episcopo deputentur (quamvis Episcopi mandatum non videatur ad substantiam pertinere) atque in ea ministrent.

Circa quae animadvertenda sunt tria: I. has Tridentini conditiones respicere Clericos in minoribus constitutos: nam constituti in sacris nonnisi post degradationem saeculari brachio traduntur.

II. Amisso privilegio fori, cetera privilegia ob solam clericalis habitus dimissionem minime amitti, *S. C. C. apud Giraldi Expos. Iur. Pont. P. 2. Sect. 93;* unde axioma iuridicum « facilius amitti privilegium canonis, quam fori » intelligendum est de Clericis in maioribus ordinibus constitutis. *Cf. Ferraris v. Clericus a. 2. n. 91. et seqq. et Fagn. in Cap. Perpendimus n. 16. de Foro comp.*

Ex his solvitur quaestio, an Clerici, non servatis condi-

tionibus Tridentini ac proinde amisso privilegio fori, amittant ipso iure privilegia omnia Clericalia etiam canonis? Ratio dubitandi est saltem quoad Clericos, qui non sunt in Sacris Ordinibus constituti, litterae encyclicae Congregationis Immunitatis ad omnes Ditionis pontificiae Episcopos, datae iussu Pii IX., italica lingua conscriptae, quibus edictum est « Clericos in minoribus constitutos, sive coniugati sive caelibes sint, semel ac conditiones non servant a Conc. Trid., *c. 6. Sess. 23. de Ref.*, statutas, relate ad privilegium fori, ipso facto absque ulla praevia monitione omnia privilegia Clericorum amittere ».

Resp. Sed haec uti lex universalis haberi nequit, quia ea lingua italica conscripta et ad Ordinarios dumtaxat pontificiae ditionis missa.

III. Licet ob dimissionem habitus Clericalis, fori privilegium allegari ab ipso Clerico non possit, etiamsi nulla praecesserit monitio, *S. C. C. apud Girald. l. c. P. 2. Sect. 93;* posse tamen ab Episcopo, si nulla adsit eiusdem sententia, qua Clericum eam ob causam privilegio privaverit.

Ratione autem delicti privantur eiusmodi privilegio *a*) realiter degradati, *C. 27. de V. S.; C. 2.* in ipso fine *de Poenis in 6; b*) Qui ter moniti ne se enormitatibus immisceant, in iis perseverant, *C. 45. de Sent. Excom.; Fagn. in C. Perpend. eod. n. 12; c*) artes viles exercentes post trinam monitionem et deinceps sententiam declaratoriam, *C. un. de Vit. et hon. Cler. in 6. et Clem. 1. eod.; d*) ordinati in minoribus contra Concilii Tridentini Decretum intra annum sedis vacantis, *Conc. Trid. Sess. VII. c. 10. de Ref. et sess. 23. c. 10. de Ref.;* ita tamen, ut sententia saltem declaratoria privationis praecedere debeat, *Girald. l. c. P. 2. Sect. c. § not. V.; Thes. de Poenis v. Ordo c. 19. § Limita tertio; e*) Itali, qui falsis adhibitis dimissoriis ab alieno Episcopo ad minores ordines promoveri se curaverint, eadem tamen quae mox dicta est conditione, nimirum, ut iudicis ecclesiastici sententia declaratoria praecedat, *Urb. VIII. Const. Secretis § 4. 11 Dec. 1624; Innoc. XII. Const. Speculatores 4 Novembr. 1694.*

α) Ne quem vero in errorem inducat *C. 1. de Homic. in 6,* quo Clerici assassinii rei videantur ipso facto laicali foro esse dediti, animadvertendum est Clementem VIII., *in Const. Aequa et*

circumspecta 18 Dec. 1595, declarasse id locum non habere, nisi post sententiam iudicis ecclesiastici, criminis declaratoriam, decretamque ab eodem rei traditionem iudici laico *c. 2. de Poen. in 6.* β) Denique animadvertendum est alios etiam a Doctoribus numerari casus, in quibus privilegium fori cessat, e. g. 1) *ad vim Clerici in continenti arcendam* si privatus etiam brachium saeculare invocaverit; 2) si *Clericus sit notorie incorrigibilis;* 3) multo magis *cum invocat Episcopus brachii saecularis auxilium:* qua de re consulendus est *Fagnan. in C. Si quis 1. De Foro Comp. a n. 19. ad 72. et in C. Nullus n. 3;* 4) *in causis perduellionis,* quatenus publica necessitas id exigat ita, ut clericus perduellis capi a magistratu saeculari possit, etiamsi conspiratio ac rebellio nondum eruperit, et etiam occidi, si aliter damnum privatum vel publicum averti nequeat: captus autem eatenus potest puniri a iudice laico, quatenus superior ecclesiasticus requisitus satisfactionem praestare noluerit. *Schmalz. de Foro Comp. n. 141.* 5) Cessat in *aliis causis relate tantum ad capturam,* atque si id necessitas urgeat, quia agitur de vi repellenda a Clerico illata, adeoque de impediendo Clerici delicto aliter inevitabili, sive quia Clericus suspectus sit de fuga. Hinc merito capiet magistratus laicus clericum in fragranti crimine deprehensum vel notorie reum alicuius criminis, vel in causa civili, si prudenter timeatur quod fugam capiendo creditores eludat: modo eiusmodi clericum ad curiam ecclesiasticam quamprimum remittat. *Schmalz. l. c.*

141. *Declaratur 4^m^.* Restat ut **de violatoribus** huius privilegii **deque eorum poenis** dicatur. Distinguendum est inter violatores simpliciter et eos, qui poenam determinatam a iure incurrunt: illi latius patent, quam hi: quotquot enim agunt contra iura Eccl., quae omnes revereri debent, neque impedire quominus libere exerceantur, neque alia quacumque ratione impetere, ii peccant contra Ecclesiae legem, e. g. ipse iudex trahens ad suum tribunal clericum, ipse actor etc. At si agatur de violatoribus incurrentibus aliquam poenam: ante *Pii IX. Const. Apostolicae Sedis. Octob. 1869.* Violatores habentur I. *Personae ecclesiasticae,* quacumque dignitate fulgeant, quae aliam personam ecclesiasticam aut causam utcumque ecclesiasticam ad forum laicale trahere praesumpserint, *Mart. V.*

Const. Ad reprimendos 1 Feb. 1428, eorumque complices, *Const. Pastorali seu Bulla Coenae.* II. *Magistratus laici eorumque ministri* et quicumque in eorum foro publicum habent munus, qui personas aut causas ecclesiasticas ad se trahunt vel trahi curant, *Bulla Coenae* § *15,* itemque eorum complices, *Mart. V. Const. Ad reprimendos.* III. *Clerici, qui sponte adeunt et se sistunt* in tribunali laico. Quod vero pertinet ad poenas ab iisdem incurrendas, etiam ante citatam Constitutionem Pii IX. communis his omnibus erat excommunicatio. Sin autem agatur de personis ecclesiasticis, qui supra in priori classe modo designati sunt, aliae accedunt poenae, scilicet 1) Amissio iuris quod in ea causa sibi vindicabant, *Mart. V. d. Const.,* duplici tamen sub conditione, i. e. *a*) ut sententia declaratoria iudicis ecclesiastici praecedere debeat, *Thesaurus de Poenis v. Curia C. VIII. n. 2.* § *Limita* ibique nota. *b*) Ut ius reo detractum, si de causa beneficiali agatur, ad adversarium vi ipsius poenae non devolvatur, *Thesaur. l. c.* § *Limita* etiam ibique nota. 2) Privatio beneficiorum et ad eadem inhabilitas, si post monitionem pertinaces fuerint, *Mart. V. Const. cit.* 3) Quoad Capitula et Conventus suspensio ipso facto incurrenda, *Mart. V. Const. cit.*

At nunc per dictam Pii IX. Constitutionem *Apostolicae Sedis,* qua censurae latae sententiae ipso facto incurrendae coarctantur, violatores incurrentes poenam excommunicationis latae sententiae limitantur. Dicti tam violatores, quam horum poena communis, habentur in *Const. Apost. Sedis C. Cogentes sc. n. VII.* inter censuras speciali modo reservatas Romano Pontifici: *Cogentes sive directe sive indirecte iudices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones: item edentes leges et decreta contra libertatem aut iura Ecclesiae.* Hinc violatores privilegii fori, qui hanc excommunicationem incurrunt sunt cogentes, i. e. nolentem adigentes imperio vel metu gravi, unde haec excommunicatio non afficit eos, qui subordinati sunt, etiamsi iudices fuerint, sed eos tantum, qui a nemine coacti vel talia agunt, vel alios ad agendum cogunt, *S. U. I. 1 Febr. 1871,* vel indirecte, i. e. alterius, forte potentioris imperio vel metu aliis incusso, e. g. charissimis suis. *Cogentes iudices laicos,* scilicet qui pro tribunali ius

dicunt et qua tales a ceteris magistratibus distinguuntur: *laicos,* i. e. iudices ex officio civili agentes, hinc etiam Clericos, qui potestate laica iudicium exercent. Ad *trahendum:* heic trahere ad tribunal est cogere aliquem iurisdictionem eius subire. *Personas ecclesiasticas,* gaudentes scilicet privilegio fori. Et trahere hos oportet *suo nomine, principaliter* et *quasi reos. Cf. D'Annib. Comm. in Const. Apost. Sed. in hunc n.* Ad huius violationis et poenae sensum assequendum facit *Decl. S. Congr. S. R. et U. Inq.* « *Caput cogentes* non afficere nisi legislatores et alias auctoritates cogentes sive directe sive indirecte iudices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones ». Hanc vero declarationem SSmus D. N. Leo Papa XIII. probavit et confirmavit.

Ceterum iis in locis, in quibus fori privilegio per summos Pontifices derogatum non fuit, si in eis non datur sua iura persequi, nisi apud iudices laicos, tenentur singuli prius a proprio ipsorum Ordinario veniam petere, ut clericos in forum laicorum convenire possint; eamque Ordinarii nunquam denegabunt, tum maxime cum ipsi controversiis inter partes conciliandis frustra operam dederint. Episcopos autem in id forum convenire absque venia Sedis Apostolicae non licet. Et si quis ausus fuerit trahere ad iudicem seu iudices laicos vel Clericum sine venia Ordinarii, vel Episcopum sine venia S. Sedis, in potestate eorumdem Ordinariorum erit, in eum, praesertim si fuerit Clericus, animadvertere poenis et censuris ferendae sententiae, uti violatorem privilegii fori, si id expedire in Domino iudicaverint. Ita *S. Congr. S. Off. 30 Ian. 1886.*

III. Privilegium exemptionis, immunitatis.

Summarium. — Privilegium exemptionis seu immunitatis speciatim dictae in eo est, quod Clerici ratione sui ordinis et status *a*) **eximantur tum a publicis tributis atque oneribus sive realia sint, sive personalia,** *b*) **tum etiam ab iis muneribus atque officiis quae a dignitate vel sanctitate status censentur aliena.**

142. *Praen.* 1) Sicut in privilegio fori, ita in hoc prorsus distinguatur ius et factum exemptionis. Vi enim scelestorum

hominum aut apostasia nationum, vel inobedientia alicuius christiani regni, quae nunc obtinent in Ecclesiam Catholicam, factum est ut haec privilegia practice saltem non agnoscantur; hoc autem est *factum non ius*, quod hominum violentia aut nequitia destruere nequit. 2) Privilegium exemptionis est veluti immediatum consectarium privilegii fori, quoad utramque exemptionis partem, i. e. tam a publicis societatis civilis muneribus et officiis, quam a laicorum vectigalibus. Sive enim aliquem cogas ad aliquod munus exercendum, sive imponas eidem vectigalia, iurisdictionem in ipsum exerces (S. Cyprianus aliud quoque fundamentum indicat, ne scilicet administratione aliqua Clerici a divinis avocentur). Priore igitur constituta exemptione, scilicet privilegii fori, merito aliae quoque inductae sunt.

143. *Declaratur 1^m.*, scilicet: Clerici **eximuntur a publicis tributis et oneribus.** *Tributa* et *onera* dicuntur *realia* quae imponuntur praediis sive sint solvenda quotannis, ut impositio praedialis, sive in determinatis tantum eventibus, ut taxa successionis; dicuntur e converso *personalia*, quae personis et earum consideratione rebus mobilibus imponuntur, e. g. contributio personalis et mobiliaris: haec onera directe personis, illa seu realia directe rebus ipsis imponuntur, e. g. fundis, agris, domibus... et sunt per se tributa: alii distinguunt *onera mixta*, quae vel exigunt laborem personalem simul et sumptus, ut ire ad bellum propriis expensis, vel imponuntur subditis cum respectu ad ipsorum bona, vel reditus annuos, adeoque personis immediate, rebus mediate. *Cf. Pichler. in l. III. tit. 49. n. 10.* Unde eximuntur ab exactionibus, collectis, tributis, quae bonis recens imponuntur ratione iurisdictionis, quamvis portare debeant onera antiqua bonis ad se transeuntibus imposita ratione dominii vel ex simili alia causa. Pariter immunes sunt Clerici a gabellis, pedagiis, et vectigalibus impositis vino, aut aliis rebus pro usu Clericorum aliunde in Provinciam delatis.

Verum quidem est hodie de facto non obtineri hanc exemptionem nisi valde imminutam: idque in paucissimis locis: unde illud verissimum est quod ait *Walter in enchir. iur. Eccl.* § *215*: « Aetate hac nostra eiusmodi privilegium valde immi-

nutum est: Ruthenorum tantum et Anglorum regionibus exceptis, ubi omnino adhuc retinetur ». Quae sane exceptio ita est intelligenda, ut in Anglia tantum anglicanus, in Russia schismaticus clerus eodem fruatur. Quoad nos, i. e. quoad regiones catholicas, sicubi restabat huiusce privilegii vestigium, id quantulum esset in exactionibus municipalibus praecipue versabatur; quantumlibet vero sit, ab eo semper excipiendus est casus, in quo Clericus illicitae negotiationi se immiscuerit, quo in casu immunitatem a vectigalibus circa eas res, in quibus negotiatur, vindicare sibi non potest, *cap. ult. de Vita et hon. Clericor.* Alia quoque exceptio pertinet ad ea vectigalia, quae propter communes et urgentes necessitates imponuntur, e. g. ad avertendas hostium invasiones, ad publicam annonam comparandam, ad arcendam pestem etc., de qua tamen exceptione pugnant inter se Doctores; aliis ea admittentibus, aliis denegantibus, nisi forte eo res devenerit, ut laicorum facultates iam non sufficiant. *Cf. Fagn. in cap. Non minus de Imm. Eccles.*

Non erit autem abs re duo hic animadvertere: 1. Quod eiusmodi privilegium apud Anglicanos et Ruthenos schismaticos tam religiose adhuc servatur, id non parum valere ad eiusmodi comprobandam tum vetustatem tum aequitatem. 2. Ad hoc privilegium maxime pertinere immunitatem ab excipiendis hospitio militibus, textu expresso in *L. de Episcopis et Cler. iuncta Gloss.:* quod quidem ita videmus esse in contrarium conversum, ut sola fere sint loca religiosa, quae eiusmodi onere graventur; itaque ut etiam in Monialium Sedes milites immittantur, imo non modo personali, verum etiam reali immunitate locorum sacrorum violata, templa quoque D. O. M. in equorum stabula convertantur.

Ast hoc privilegium non recognoscere quam sit irrationabile patet ex sequentibus: 1. exemplo Pharaonis regis ethnici, qui cum opprimeret in Aegypto filios Israel, parcebat tamen presbyteris, et Prophetis ex publico aerario subsidia dabat. 2. Ex textibus citatis, ubi talis exemptio praescribitur, nisi is sit reipublicae status, ut sine ulla exactione ad elevandas publicas necessitates laicorum non suppetant facultates. *Cap. 4. de Imm. Eccl. et cap. 1. et 3 eod. tit. in 6.* 3. Haec exemptio a legibus imperatorum romanorum modo latius modo strictius probata,

multas propter civiles leges passa est vicissitudines, quibus ob rationem in praecitato capite allatam saepe Ecclesia opem tulit. 4. Nec aliter poterant Imperatores: Nam « res sequuntur conditionem personae, accessorium sequitur suum principale » *c. 41. de R. I. in 6. etc.;* quae Religiosis adhaerent, religiosa sunt. *L. 43. ff. de R. V.*

Cum igitur Ecclesiae et ecclesiasticae personae iuxta omnes sunt exemptae a iurisdictione saecularium, etiam res et bona ipsarum debent esse exempta accessorie ab oneribus seu exactionibus saecularium, quae titulo iurisdictionis imponuntur; cum iurisdictio immediate et principaliter non in res et bona, quae iussionis sunt incapacia, sed in personas exerceatur, eo quod a personis praestanda sint tributa et collectae rebus impositae. Quod si autem saeculares tali onere gravarent ecclesias et personas ecclesiasticas, peccarent contra Religionem et iustitiam et incurrerent excommunicationem: *Pichler:* nisi per concordata aut desuetudine, quod legis ecclesiae erat, sit remissum. Adde cui plus conceditur, minus etiam concessum ei esse intelligitur: atqui privilegium fori est plus quam exemptionis et competentiae; illud autem conceditur ordini clericali: ergo.

144. *Declaratur 2^m^.* **Tum etiam ab iis muneribus, atque officiis quae a dignitate vel sanctitate clericalis status censentur aliena.** Dignitas enim clericalis ordinis exigit, ne Principum laicorum iurisdictioni subiiciantur, et sanctitas postulat ut per saecularia negotia a sacris functionibus non avocentur. Quoniam in tit. antec. de ista exemptione agitur, modo, revocasse haec sufficiat: α) eximi ab officiis publicis et muneribus saecularibus esset e. g. eximi a muneribus municipalibus, tutelis, curatelis, ab officio advocati, procuratoris, a retinendo officio tabellionis, notarii publici, a ferendo testimonio coram iudice laico... β) deinde advertendum excipi ab ea exemptione... 1) onus tutelae miserabilium personarum et aliquando tutelae etiam legitimae, quae nempe agnationis vel cognationis nomine, vi legis defertur, modo in utroque casu illud ab ipso Episcopo imponatur... 2) custodiam murorum urgente necessitate, ita ut per iudicem ecclesiasticum renuentes ad eam compellantur. *C. 2. de Immun. ibiq. Fagn.*

IV. Privilegium capitis Odoardus.

Summarium. — Inter Clericorum privilegia ad decentem vitae tuitionem pertinentia recensetur praesertim *a)* inviolabilitas patrimonii et *b)* Beneficium competentiae seu Capitis Odoardus.

145. *Declaratur 1^m^.* Cum pertineat ad Clericalis Ordinis dignitatem, ne Clerici aut mendicare aut sordidum quaestum exercere cogantur, *Trid. Sess. 21. Cap. 2. de Ref.,* hinc merito ad eiusmodi incommodum avertendum nonnulla privilegia constituta sunt, quibus decenti eorumdem vitae tuitioni consulatur. Duo autem praecipua sunt: 1. de quo in hac parte, est **inviolabilitas patrimonii,** cuius titulo ordinati fuere. *Trid. Sess. 21. c. 2. de Ref.; Fagnani in Cap. Episcopus de Praeb. n. 30. seqq.* Unde sequitur *a)* eiusmodi patrimonium neque alienari, neque amitti posse, nisi haec duo simul concurrant: 1. Episcopi venia; 2. beneficium ecclesiasticum sufficiens, *Trid. l. c.,* aut alia bona patrimonialia, quae eidem substituantur. *S. C. C. 20. Iul. 1619. b)* Donationem eum in finem factam revocari amplius non posse, ne ingratitudinis quidem nomine. *Cf. Antonelli de Oner. et iuribus Clericor. l. 1. c. 64. n. 6.* Cf. etiam quae pertinent ad ordinationis titulum non alienandum, de quo Fagn. *in c. Episcopus de Praeb. et dignit. n. 6. seqq.*

146. *Declaratur 2^m^.* **Beneficium competentiae** seu cap. Odoardus *de Solutionibus,* in eo consistit, quod Clericus in iudicio civili actione personali conventus, si legitime constet eum a solvendo non esse, neque in carcerem detrudi, neque bonis suis expoliari possit, nisi detractis necessariis alimentis; modo haec duo concurrant: 1. ut Clericus dolo non egerit sive pernegando fraudulenter debitum, sive dilapidando bona sua in fraudem creditorum; 2. ut idoneam cautionem saltem iureiurando praestet se debitum soluturum, si ad pinguem fortunam devenerit; *arg. c. Odoardus de solutionibus ibique DD.* inter quos *Fagn. in dict. c. Odoardus.*

Unde sequitur locum non habere eiusmodi privilegium *a)* si agatur de iudicio criminali e. g. in causa furti, nisi forte res

sit de solvenda mulcta, quae simpliciter in vindictam criminis imposita est; quo in casu poena corporalis, etiam invito actore, substitui potest; *Fagn. l. c. n. 47. seqq.; b*) si res sit de actione reali. *Fagn. l. c. n. 52. seqq.*

V. Appendix de aliis privilegiis.

147. Praeter recensita, solent alia etiam numerari Clericorum privilegia, quae legi possunt apud *Antonelli de Iur. et oner. Cleric. l. 1. c. 64,* ex quibus sunt: I. *Ob ingratitudinem* ante Clericalem statum admissam, Clerici non exhaeredantur *c. 11. cau. 19. q. 3;* II. Eximuntur (licet alii de Episcopis tantum, deque Regularibus id asserant) *a patria potestate; Marta de Iur. p. 4. Cas. 27.* Unde sequitur peculii adventitii (quod scilicet nactus est sua industria vel materna successione), quod post Clericatum iisdem obvenerit, plenum dominium eos habere. *Nov. 123. Cap. 19; Innoc. et alii DD. in Cap. Quia nos de Test.* III. Quoad Ecclesias aliaque loca pia in eo etiam fisco aequiparantur, quod si haereditatem, inventario non confecto, adierint, ultra haereditatis vires non tenentur; *Fel. in Cap. de Quarta n. 7. de Praescr.;* IV. Competunt Clericis *et privilegia militum.* Quemadmodum enim Clericis dictum Privilegium competentiae adiudicatur ex paritate cum militibus saeculi, quibus Leges ob merita in Rempublicam indulgent, ita universim concludunt Doctores, Clericos gaudere omnibus privilegiis militaribus, modo eorumdem statui conveniant: quia et Clerici passim dicuntur militares in Iure; et a milite armatae militiae ad caelestis militiae sumitur argumentum probabile, frequens et utile. *Can. 19. q. 8. 23. c. 4. de Praeb. cf. de Grassis.* V. His privilegiis totus Ecclesiasticorum ordo gaudet computatis etiam iis, qui ordinibus minoribus vel prima tonsura tantum initiati sunt, eo discrimine, ut Clerici in sacris constituti absolute, et absque ulla conditione, ex vi *Sacri Ordinis* privilegiis clericalibus potiantur: inferiores autem ordines, utpote per se non obligantes ad perseverantiam in statu clericali, non sufficiant ad inducendum privilegium clericale, nisi iungantur conditiones, quae ostendant minoribus initiatum in eodem statu permanere velle.

VI. Appendix altera: qui haec descendant ex iure divino, ac prosint societati civili.

148. Duo adhuc declarare praestat *a*) quomodo talia privilegia descendant a iure divino; *b*) et quomodo civilis societas non detrimentum sed commodum inde percipiat. Quoad 1. iuxta generalem theoriam supra expositam, utrumque privilegium, si forma in specie ultimo determinata spectetur seu ἐν ἀτόμῳ, non immediate a iure divino sed ecclesiastico descendunt. Nempe in genere seu in thesi immediate descendunt hae immunitates ex iure divino: quoad hypotheses tamen seu peculiares applicationes, alii dicerent quoad exercitium, esse determinatas ab Ecclesia.

Ad 2. Resp. 1. *indirecte*. Etsi damnum reciperet, hoc subire teneretur status ob bonum maius etsi minus necessarium seu perfectionis finis religiosae Societatis i. e. Ecclesiae. Resp. 2. *directe*: a pari, sicut enim privilegia legitima nil in se habent, quod societati recte constitutae adversatur; ita privilegia ecclesiastica. Resp. 3. Saepe saepius Ecclesia bona sua largiendo, se nolle status damnum, manifestavit. Tandem ad quid bona Ecclesiae inserviunt? Nonne ad decentem vitae seu status pro dignitatis gradu tuitionem? nonne ad officia quaedam iure ipso naturae requisita adimplenda e. g. erga parentes..? Nonne reliqua sunt in pios usus atque praecipue in pauperes eroganda? Atqui haec in commodum societatis ipsius potius quam Clericorum maxime cedunt. Ergo.

Ad modos quod attinet amittendi privilegia recensita in hac thesi praeter quosdam proprios nuper adnotatos, quibus vidimus privilegium non habere locum; huc revocanda quae diximus de amissione privilegii fori.

Denique ex dictis consequitur omnia Clericorum privilegia posse ad immunitatem revocari: Clericus enim privilegio canonis fit immunis a quacumque iniuria eius personae illata; privilegio fori obtinet iuridicam inviolabilitatem, privilegiis tandem exemptionis et competentiae fere oeconomicam inviolabilitatem acquirit: atqui haec omnia intuitu personae sunt concessa. Ergo merito intuitu personae ad immunitatem seu ad personalia privilegia omnia reducuntur.

PARS SECUNDA

DE HIERARCHIA IURISDICTIONIS

SECTIO I.

DE POTESTATE ECCLESIASTICAE IURISDICTIONIS IN GENERE.

TITULUS XI.

DE NOTIONE, PARTITIONE ECCLESIASTICAE IURISDICTIONIS ET AD EAM REQUISITIS.

ORDO TRACTATIONIS.

Praenotandum.

149. Personae, uti iam indicavi, quas Christus sibi assumpsit ad hoc ut ministri sint ad sanctificationem gregis sui curandam, *Clerici* sunt, qui idcirco graeco hoc vocabulo appellantur, quod pertinentes sunt ad portionem, i. e ad ministerium Domini, *c. 1. dist. 21.* Quemadmodum Levitae, qui in V. T. ordinati erant ad ministerium cultus, dicebantur *portio Dei.* Duplici autem potestate, quas *hierarchias* dicunt, pro duplici generali medio, quo sanctificatio obtinetur, Clericos suos Christus instruxit, potestate Ordinis quae pertinet ad efficienda sacramenta, et potestate iurisdictionis, quae pertinet ad cooperationem hominis, quae alterum medium est, ad rite dirigendam, sive quoad rectam fidem, sive quoad bonam vitam, sive denique quoad idoneam cuiuslibet medii applicationem, ita ut sacramentorum etiam dispensatio in huius potestatis officio sit. Porro de potestate ordinis quantum ad huius libri de personis intelligentiam necessum erat, iam diximus, plura adhuc dicturi cum in librum de rebus transgrediemur, cui tractatum canonicum de Sacramentis meditamur addendum.

Restat ut modo agamus *de iurisdictionis potestate,* qua Clerici sunt insigniti. Hanc vero materiam per hunc et seqq. titulos discurrentes distribuimus ita, ut agamus: 1. de ipsa iurisdictionis potestate in genere; 2. deinde tum de Clericis in communi, tum de Clericis in specie; iuxta varios suos gradus, quibus iure ordinario eiusmodi potestas pro suo cuique gradu inhaeret: et tandem de illis quibus, iure ab aliis delegato, ea potestas data est.

Iamvero hoc titulo et duobus seqq. absolvitur quaestio de potestate iurisdictionis in genere, ita ut hoc ordine pateat; 1) Quid et quotuplex sit iurisdictio seu de natura ecclesiasticae iurisdictionis; 2) quae generatim requisita sint; 3) qua ratione acquiratur; 4) quomodo exerceatur; et tandem 5) quibus modis cesset.

I. NOTIO ET SPECIES IURISDICTIONIS ECCLESIASTICAE.

Summarium. — Tradita *a*) **notione iurisdictionis ecclesiasticae in genere,** *b*) **eius ab ordinis potestate discrimina quaedam exponuntur, variaeque species exhibentur.**

150. *Declaratur* 1^m^. Exponimus prius conceptum **potestatis iurisdictionis** *a*) omnis in genere; *b*) tum in specie conceptum iurisdictionis ecclesiasticae. Iurisdictionis vocabulum in iure civili stricte, in iure canonico late et interdum latissime acceptum est: in illo enim iuris dicundi potestatem significat, in hoc potestatem simpliciter.

Quoad ius civile « Iurisdictio, ait *Vinnius tract. de Iur. c. 5. n. 3,* duobus modis accipitur: 1°. modo angustius et stricte pro ea potestate, quam quisque magistratus ex natura officii sui habet, sive propter eam ab initio creatus sit, sive eam obtineat more maiorum: ut ecce Praetor initio constitutus est ad hoc, ut de causis privatis inter civili iudicio contendentes ius dicat; more hoc ei concessum, ut privata iudicare iubeat. Proprie igitur dicitur praetori competere vi iurisdictionis suae, sive, quod idem valet iure sui magistratus, et more maiorum ut privata iudicet, aut iudicare iubeat. Secundo

modo paulo latius, ut ea quoque comprehendat, quae ad iurisdictionem magistratus proprie et more maiorum non pertinent, aut ad id, propter quod initio creatus est; sed specialiter magistratui postea sunt concessa.... cuiusmodi est e. g. tutoris dandi potestas ». Et *n. 5. l. c.* « In latiore autem illa significatione accepta iurisdictio sic describitur: *Iurisdictio est potestas iuris dicundi in causa civili publice data aut permissa* ».

At non ita stricte in iure canonico. « Non sensu stricto secundum ius civile romanorum hic sumi, sed pro potestate regendi, praecipiendi, visitandi, seu inspiciendi, causas cognoscendi, reos coercendi etc. » *Zalling. De off. Arch. § 476;* seu in iure canonico potestatem simpliciter significat ferendi iussum seu legem. Et cum nomine legis id omne intelligitur, quod ad alterius regimen seu gubernationem pertinet; ut haec efficax omnino sit, includitur potestas legifera, iudiciaria, coactiva, quae haberi potest in societate. Cum vero lex et cetera ad efficacem gubernationem societatis nonnisi ab eo, qui auctoritate pollet in societatem, ferri potest; hinc *publica* seu *socialis* iurisdictio esse debet.

Nam 1) Ad gubernationem efficacem requiritur *potestas communitatis* praesertim coercitio maior, quam in potestate privata habeatur: porro illa est publica et socialis. 2) Ita accipiunt nomen iurisdictionis Canonistae communiter, cum in *Cap. Cum accessissent* et *Cap. Cum in Eccl. Sanctae Mariae de Constit.* et *Cap. Solitae de Maior. et obed.* docent ad ferendas leges necessariam esse potestatem iurisdictionis, nec solam dominativam per se sufficere. Instar omnium sit *Molina apud Pirhing de Off. Iud. Ord. n. 1,* qui iurisdictionis potestatem definit: *Potestas publica circa aliorum regimen seu gubernationem.* Cuius potestatis publicae actus circa gubernationem sunt non solum sententiam ferre, et definire, quid ius et aequitas contineat; sed etiam praecipere, prohibere, punire, leges ferre, ab iis *dispensare, et universim omnis ille actus censetur potestatis iurisdictionis, qui a superiore ex publico munere et potestate in subditos, quatenus publica persona est,* exercetur. Iuvat etiam adferre et modernum auctorem Cardinalem d'Annibale, qui, *v. 1. n. 69,* ait: « Mihi, si quid iudico, est *potestas iure publici muneris competens, ad gubernandum concessa, sine qua nonnulli*

actus valide exercei nequirent. Potestas, quod loco generis est; *competens iure etc.,* ut secernatur ab ea, quae a nostris dicitur *dominativa,* quaeque etiam privatis hominibus inest, v. c. domino, patri, marito; *ad gubernandum* ut distinguatur a potestate ordinis, quae ad sanctificandum pertinet; *sine qua* etc., nam quae sine ea valent, ut baptizare, aegrotos inungere etc., magis iuris nostri vel muneris vel officii sunt; et lata dumtaxat significatione iurisdictionis vocabulo continentur ».

Ex quo infertur quod maritus in uxorem, pater in filiumfamilias, dominus in servum, magister in discipulos, tutor in pupillum auctoritatem et potestatem habeant praecipiendi etiam sub culpa, et ius cuiusdam gubernationis cum modica punitione iunctum, non tamen iurisdictionem proprie dictam, quia ea potestas magis ad oeconomicam sive domesticam et privatam, quam ad publicam gubernationem spectat. *Cf. S. Th. 2. 2. q. 58. a. 7. ad 2. et 3.*

Suarez, *l. 1. c. 8. de legib. n. 5,* discrimina haec inter iurisdictionis potestatem et dominativam deprehendit inquiens: « Inter illas autem potestates ut in personis versantur, cum multae aliae differentiae assignari possint, tres sunt quae ad praesentem causam faciunt. Una est quod potestas dominativa est circa privatas personas, seu inter partes imperfectae communitatis, et interdum est ex iure naturae per naturalem originem tantum, et ex vi illius, ut est patris potestas in filium; interdum est etiam natura, supposito pacto humano, ut est potestas viri in uxorem, in ordine ad gubernationem domus et personae: aliquando est ex iure gentium vel civili ut potestas domini in servum bello captum: interdum ex humano contractu, ut dominium in servum, qui se vendidit; et huc spectat potestas, quae per votum obedientiae confertur ei, cui obedientia promittitur. At vero potestas iurisdictionis per se primo respicit communitatem perfectam, nam pertinet ad politicam gubernationem, quae in tali communitate est necessaria: nam ad imperfectam sufficit prior potestas. Atque hinc sequitur 2ª. differentia, quia in potestate iurisdictionis multo maior vis ad coercendum et cogendum invenitur, quam in potestate dominativa; tum quia maior est potestas communis, quam privata; tum etiam, quia ad communitatem perfectam

tuendam et omnes partes eius in officio continendas maior coercitio necessaria est, quam in privata domo vel inter privatas personas: et ita non licet domino saevire in servum ut dicunt iura civilia, expeditque reipublicae ut severior correctio nonnisi auctoritate publica fiat. Unde est etiam notanda 3ª. differentia, quia dominativa potestas ordinarie magis est in commodum habentis illam, quam eius in quem habetur, licet aliquando possit contrarium inveniri, maxime quando confertur ex pacto voluntario in eum finem ordinato ut in obedientia, ex voto debita, frequentius servatur: posterior autem potestas per se et ex primitiva institutione sua est propter bonum communitatis in quam datur ».

Et *n. 6:* « Ex his ergo concluditur veluti 4ª. differentia, quae ad praesens refertur. Dicendum est enim ad ferendas leges necessariam esse potestatem iurisdictionis, nec solam dominativam per se sufficere ». Hanc autem propositionem probat *a*) auctoritate Doctorum et *b*) rationibus. 1) Legislatio referri debet ad commodum communitatis ac proinde pertinet ad potestatem gubernativam reipublicae, ad quam pertinet eius bonum commune procurare: atqui haec est potestas iurisdictionis; 2) potestas dominativa per se est privata, potestas iurisdictionis per se est potestas publica et ad bonum communitatis ordinata, i. e. haec sola est proportionata ad ferendas leges etc.

In specie conceptus iurisdictionis ecclesiasticae continetur definitione. Potestas pascendi, seu ut uberius eam tradit *Tarquini Ius publ. l. II. c. 1. n. 3,* « est gregem Christi regendi, tum quoad intellectum per doctrinam rectae fidei, quae praecepti ritu credenda proponitur, tum quoad voluntatem per verum proprieque dictum imperium, quo in tota mediorum oeconomia fideles dirigantur, ita ut ipsa quoque sacramentorum dispensatio ad eiusdem potestatis officium pertineat ». Potestas pascendi pabulo doctrinae et Sacramentorum, atque aliis mediis ad finem proximum et remotum necessariis huic societati perfectae modo obligatorio propositis, et efficaciter applicatis, est proprium potestatis ecclesiasticae: porro *praecepti ritu, et proprium imperium* dicit publicam potestatem in Ecclesiam: agimus enim de potestate, quam pastores a Christo instituti

habent, atque exercere debent in bonum gregis seu Ecclesiae Christi: atqui ita respicit bonum sociale; attingit enim fidelium actus prout hi in externa sociali manifestatione regimini Ecclesiae subsunt.

Ad hanc porro iurisdictionis potestatem in Ecclesia exercendam requiritur *legitima missio* a Romano Pontifice pro omnibus, etiam Episcopis. Utique, cum potestatem iurisdictionis in Ecclesia praeter Petri successores obtinere debeant ex Christi institutione etiam Episcopi, qui singulis Ecclesiis ordinaria et immediata iurisdictione praesint. Episcopatus, hoc est eorum gradus, dicitur divinitus institutus; tamen, sive dicatur hanc Episcoporum iurisdictionem in suis Ecclesiis immediate derivari a Christo, qui in ipsa ordinatione episcopali conferat eam ligatam quoad exercitium, nec reducibilem ad actum, nisi cum Romanus Pontifex approbans Episcopum, territorium et subditos ei assignat; sive dicatur iuxta veram et certam sententiam immediate derivari a Papa tamquam a fonte, in quo vel formaliter vel virtualiter continetur omnis potestas, qua Ecclesia regenda est et regitur; semper tamen requiritur, ut iurisdictio episcopalis derivetur in singulos non sine auctoritate sive mediata sive immediata Romani Pontificis; qua in re est legitima missio.

151. *Declaratur 2^m.* Comparatio instituitur et **discrimen** exhibetur **inter potestatem ordinis et potestatem iurisdictionis**. *Aichner* § 24. Scilicet *a*) potestas ordinis semel recepta amitti nequit, ex supra dictis de charactere ordinis episcopalis, et de validitate ordinationis factae ab Episcopis depositis, aut excommunicatis; ac proinde actus suos semper validos ponit. Sed e contra potestas iurisdictionis, cum exigat legitimam missionem, h. e., nonnisi auctoritate Romani Pontificis habeatur, atque exerceatur, poterit amitti aut restringi auctoritate Primatus independenti, ac suprema nec non immediata in universam Ecclesiam. *b*) Insuper potestas iurisdictionis non necessario respondet in gradu potestati ordinis: potest enim una esse sine altera; e. g. Electus enim et confirmatus Episcopus, etsi nondum sit consecratus, pollet statim iurisdictione episcopali. Sed potestas ordinis episcopalis acquiritur sola consecratione, ut certum est penes omnes. Pa-

riter potestas ordinis episcopalis potest stare sine potestate iurisdictionis episcopalis, ut in Episcopis abdicantibus se ab episcopatu, in Episcopis depositis, excommunicatis.... *Cf. Zaccar. penes Bouix p. 32.* Ergo a fortiori si in gradu potestas ordinis non correspondet.... et inferior in ordine poterit iurisdictione praecellere. Tandem *c*) Potestas ordinis non dicit relationem ad subditos, quoad cetera Sacramenta conficienda et administranda. Si excipias sacramentum poenitentiae, sufficit ut materiae validae aptetur valida forma cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, actus semper erunt validi ac firmi: at iurisdictio dicit relationem ad subditos, quos ligare aut solvere possit.

152. *Declaratur 3^m^.* **Species variae Ecclesiasticae iurisdictionis.** Distributio in civilem et ecclesiasticam a pluribus memoratur, e. g., *Pirhing. l. c.,* ecclesiastica iurisdictio est ea, quae versatur circa causas ad Dei cultum et ad animarum spiritualem salutem pertinentes: politica seu civilis, quae versatur circa causas profanas et saeculares; et temporalem reipublicae gubernationem proxime respicit.

Sed ista omissa, 1^a^. species iurisdictionis ecclesiasticae. *Ratione qualitatis* seu fori est iurisdictio fori interni seu sacramentalis et externi; illa in, haec extra sacramentum poenitentiae exercetur. Forum fori seu externum, et Forum poli videlicet internum audiunt. Internum forum subdivitur in sacramentale et conscientiae: ad illud pertinent peccata; ad forum conscientiae cetera omnia, quae salutis nostrae spiritualis intersunt. *Sanchez M. II. 45. 16.* Est et forum poenitentiae: hoc nonnullis forum sacramentale, aliis conscientiae forum, quod verius est, utpote favorabilius. *Suarez de Leg. VIII. 6. 15; Silv., Bonac., Pal., Salmat.* Quod igitur alicui committitur in foro poenitentiae, v. g. dispensatio, absolutio a censuris, expediri potest extra sacramentum poenitentiae, quamvis mandatum directum fuerit sacerdoti confessario; *S. Alph. 1. Append. de Privil. n. 4;* unde potest expedire et exequi negotium director spiritualis, quamvis non confessionem excipiat poenitentis.

2. *Ratione originis,* seu causae unde emanat, alia est ordinaria, quam quispiam iure suo, i. e. vi dignitatis aut officii sui, habet, *l. 5. ff. de Iurisd.;* alia delegata, quae alieno beneficio

i. e. mandato eius, qui ordinaria iurisdictione fungitur, habetur, *d. l. 5. de ff. Iurisd.* Hanc aliqui mandatum appellant, si delegatio sit omnino generalis et omnes causas complectatur; licet alii inter mandatum et delegationem discrimen non faciant. Alii autem sunt, qui addunt tertium divisionis membrum, i. e. iurisdictionem prorogatam, qua voce eos casus complecti volunt, quibus iurisdictio, quae ceteroquin, generalibus regulis inspectis, cessare debuisset; vi cuiuspiam regulae prorogatur.

3. *Ratione materiae,* vel, ut ita dicam, *quantitatis,* alia est simplex, quae consistit in sola causarum cognitione ac decisione, absque iure exequendi, *Reiff. de Pot. et Off. iud. deleg. n. 18,* alia cum imperio, quae etiam absolute *imperium* appellatur; eaque praeter ius cognoscendi et decidendi etiam ius exequendi complectitur.... Imperium autem solent distinguere in *merum* et *mixtum:* quorum illud ad rem criminalem et publicam, hoc ad rem civilem et privatorum controversias pertinet. Utriusque autem varios gradus distinguunt pro amplioribus vel angustioribus. *Schmalz. tit. de Off. Iud. n. 6. seq., Reiff. tit. de Off. Iud. deleg. n. 18. seq.*

4. *Ratione modi* alia est voluntaria, quae sine strepitu forensi in volentes tantum exercetur; alia contentiosa, quae iudiciali processu forensique strepitu in quoscumque, ac proinde etiam in invitos, adhibetur. Hoc autem inter utramque etiam differt, quod contentiosa exerceri extra territorium non potest absque consensu superioris loci, et litigantium; *Cap. 2. de Const. in 6;* voluntaria autem potest saltem valide, et, si publice non fiat, neque cum dignitatis propriae apparatu (quo pertinent e. g. omnes actus episcopales, qui cum mitra et baculo fieri debent), etiam licite. *Giraldi Exp. Iur. Pont. p. 2. ad c. 5. Sess. VI. Conc. Trid.; Baumgarten de Off. et pot. Iud. deleg. Concl. 1; Reiff. ibid. n. 9. aliique.*

Quoad speciem fori interni et externi si constituatur comparatio inter unum et alterum forum, praecipua discrimina, quae inde percipiuntur, sequentia sunt: α) *Iurisdictio fori interni et Sacramentalis* ex Christi institutione tendit ad poenitentis cum Deo reconciliationem, adeoque directe et primario respicit bonum ipsius. Nam *a*) salus et sanctificatio anima-

rum, compensatio offensae divinae, est manifestus finis Sacramenti poenitentiae. « *Sane vero,* ait *Conc. Trid. Sess. 14. c. 3, res et effectus huius sacramenti, quantum ad eius vim et efficaciam pertinet, reconciliatio est cum Deo, quam interdum in viris piis et cum devotione hoc sacramentum percipientibus conscientiae pax ac serenitas cum vehementi spiritus consolatione consequi solet* »; atqui hoc est bonum ipsius poenitentis.

b) Quod etiam aperitur per illud effatum *sacramenta propter hominem.* Sacramentum autem poenitentiae instar iudicii administratur ad dictum finem assequendum, h. e. ad reum absolvendum. Unde requiritur ut ipse sit accusator et testis. Cum enim agitur de absolutione a peccatis poenitentis coram Deo, prout haec fuerunt admissa, ipse unus novit sua facta propria etiam aperire. Ergo ipse solus accusare et testari debet.... Hinc credendum in isto foro, regulariter, nisi aliud manifeste appareat, ipsi poenitenti tam pro se, quam contra se; pro ipso enim stat veritas, cum nullus error aut dolus admitti debeat: secus finis, quod ipsius poenitentis est bonum, non obtinetur: *nullus error,* quia nemo magis testari potest de facto, quam ipse reus: *nullus dolus,* cum hoc in maximum redundaret damnum. Unde consequitur quod iudicium in hoc Sacramento veritati innitatur, et propterea forum etiam veritatis appellari soleat. *Cf. S. Th. q. Quodlib. 1. 12.*

β) *Iurisdictio fori externi respicit bonum communitatis,* seu publicam gubernationem directe et primario. Porro in foro externo nihil est, nisi quod apparet. *L. 77. de contrah. emptione; c. 4. de Except.* Ed ideo in hoc foro res tunc fieri dicuntur cum innotescunt. *Sanchez de Matr. 1. 63. n. 2.* Unde in iudicio fori externi datur locus etiam probationibus; et his deficientibus, etiam praesumptionibus. Sententia vero iuxta acta et probata edicitur. Ratio discriminis repetitur ex diversitate finis; iudicii enim sacramentalis pro fine bonum dumtaxat ipsius accusatoris, testis, et rei intenditur; in foro autem externo debet attendi maxime ad publicam vindictam et satisfactionem reipublicae, quam reus pravo suo exemplo offendit.

γ) Hinc fieri potest, ut quod constet in foro interno, in externo vel dubium vel etiam omnino falsum evincatur. Dictum est enim supra, quod *in foro externo nihil est, nisi quod apparet,*

et quod sententia dicenda sit ex actis et probatis. Ast quot occulta, quae non, vel vix quidem apparere possunt? quot difficilia sunt probatu quoad existentiam facti? quot causae quoad legis applicationem obscurae, vel hominum malitia, aut errore obnubilatae, ita ut vel dubia res, vel prorsus opposita sint iis, quae certo constant in foro Sacramentali?

In foro namque externo iudicis officium est 1) factum, quo de agitur explorare diligenter, adeoque probationibus incumbere sive intrinsecis, sive extrinsecis, testes admittere, sive ab actore sive a reo datos, et unumquemque seorsim et iuratum examinare. Verum quanta fides ei habenda sit, hoc ex sententia animi sui existimare ipsum oportet. At numquam omnino fas erit minus quam duobus idoneis et contestibus ferre sententiam; 2) ius explorare, quod ad eiusmodi factum pertinet; 3) facto ius aptare atque ita ius dicere. Hac in re necesse habet sententiam ferre ex actis et probatis et ex iure; atqui haec omnia aut errore intellectus aut vitio voluntatis executioni non dantur sine defectu, aut adamussim his omnibus servatis, tamen non excluditur error; quod patet ex diversitate sententiarum. *Cf. Gury v. 2. ubi de iudicibus et not. Ball.*

II. DE REQUISITIS AD IURISDICTIONEM ECCLESIASTICAM HABENDAM.

Summarium. — Inter requisita ad habendam ecclesiasticam iurisdictionem maxime recensentur: 1) aetas legitima, varia pro variis praeficiendorum gradibus, itemque; 2) varius ordo h. e. tonsura vel ordo ecclesiasticus, si quis adnexus sit officio vel beneficio; 3) necnon qualitas, praesertim absentia impedimenti, probitas morum et scientia congrua.

153. *Declaratur 1.* Sicut agentes de potestate Ordinis quasdam indicavimus conditiones positivas vel negativas, pariter etiam iurisdictionem aggressi, suas conditiones seu requisita praemittere debemus. Ex ipsa summarii enunciatione patet tria indicata requisita haberi in *tit. XIV. l. 1. Decr. de Aetate et qualitate et Ordine praeficiendorum:* h. e. promovendorum ad dignitates et beneficia ecclesiastica, quae conferantur cum *Trid. Sess. 23. c. 6. et Sess. 24. c. 12.*

Quoad aetatem legitimam Regulae generales sunt: 1) Nullus ante 14[m]. aetatis annum quodlibet beneficium sive duplex sive simplex obtinere valet, *Trid. Sess. 23. c. 6. de Ref.* 2) Si ad aliquod beneficium ordo etiam sacer postulatur, aetas illa requiritur, qua promovendus, saltem intra annum, ordinem requisitum possit accipere, *arg. c. 4. de Elect. in 6; Greg. X. in Conc. Lugd. ex Alex. III;* 3) Tanta generatim esse debet, quanta sufficiens sit ad iniunctum officium recte peragendum.

Ex his dimanant *Regulae speciales:* 1[a]. ad Summum Pontificatum nulla in iure determinatur, quia cum agitur de summo Principe aetas non definitur, licet pro ministris communiter definiatur. Unde ad validitatem electionis quaelibet aetas septennio maior sufficit. Requiritur enim ex iure naturali et divino aetas, quae ad Pastorem Ecclesiae universalis necessaria est; sed haec saltem septennio maior est. Sufficit ad validitatem, sicut sufficit ad contrahendas de iure naturali alias obligationes. Id postulat remotio schismatis et perturbationum, nam ob praetextum defectus aetatis innumeri actus invalidarentur. Ast decet omnino ut ad tantum gradum assumendus ea sit aetate, qua Christus Dominus praedicare coepit et ceteri Episcopi promoventur, quamque deposcunt tot tantaque alia requisita ad hoc Episcopatus culmen.

2[a]. Ad Episcopatum annus 30[us]. iam exactus *c. 7. de Elect.*, i. e. aetas perfecta. *S. Thom. 3. p. q. 39. a. 3. p. q. 39. a. 3.* θ, *scilicet* ad quaestionem utrum Christus convenienti tempore fuerit baptizatus. Respondeo dicendum quod Christus convenienter fuerit *in tricesimo anno* baptizatus, quasi ex hinc incipiens et praedicare, ad quod requiritur perfecta aetas, qualis est 30 annorum: 30 annorum erat Ioseph quando accepit regimen Aegypti, *Gen. 41. 46*, item *David cum regnare coepisset.*

3[a]. Ad dignitates et beneficia, quibus animarum cura subest, requiritur an. 25[us]. inchoatus, *C. 7. de Elect., Conc. Trid. Sess. 24. c. 12. de Ref.*, sive cura illa animarum fori poenitentialis sit, sive iurisdictionalis, *C. 54. de Elect.* § *Sed cum in iure confessus fuerit.* At quoad haec, duae sint exceptiones: *a*) si cura animarum principaliter sit adnexa dignitati, aut beneficio, valet regula: secus si illi unita sit accessorie, quemadmodum saepe unitur Ecclesia parochialis canonicatui: quia tunc sufficiens est aetas requisita

tali canonicatui vel dignitati tamquam principali: et accessorium sequitur naturam principalis. *b*) A regula generali excipiendus est *canonicus Poenitentiarius,* quem annos 40. natum esse oportet, nisi pro loci qualitate idoneitatis ratio iuniorem eligi suadeat. *Trid. Sess. 24. c. 8; Cf. Fagn. in Cap. Cum in cunctis de Elect. n. 75 seq.*

4ª. *Ad alias dignitates et personatus,* quibus non subest cura animarum, 22ᵘˢ. annus requiritur ex *Trid. Sess. 24. c. 12;* minor non sit 22 annis « nisi ratio ordinis presbyteralis adnexi maiorem aetatem requirat ». Prius ambigua res erat ex iure Decretalium: alii enim sufficere putabant an. 14ᵐ. ex *Cap. Indecorum 3. h. t.;* alii contra, *C. un. eodem. in 6,* exigebant aetatem ut in dignitatibus curatis. Sed nunc etsi fixus sit a *Tridentino 22ᵘˢ. aet. annus,* tamen non convenit inter omnes utrum exactus vel incoeptus esse debeat.

5ª. *Ad canonicatum et praebendam, aut portionem in Ecclesia Cathedrali,* requiritur ut compleverint an. 21ᵐ. ex *Trid. l. c. v. In omnibus.* Ratio est, quia hisce beneficiis Ecclesiae Cathedralis ordo sacer regulariter adnexus esse debet.

6ª. Ad Dignitates vero in Ecclesiis Collegiatis, alii putant exigi an. 22, ut in Cathedrali; alii e contra non exigi: illi affirmando verbis Tridentini modo citati contineri dignitates etiam Collegiatarum, alii in idem negando persistunt. Nobis arridet 1ª. sententia utpote Tridentino conformior, modo semper excipiatur principalis dignitas capituli Ecclesiae Collegiatae, cui adnecti solet cura animarum sive in interno sive in externo foro.

7ª. Ad canonicatus Ecclesiae Collegiatae requiritur et sufficit 14ᵘˢ. aet. an. inchoatus: requiritur propter generalem Tridentinam dispositionem, qua in universum statuitur, ut nullus obtineat deinceps ullum ecclesiasticum beneficium ante 14ᵘⁿ. aetatis annum.

8ª. Ad beneficia quaelibet simplicia idem 14ᵘˢ. aet. annus saltem inchoatus ob eamdem rationem, nisi aliud sit constitutum speciali lege fundationis quoad maiorem vel minorem anno 14°. aetatem, modo supra septennium.

9ª. De pensionibus autem si quis roget, quam aetatem postulent; Resp. cum illae neque publicum munus habent,

neque beneficia sint, sed tamen tonsuram praerequirant, *Sixtus V. Const. Cum sacrosanctum 9 Ian. 1588*, aetatem exigunt non minorem septennio, *Fag. in C. Cum in cunctis n. 79. seq.;* alii addunt, si pensiones sunt Ecclesiasticae et aequiparantur beneficiis exigunt 14^{m}. aet. annum.

Adnotandum I. de dispensatione quoad aetatem, an Episcopus possit dispensare, *Resp. Disting.*: in aetate requisita secundum canones universalis Ecclesiae, *Nego;* in aetate requisita de statuto speciali suae Ecclesiae aut in casibus dubiis, *Concedo.*

II. Num valida sit impetratio, collatio etc. facta personae non habenti aetatem a sacris canonibus requisitam?

Resp. Sine Pontificia dispensatione talis impetratio, vel collatio est ipso iure nulla: etsi ad aetatem requisitam *a*) minimum tempus desit, unica dies aut hora; quia in his, quae a iure determinata et limitata sunt, non licet arbitrari; *b*) etsi per ignorantiam bona fide putet se legitimam habere aetatem; *c*) etsi ita promotus, tempore, quo institutus est in beneficio, habilis fuerit: quia concessio, quae ab initio irrita est, tractu temporis non convalescit. *R. I. 18.*

III. Cui incumbat onus probandi, cum dubitatur de aetate?

Resp. Ante obtentum beneficium ei, qui illud vult consequi; post beneficium obtentum et apprehensum, ei, qui illud oppugnat.

154. *Declaratur 2.* **De ordine requisito ad beneficium et iurisdictionem:**

Regulae sunt I^{a}. Nullum conferri potest ecclesiasticum beneficium nondum tonsurato: etsi statim post adeptionem beneficii esset tonsurandus, collatio irrita est.

II^{a}. Ii qui in Hierarchia iurisdictionis promoventur, seu ad aliqua beneficia vocantur, aut ordine beneficio adnexo insigniti iam esse debent, aut in ea aetate constituti, qua intra annum ordinari valeant. *Thesaur. De Poen. v. Benefic. Cap. 5. et 6.*

Unde ceu Corollaria sequuntur Regulae sequentes:

a) Ad summum Pontificatum nullus ordo praerequiritur; *b*) ad Episcopatum hoc peculiare est ut is, qui ad eum eligitur, sit saltem a sex mensibus iam constitutus in ordine sacro, *Trid. Sess. 22. Cap. de Ref.*, praesertim cum non intra

annum, ut ceteri, sed intra tres menses consecrari debeat. *Trid. Sess. 23. Cap. 2. de Ref.* Quod sit in sacris, seu sit subdiaconus, qui est electus ad Episcopatum, ut minimum affirmavimus. Plurimi enim exigunt, ut iam a sex mensibus sit presbyter: et hi rectius cum *Barbosa de Off. et pot. Episcopi P. 2. alleg. 1. ex Constitut. Episcopus Apost. servitutis Greg. XIV. 15 Mart. 1891; Andreucci de Episcopo titul. P. 1. q. 5; c*) ad dignitates ecclesiasticas inferiores, quibus adnexa est cura animarum requiritur Presbyteratus ordo.

d) Ad canonicatus quinam ordo requiritur? *Resp.* In canonicatibus, quibus tum in Cathedralibus, tum in Collegiatis ius adnexum est ferendi suffragii in Capitulo, requiritur ordo sacer: si alia iura sint adnexa, requiritur ordo sacer ad omnes praebendas Ecclesiae cathedralis, quae quoad maiorem partem canonicis presbyteris constare debet, *Conc.;* quoad Collegiatae Canonicos ordo sacer per se requiritur, *Nego.*

e) Relate ad cetera beneficia simplicia obtinet prima regula.

Notanda quoad II^m. regulam: Negligentes intra annum ordinari, incurrere in privationem beneficii et quidem ipso iure, si agatur de iis, qui vel parochi, vel vicarii perpetui titulo promoti sunt ad Ecclesias parochiales, modo stricte et simpliciter tales sint, *Reiff. de Aet. et qual. Ord. n. 31. 32;* quoad ceteras vero, post sententiam iudicis et praevia monitione, *Reiff. l. c. n. 27. 28,* nisi tamen allegetur iustum impedimentum, quo minus intra annum ordo suscipi potuerit. *Reiff. l. c. 33.*

Nota pariter hic: dicendum est *a*) eum, qui obtinuit beneficium parochiale, non intendens, etiam secreto in animo suo, promoveri ad sacerdotium, non facere fructus suos, nisi intra annum mutet voluntatem, quod fere conventionale est, adeoque afficit etiam sacretam intentionem. *Thes. de Poen. v. Benef. Cap. 4. ibiq. Cap. Commissa § Ceterum de Elect. in 6. b*) Episcopos ab eiusmodi obligatione dispensare non posse, licet antea potuerint, idque ob novam iuris communis, i. e. Concilii Tridentini Constitutionem, in quam Episcopi potestatem habere nequeunt. *Cf. Reiff. l. c. n. 22. c*) Privatos ob eam causam beneficio eligi iterum pro ea vice ad idem non posse, ne scilicet ludibrio lex habeatur. *Reiff. l. c. n. 34. sqq.*

155. *Declaratur et prob. 3. p.,* i. e. **qualitas requisita.** *Cf. DD.* quibus, praeter pietatem *in titul. de Qualitate praeficiendorum* qualitas heic tria dicit 1) *Absentiam legitimi impedimenti,* quae immunitas est *a*) a qualibet irregularitate; *b*) a qualibet censura, etsi agatur de non vitandis; *c*) a poena privationis vocis passivae, sive a iure, e. g. qui non servat interdictum, *C. 1. de Postul. Praelat.,* qui per Simoniam electus est, etiam ipso ignorante, dummodo non in fraudem eius, *Cap. 27. de Sim. Cap. pen. de Elect....* sive ab homine, *Reiff. Tit. de Elect. n. 228; d*) ab adverso praeiudicio, quo alias ob personale vitium reiectus fuerit, e. g. ob crimen ipsius iam probatum. *Cap. 12. de Elect.; Reiff. de Elect. n. 229.*

2) *Probitatem morum,* h. e. promovendus non sit notorie criminosus, quod intelligitur de crimine, quod offensionem publicam excitat: quodque nondum publice emendatum sit. *Pirh. tit. de Aet. et qual. n. 27; Schmalz. eod. tit. n. 28.* Unde sequitur, collationem eiusmodi criminoso factam esse nullam, et quidem ipso iure, quoad beneficia curata, *arg. Cap. 7. de Elect. § Inferiora;* quoad cetera post sententiam iudicis. *Pirh. l. c. n. 28; Schmalz. l. c. n. 29.*

3) *Scientiam congruam,* h. e. ut promovendus tantam habeat, quanta ad officium suum rite obeundum est necessaria. *Can. 1. et sqq. dist. 38.* Unde collatio beneficii facta ei, qui penitus est illiteratus, nulla est ipso iure, *Can. 1. dist. 36; Pirh. tit. de Aet. et qualit. n. 22; Schmalz. l. c.; Barbosa Collect. in Decretal. Cap. 7. de Elect. n. 8;* ei vero, qui non omnino illiteratus, sed scientiae a sacris canonibus requisitae est expers, tantum post sententiam iudicis. *Schmalz.*

Pro singulorum autem officio scientia a sacris Canonibus requisita mensurari debet: *a*) ex ordine, qui forte adnexus est officio; *b*) ex peculiari ratione ipsius officii. Porro infra officia singula. Attamen ut pauca quaedam efferantur saltem, dico quoad..... presbyteratum talis scientia requiritur, quae idoneum efficiat ad docendum populum ea, quae ad salutem necessaria sunt et ad sacramenta administranda, *Trid. Cap. 14. Sess. 23. de Ref.,* ita ut qui ad eiusmodi ordinem promoventur saltem Theologiae moralis competenter periti sint. *Bened. XIII. Constit. in Supremo 23 Sept. 1723.*

Ad beneficia curata quae ad Presbyteratum necessaria est, *Schmalz. de Aet. et qual. n. 24; Pirh. eod. tit. n. 23,* ita ut ea tantum sufficiat in eo, qui a patrono laico praesentatur, si beneficium curatum iurispatronatus sit laicalis: si vero sit liberum vel iurispatronatus ecclesiastici addi debeat concursus, ut scilicet conferatur ei, qui et moribus et meritis, *Bened. XIV. Constit. Cum illud § X. 14 Dec. 1742,* et etiam scientia sit dignior. *Trid. § 24. Cap. 18. de Ref.* Hic sane inter approbatos ab examinatoribus eligitur a patrono ecclesiastico, si beneficium sit ecclesiastici iurispatronatus, admissa appellatione in suspensivo, si quis inter examinatos de iudicio eius queratur, simulque Episcopi iudicium pro se habeat; sin minus in devolutivo, *Bened. XIV. constit. Redditae nobis 9 April. 1746;* si vero beneficium sit liberum, eligitur ab Episcopo, qui in suo iudicio uti potest causis sibi notis, quas in casu appellationis aperire tenetur sub secreto, atque ita ut iuridice eas probare non teneatur, iudici appellationis, vel, si eum suspectum habet, Praefecto S. Cong. Conc. *Constit. um illud 14 Dec. 1742.* Dixi *sub secreto,* quia multa crimina probari nequeunt, neque tamen tradenda est cura animarum huiusmodi hominibus.

Ad Canonicatus et dignitates, quibus nulla iurisdictio aut cura animarum, mediocris saltem scientia, *Barbosa Collect. in Decretal. in Cap. 7. de Elect. n. 14; Pirh. de Aetat. et qualit. n. 23.* Dixi *saltem,* quia Tridentinum optat, ut dignitates omnes et dimidia saltem pars canonicatuum in Cathedralibus et Collegiatis insignibus, nonnisi Doctoribus aut Licentiatis in Theologia vel Iure canonico conferantur. *Trid. Sess. 24. de Ref. C. 12.*

Ad dignitates, quibus adnexa est iurisdictio exercenda in foro externo, requiritur scientia iuris et sacrorum Canonum *Cf. Schmalz. et Pirh. heic.*

Ad Canonicatum sive canonici Theologi sive Poenitentiarii, gradus doctoralis in sacra Theologia, ita tamen, ut si tempore electionis illum non habent, possint intra annum eumdem adipisci; atque insuper probari debent examine per concursum, *Bened. XIII. Constit. Pastoralis 1 Iun. 1725,* quae proprie pro Italia et insulis adiacentibus lata est. In genere autem Doctoratus in eiusmodi canonicis requiritur, ubi id commode fieri possit, ut de Poenitentiario loquitur *Trid.*

Sess. 24. de Ref. c. 8, et nisi adsit Doctor aequalis idoneitatis, ut de Theol. ait *S. Congreg. in Astensi 3 Febr. 1646, relata ab ead. S. Cong. in Valent. 16 Ian. 1723.* § *Plura;* neque ulterius quidquam de concursu additur, licet examen sit omnino praemittendum. *Cf. Bullas Datariae in conferendis eiusmodi canonicatibus semper adhibitas, et S. C. C. in dubio Praebendae Theol. 3 Iun. 1723.*

Insuper advertendum in quaestione, *utrum pro Doctoratu in Theol.* sufficiat Doctoratus in Iure canonico, in genere responsum est negative, et habebitur ratio in casibus particularibus, *S. C. C. l. c.;* in casibus vero particularibus saepius id concessum fuisse. *Cf. adnotat. Secret.* post causas eiusdem diei *die 5 Iun. ibidem appositas.*

Ad officium vicarii capitularis eiusmodi scientia requiritur, ut saltem in Iure canonico sit Doctor vel Licentiatus, vel alias quantum fieri poterit idoneus. *Trid. Sess. 24. C. 16. de Ref.*

Ad Episcopatum gradus Doctoratus vel Licentiae in sacra Theologia vel Iure canonico, aut saltem eiusmodi scientia requiritur, quae publico alicuius academiae testimonio comprobetur sufficiens ad alios docendos. *Trid. Sess. 22. C. 2. de Ref.* Insuper examen coram Romano Pontifice subeundum est candidato Episcopo.

TITULUS XII.

DE MODIS ACQUIRENDI ET EXERCENDI ECCLESIASTICAM IURISDICTIONEM.

I. DE MODIS ACQUIRENDI ECCLESIASTICAM IURISDICTIONEM.

1. De Electione.

Summarium. — Ad Electionem 1) quae definiri solet "idoneae personae ad Ecclesiam seu Praelaturam vacantem ab iis, quibus ius est, canonice facta vocatio „, 2) sunt vocandi non modo praesentes, sed etiam absentes, qui scilicet debent, volunt et commode possunt interesse: 3) praestituto tempore et loco electionis ita, ut haec saltem intra tres menses a die notae vacationis, et iusto impedimento cessante, quoad Cathedrales Ecclesias; intra sex quoad ceteras, sit completa.

Praenotandum.

356. A requisitis ad modos ordinarios iurisdictionis ecclesiasticae acquirendae devenimus. *a*) Hi porro sunt *Electio, Postulatio, Collatio, Institutio* cum qua Ius patronatus connectitur. Nam beneficium ecclesiasticum conferri potest vel ex libera conferentis voluntate, nulla determinata lege obstricta, vel habita ratione alicuius, quod lege existit, iuris, e. g. electionis, praesentationis: si 1^m., habetur Collatio, tum Postulatio; si 2^m., erit Electio et Institutio. In ea parte *l. 1. Decr.* qua de Iudicis ecclesiastici creatione agitur a tit. V. ad tit. X., sermo est praecise *de Postulatione tit. V.*, et *de Electione tit. VI.* Et in Decretalibus ideo praemittitur Electioni postulatio, quia haec revertitur ad originarium modum derivandae iurisdictionis iuxta ipsam constitutionem Ecclesiae, qualem exposuimus in iure publico, ubi de Electione Episcoporum. De Collatione et de Institutione agitur in *l. III. Decret. tit. de Instit., de Iure patron., de Praebendis....*

b) Antequam ad hos singulos modos descendamus, animadvertendum est quod, quocumque modo iurisdictio acquiratur,

abesse semper debet 1. obreptio et subreptio; 2. vis et metus, quo qui utitur *invasor* dicitur, beneficioque privatur ipso iure, etiamsi aliunde ei competeret, *Cap. 18. de Praeb. in 6; Reiff. in h. t. de Praeb. n. 517;* 3. auctoritas laicorum, a quibus, qui beneficium accipit, dicitur *intrusus* (quemadmodum in genere omnes, qui citra auctoritatem eius, ad quem spectat collatio, beneficium adipiscuntur. *Cf. Fines qui tractatum scripsit de Intrusione Lugdun. 1660*); adeoque nullam recipit iurisdictionem ita, ut omnia per eum gesta nulla sint; tum multis afficitur poenis, suspensionis primum atque excommunicationis, quae antea erat latae, modo censetur ferendae sententiae: at quoad Ecclesias Cathedrales est excommunicatio latae sententiae in concedentes et transferentes Ecclesias Cathedrales, in nominatos et praesentatos a saeculari potestate ante exhibitionem literarum apostolicarum. Deinde intrusus poena afficitur privationis vocis passivae ita, ut sine dispensatione eligi ad aliquam dignitatem non possit; denique si pertinax fuerit, plectitur poena depositionis ab ordine et ecclesiastico ministerio; *Cf. Thesaur. de Poenis v. Benefic. c. 8. et Reiff. tit.de Praeb. n. 515. et seqq. et tit. de Instit. n. 34. et 35;* 4. abesse debet tandem Simonia, de qua, ubi de delictis et poenis, nobis erit agendum.

Hisce *c*) adde, quamvis simplici iurisdictionis voce, quaecumque iurisdictio per se contineatur; heic de iurisdictione ordinaria agimus, de qua praecipue in Iure canonico.

157. *Declaratur 1. a*) Agunt canonistae de hac materia *in l. 1. Decret. tit. 6.:* scripserunt tractatum peculiarem *de Electione Castellinus et Passerinus.* Extat Dissertatio *de Electione* auctore *Nesler in tom. II. Thesauri Iur. Eccl. Antonii Schmidt.*

b) Ut **de modo electionis** recte disputetur, distinguantur ea, quae praecedunt, ea quae comitantur, et ea quae subsequuntur ipsam electionem. De iis quae antecedunt in hoc, de ceteris in sequentibus summariis. Et quoniam specialia quaedam sunt pro Electione Romani Pontificis, et Praelati Regularium, hinc de iis suum adsertum subnectimus.

c) Ea quae praecedunt Electionem, sunt vocatio Electorum, designatio loci et temporis, electio, vacatio praelaturae etc. Sed in hac parte praemittimus notionem electionis, in 2ª. de vocatione Electorum, in 3ª. de ceteris.

Natura porro electionis expressa est in definitione, quam exhibet summarium; in qua definitione *vocatio idoneae personae ad praelaturam seu Ecclesiam vacantem* habent se instar generis proximi; appositum vero *ab iis, quibus ius est, canonice facta* etc. differentiam constituit, qua electio ab aliis modis discriminatur. *Personae idoneae* nullo nimirum impedimento canonico laborantis, ad *Ecclesiam* seu Praelaturam vacantem, h. e. dignitatem pastoralem praesertim; quia electio stricte sumpta, quae in illis dumtaxat Ecclesiis obtinet, quae per obitum Pastoris sui dicuntur viduatae, e. g. quae destituuntur suo Rectore iurisdictionem generalem vel quasi generalem habente, quales sunt, Episcopi, Praepositi etc., si eorum dignitas est prima alicuius Ecclesiae; ceteris Ecclesiis, si forte vacent, Episcopus vivens praeesse censetur. Unde electionis materia, circa quam ea fit, est ecclesiasticus magistratus, non merum beneficium. *Vacantem,* non solum *physice et de facto: sed moraliter et de iure;* quod fit per mortem, resignationem, translationem, depositionem et deiectionem legitimam prioris Praelati. *Ab iis, quibus ius est* seu competit ius eligendi ad denotandam electionem activam: et est eorum, qui eligere possunt, propterea dicuntur habere vocem activam, quae simpliciter et absolute *vox* est, et eorum actio dicitur *vocatio,* tum quia procedit ab iis, qui habent *vocem,* sive ius suffragii in Collegio, cuius caput eligitur; tum quia sic distinguuntur ab iis, qui eligi possunt et dicuntur habere vocem passivam; tum quia eorum opus non est institutio, cum electio non tribuat electo *ius in re,* neque possessionem beneficii sicut institutio, quae vulgo dicitur installatio seu investitura: sed tantum *ius ad rem:* atque adeo ab aliquibus additur vocatio auctoritate superioris confirmanda. *Vocatio canonice facta;* quia celebrari debet servatis quibusdam legibus et conditionibus Iure canonico constitutis.

158. *Declaratur 2.* Agimus heic de iis, qui active in electionem concurrunt, quique **electores** audiunt, de quibus dicendum est, 1) quinam sint electores legitimi; 2) quibus de causis suo iure decidere possunt; 3) an omnes sint vocandi, qui ius habent suffragii. In *Electoribus* legitimis definiendis ius Decretalium iure novissimo immutatum magna ex parte fuisse, aiunt complures Doctores episcopatus praecipue intuentes, qui

ab ipso Romano Pontifice partim absolute, partim saecularium Principum praevia nominatione conferuntur: sed in ea re minus proprie loquuntur, verbum Electio non proprio, sed latiori modo accipientes. Non enim personae electorum in electionis forma mutatae sunt; sed ipsa forma electionis de medio (quoad episcopatus) sublata est; collatione vel institutione eidem substitutis.

Itaque in iis praelaturis, in quibus conferendis electionis forma servatur, electores legitimi, hodieque sunt: I. *Iure ordinario,* qui proprie ac stricte sunt de ipso corpore collegii, cuius Praelatus est eligendus; unde e. g. in capitulis canonicorum non Clerici beneficiati, sed canonici tantum ius habent eligendi. *Reiff.* II. *Iure extraordinario* etiam Clerici extranei, idque quadruplici modo, i. e. *a*) consuetudine legitima; *b*) privilegio Romani Pontificis; *c*) communicatione facta unanimi consensu a legitimis electoribus (qui tamen ex privilegio tales non sint) *Reiff. l. c. n. 160. seqq.; d*) denique pacto fundationi adiecto. *Schmalz. tit. de Elect. n. 7.*

Causae, de quibus, qui per se ius habent eligendi, eodem privantur, I. *Natura,* quo spectant praeter eos, qui sui compotes non sunt, de quibus manifestum est eos neque eligere neque eligi posse, etiam impuberes *c. 2. de Elect. in 6,* ibique quoad furiosos *Glossa v. Discretione.*

II. *Lege,* qua duplici ratione eodem iure aliqui exuuntur, i. e.

α) *durante impedimento* 1°. censuris irretiti, excepta excommunicatione minore, ac suspensione a solo beneficio, atque hac insuper lege, ut si in censuris contrahendis specialiter non fuerint nominati, eorum tantum suffragium irritari possit per sententiam iudicis: si specialiter nominati fuerint in irritum cadat tota electio, dummodo scienter fuerint admissi; secus eorum tantum suffragium. *Reiff. tit. de Elect. n. 167. et seq.* At in electione Romani Pontificis ad evitanda schismata etiam censuris alligati vocem habent activam. *Clem. 2. de Elect.* § *Ceterum.* 2°. In sacris non constituti, *Clem. 2. de Aet. et qualit.; Trid. Sess. 22. c. 4. de Ref.,* nisi forte agatur de Regularibus sub hac conditione, si constitutionibus Religionis cavetur posse quemlibet Professum vocem habere. *S. C. C. apud Giraldi Expos. Iur. Pont. P. 2. sect. 78.* 3°. Quicumque privationem vocis activae

incurrerunt, quod praecipue pertinet ad Regulares, apud quos plures sunt casus, in quibus haec poena adnexa est.

3) *Pro unica vice tantum* i. e. pro ea vice, qua peccatum est; idque item duplici ratione, scilicet I°. *Ipso iure:* 1°. qui per abusum potestatis saecularis electionem voluntarie fecerunt, *C. 43. de Elect.,* sive requirendo ante electionem consensum Principis, sive admittendo Principem (de privato laico *Fagnanus,* homo minime indulgens dubitat in *C. 43. de Elect. n. 22.*) ad coeligendum, *Can. 28. Dist. 63,* sive permittendo, ut Princeps auctoritatem suam interponat, vel etiam simpliciter protectionis nomine intersit, *Fagn. in dict. Cap. Quisquis 43. n. 30. seqq.,* quibus in casibus praeter dictam poenam, etiam suspensio incurritur ferendae sententiae ad triennium. *Cap. 43. de Elect. ibiq. Fagn. n. 10; Schmalz. tit. de Elect. n. 68; Pirhing ibid. n. 33. seqq.* 2°. Qui indignum scienter, *Cap. 25. de Elect. ibiq. Gloss. v. Scienter,* elegerunt completo scilicet electionis actu per capitulare decretum *C. 7. de Elect. in 6. ibiq. Gloss. v. Perstiterint:* quo in casu ius eligendi devolvitur ad innocentes: etiamsi unus sit, *Schmalz. tit. de Elect. n. 21;* quod si omnes peccaverint ad superiorem, *Cap. 18. de Elect. n. 6.* Peccantibus autem adiecta etiam est suspensio a beneficiis illius Ecclesiae, in qua facta est electio. *Cap. 37. de Elect. in 6. § Restringitur; cf. Schmalz. l. c. n. 20; Pirrh. n. 47. seq.* 3°. Qui intra tempus legitimum eligere neglexerunt. II°. *per sententiam iudicis,* qui contempserunt quoad substantialia canonicam in eligendo formam, de quibus *Cf. Schmalz. l. c. n. 50; Pirh. l. c. n. 41.*

Sed *an vocandus sit ad electionem quicumque ex dictis habeat ius eligendi?*

Respondet *Cap. 42. de Elect.* (ibique Glossa): « *Quia propter diversas electionum formas, quas quidam invenire conantur, et multa impedimenta proveniunt, et magna pericula imminent Ecclesiis viduatis, statuimus ut cum electio fuerit celebranda, praesentibus omnibus, qui debent, et volunt, et possunt commode interesse, assumantur tres de Collegio fide digni, qui secrete et singillatim vota cunctorum diligenter exquirant, et in scriptis redacta mox publicent in communi, nullo prorsus appellationis obstaculo interiecto; ut is collatione habita eligatur, in quem omnes vel maior et sanior pars Capituli consentit.... aliter electio facta non valeat* ».

Ubi dicitur *qui debent interesse* ad excludendum eos, qui de iure non debent; qui *volunt interesse* ideo, quia eorum vocalium, qui electioni interesse nolunt, ratio habenda non est, cum alienos ab electione se fecisse noscantur, *Cap. Cum nobis h. t. Possunt commode interesse,* quia nimium remoti pro electionibus, quibus commode interesse nequeunt, necessario vocandi non sunt; *arg. Cap. Cum inter universas 18. h. t.* Insuper addendum: si dicitur *qui volunt:* ergo non accedentibus adiici poena nequit, nisi id exigat consuetudo, aut specialis usus necessitatis Ecclesiae, *Schmalz. l. c. n. 22;* item *qui commode* possunt, quod definitur aut consuetudine, aut ratione, si nimirum ita distant, ut intra tempus a iure praescriptum electioni adesse queant. *Schmalz. l. c. n 24.*

Quod si ii, qui ius habent, vocati non fuerint, electio duplici ratione nulla esse potest, *ipso iure,* si qui sunt *contempti,* i. e. qui vocati non sunt, superent tertiam electorum partem; *per sententiam iudicis,* si minor pars contempta sit, et in electum simul consenserit electorum pars maior, non modo relate ad praesentes, verum etiam ad comtemptos; secus enim ipso iure nulla esset. *Schmalz. l. c. n. 23. et 49.*

Expensae autem itineris non debentur nisi iis, qui Ecclesiae causa, in qua electio fit, absunt, salva semper consuetudine. *Schmalz. l. c. n. 26.* Ius autem substituendi procuratorem iis tantum conceditur, qui legitime sint impediti, et sub ea conditione, ut procurator sit de gremio Capituli, nisi Capitulum deputari extraneum consentiat, *C. 46. de Elect. in 6;* salva item consuetudine. *Schmalz. l. c. n. 26. seqq.*

Substituens sibi procuratorem, ius iurandum prius interponere debet se legitime esse impeditum: procurator autem nomine mandantis ferre debet suffragium personae per mandatum determinatae, sive sit ipse alio titulo elector, sive non: quod si mandatum personam eligendam non determinavit, tam suffragium, qua procurator est, quam suffragium, qua elector est, ferre debet uni eidemque personae.

159. *Declaratur 3.* **Praestituto tempore et loco** etc., sed ante ipsam vocationem electorum praecedere debet vacatio Praelaturae ita, ut provideri debeat Ecclesia iam viduata pastore suo: concedi enim alicui non potest, quod ab altero

legitime retinetur, ac proinde irrita prorsus esset electio. Cum Ecclesia vacaverit per obitum pastoris; quamvis non ad validitatem electionis, ad decentiam maxime praemittatur oportet honorifica eiusdem Praelati sepultura ita, ut ante traditum corpus sepulturae et ante diem tertium depositionis collegialiter et definitive de electione constituenda decernendum non sit; nisi forte gravissima causa secus expostulet. *Cap. 36. h. t. § Electionem.*

Tempus intra quod fieri debet electio, ultra quod ius eligendi devolveretur ad superiorem, a quo petenda est confirmatio electionis peractae, a tertio die depositionis vel si absens obierit, a certa notitia vacationis Sedis est *trimestre* si agatur de eligendo Episcopo Cathedralis Ecclesiae aut Praelato Regularium, *C. 41. h. t., et c. 18. eodem in 6;* semestre autem si agatur de aliis, praelaturis, dignitatibus, beneficiis, nisi forte aliud statueret. Sunt qui, *Zalling. ad tit. de Elect. § 276. in fine,* addunt electionem interdiu, non autem noctu esse peragendam: nisi necessitas aliud suadeat.

Ad *locum electionis* quod spectat, necessarium est hunc assignare: secus enim electores convenire non possunt; quamvis hanc legem Doctores non addunt. Et fortasse merito; nam si e. g. nullus locus neque hora assignatur, intelligitur legitimus i. e. Ecclesia et hora consueta Capituli. Salvo tamen iure mutandi, si id expedire videatur; *cf. Reiff. Tit. de Elect. n. 58.* Hinc si electores in Ecclesia vel eius ambitu, ubi sacrarium vel aula capitularis sita est, electionem facere impediantur, eam ubivis peragere possunt; *arg. Can. 1. § 5. dist. 23.*

Summarium — Ad formam Electionis quod attinet, praeter eam, quae appellatur quasi inspiratio, et compromissum, est forma scrutinii, de quo exponitur quid electionis initio, aut ipsa electione, quidve peracto scrutinio servandum sit.

160. *Declaratur 1.* In huius Summarii 1ª. parte exponemus, quae et quando haberi censeatur *forma quasi per inspirationem;* 2ª. forma *per scrutinium;* in 3ª. quae est secundae subsidiaria, forma *per compromissum.* **Electio per quasi inspirationem** est, *quando vocatis omnibus electoribus, iis, qui adesse voluerunt, vel potuerunt, simul congregatis, nullo praecedente tractatu de certa per-*

sona eligenda, electores unanimiter omnes absque contradictione vel haesitatione in unum statim consentiunt. Porro tria in hac electione notanda sunt: 1. Conditiones in ipsa definitione clare exprimuntur: 2. quod sit forma insueta et valde rara, cum requiratur ad hoc specialis Spiritus Sancti afflatus, hinc divina audit; 3. in hac electionis forma diligens inquisitio fieri debet a superiore, antequam eam confirmet, an aliqua fraus in ea latuerit. *Reiff. l. c. n. 60.*

161. *Declaratur 2.* **De Electione per scrutinium.** *Electionis initio.* Substantialia I. ut ad electionem duae saltem partes electorum, qui scilicet et debent et volunt et commode possunt interesse, convenerint. *Fag. in C. Quia propter de Elect. n. 40. 41.* Quod si posteaquam convenerunt, aliqui exeant e capitulo, vel, etiamsi maneant, nolint suffragium dare; contemni a caeteris impune poterunt, si tamen minorem partem illi constituant: imo etiam maiorem, si terminus ad electionem faciendam a iure praefixus iam instet. *Reiff. tit. de Elect. n. 200. sq. Girald. Expos. Iur. Pontif. P. 2. n. 161. in append. ad Dub. VII.*

II. Ut designentur scrutatores (a Capitulo non autem ultro se ingerant) i. e. ii, qui suffragia colligant, iique numero tres et de ipso collegio, *Cap. 42. de Elect. et ibid. Fag. n. 42. 46. et Girald. l. c. dub. 12,* nisi forte consuetudo iam constituta et paucitas electorum suadeat extraneos clericos advocari. *Reiff. tit. de Elect. n. 122. cf. Pichler.*

Quae substantialia non sunt, licet servari deceat; duo satis sit memorasse: *a*) Ut electio in ipsa Ecclesia de cuius praelatura agitur, celebretur. *C. 28. de Elect.; Fag. in C. Quia propter n. 69. b*) Ut ab electoribus simul congregatis tractatus praevius habeatur de personis, quae dignae videantur ad praelaturam ut scilicet maturius et concordius electio deinde fiat. *Schmalz. tit. de Elect. n. 38. 39.*

In ipsa electione seu *in ipso actu scrutinii, quae servanda sunt: a*) Non sint neque conditionata, neque alternativa, neque incerta. *Cap. 2. de Elect. in 6. b*) Dentur vel submissa voce oretenus, vel etiam per schedulas, *Reiff. tit. de Elect. 124,* cum facultate variandi personam nominatam seu electam ante publicationem scrutinii, de qua infra, secus autem post publicationem. *C. 58. de Elect. c. 3. de Postul. et utrobiq. Fagn. c*) Colligan-

tur 1°. a tribus simul (quia testes) scrutatoribus; 2°. singillatim; 3°. nemine omisso; 4°. ordine ita ut primum Praeses, si de collegio sit, interrogetur, deinde mutuo inter se scrutatores, denique ceteri; 5°. secrete, *C. 42. de Elect. ibiq. Fagn. n. 47. sq. Schmalz. l. c. n. 46; Reiff. l. c. n. 124. seqq.*, ut libera sint. *d*) Eorum suffragia qui in eadem civitate infirmi sunt, voluntque per se suffragium dare, excipiuntur ab ipsis scrutatoribus, qui ad eos accedant, statimque ad locum electionis redeant, *Schmalz. l. c.; Pirhing videtur hoc ipsum negare; e*) collecta, si oretenus data fuerint, in scriptis redigantur vel per ipsos scrutatores vel per tabellionem, qui etiam laicus esse potest. *Cap. 42. de Elect. ibiq. Gloss. v. Redacta; Fag. n. 53.*

Peracto Scrutinio haec agenda sunt: α) primum vota publicari debent, *Cap. 42. de Elect.*, non nomina eligentium: sed 1°. numerus totalis suffragiorum, 2°. numerus eorum, quibus data sunt et quo numero. β) Deinde facienda est collatio numeri ad numerum, *d. Cap. 42. de Elect.*, seposita collatione meriti ad meritum, et zeli ad zelum, qua scilicet zelus ac meritum eorum, qui suffragium dederunt, comparetur, quod iure Decretalium faciendum quidem erat, sed modo obsolevit. *Giraldi Exp. Iur. Pont. P. I. Sect. 46. § Verum quidquid.* γ) Si maior pars in unum eumque dignum consenserit, electionis decretum oretenus pronuntiandum est, *Fagn. in C. Quia propter de Elect. n. 63*, omnium nomine ab eo, qui Capitulo praeest, vel ab alio per Capitulum deputato, *d. Cap. de Elect. 42. ibique Fagn. n. 52; Schmalz. eodem t. n. 19.* Formulam tibi exhibet *Pichler de Elect. n. 30:* « *Ego NN. nomine meo et eligentium mihique consentientium invocata gratia Spiritus Sancti* (Episcopum vel Abbatem) *huius Ecclesiae N. eligo et electum coram vobis pronuntio* (hic ponet nomen Electi). *In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti Amen.* Quod si maior pars in unum non convenerint, ad aliud scrutinium procedendum est. *Schmalz. l. c.* δ) Haec ordine et continenter i. e. nullo alio actu interposito facienda sunt: secus iniicitur suspicio fraudis, et saltem aliquo reclamante, irrita electio dici potest. *Fagn. in d. Cap. Quia propter de Elect. n. 56. 58. 60.*

Heic omittimus *accessum* sic dictum, quo compleri solet electio per scrutinium, de quo mox cum de Romani Pontificis electione res est, in qua tantum locum habet.

162. *Declaratur* 3. **De Electione per Compromissum.** Electio per *compromissum est, quando ii, quibus ius eligendi competit, communi consensu facultatem eligendi Praelatum committunt aliis viris idoneis, sive ex eorum coetu, sive etiam extraneis, ut nomine et vice omnium eum eligant. Cap. 42. de Elect. Glossa in C. 6. de Elect. in 6. Barbosa Collect. in Decr. in C. 42. de Elect. et ceteri Doctores in h. t.* Porro quae pro forma electionis per compromissum constituta sunt, ad quatuor capita redigi possunt: 1. quotuplex sit huius formae modus; 2. quibus legibus eiusdem usus permittatur; 3. quibus exerceri debeat; 4. qui sint modi, quibus mandata compromissariis facultas expirat.

Ad 1m. Compromissum in electione duplex distinguitur: *absolutum*, cum libera potestas compromissariis defertur quemcumque idoneum eligendi, *Glossa in c. 32. v. De gremio de Elect.*; et *limitatum*, quod sensu item duplici solet intelligi, videlicet *generico* cum facultas eligendi, restrictione aliqua adiecta, compromissariis committitur; *iuxta certam speciem*, quae usu frequentior est, cum nimirum ea adiicitur conditio, ut compromissarii, exquisitis secreto singulorum votis, illum eligant, quem Collegii pars maior (non quidem respective talis) elegerit, *Cap. 32. de Elect. et C. 39. eodem in 6*; quae quidem ratio idcirco inventa est, quia electionem per scrutinium ita complectitur, ut tamen eam propter compromissi formam eximat a minutioribus quibusdam legibus, quae alioquin servandae essent. *Glossa C. 29. de Elect. in 6. v. Inquisitis.* Dixi autem *pars maior non quidem respective talis, Reiff. de Elect. n. 75; Schmalz. in eund tit. n. 56*, quia tunc electio in eum incideret, quem neque Capituli neque Compromissariorum iudicium approbavit.

Ad 2m. Ut autem eiusmodi forma adhiberi possit, duae conditiones concurrant necesse est: *a*) ut in eam convenire debeat electorum consensus unanimis, ita ut nec unus quidem dissentiat. *Glossa in Cap. 42. de Elect. v. Vice omnium, et arg. C. 29. de Reg. I. in 6*: « Quod omnes tangit debet ab omnibus approbari ». N. B. *Omnes tangit* i. e. ita pertinet ad singulos ut in actu illo communi singuli habeant ius proprium proindeque, si detrahi cuipiam ex individuis velit, iure suo privetur; et *Cap. 56. de Reg. I. in 6*: « In re communi potior est conditio prohibentis ». N. B. *Communi*, i. e. quae indivisim ad singulos per-

tinet: atqui actus electionis est individuus. Nisi forte agatur de compromisso limitato iuxta praedictam speciem, in quo consensus maioris partis sufficit, *Fagn. in C. 6. de Elect. n. 75,* et, ut plures volunt, debet esse etiam expressus, *Schmalz. l. c. n. 52. Baumgarthen Conclus. 10. in h. t.,* quia dicunt in re tam gravi, ubi cedendum est iuri proprio, consensum ex taciturnitate argui non posse. Nihilominus etiam in rebus odiosis, consensum ex taciturnitate iure argui, quando dissensus aperiri facile potuit, certissimum in Iure est, *cf. Reiff. de Reg. Iur. in 6. c. 43. n. 5. sq.,* e. g. *Can. 20. D. 54:* « Si servus, sciente et non contradicente Domino, fuerit ordinatus, ex hoc ipso liber erit » (sicut rei ecclesiasticae alienatio, sciente et non contradicente Capitulo, valet, *C. 2. de Iis quae fiunt...*); *b*) Ut compromissarii esse debeant Clerici, *arg. C. Contingit de Arbitr., Fagn. in Cap. 8. Causam de Elect. n. 10. seqq.;* iique idonei ad eligendum, *Reiff. n. 69. 70,* licet extranei Collegio esse possint. *Reiff. l. c., Schmalz. n. 53.*

Ad 3^m^. Leges, quae in ipsa Compromissi executione servandae sunt, ad tres praecipue rediguntur: *a*) Forma a compromittentibus praescripta seu conditiones ab iisdem appositae, omnino servandae sunt. *C. 32. de Elect. Reiff. heic 86. b*) Electio in eum facta esse censetur, in quem maior pars compromissariorum consenserit, *Schmalz. tit. de Elect. n. 56. seqq.;* idque eo usque, ut si media eorum pars unum ex seipsis elegerit, electus ipse assensu suo electionem perficiat, *Cap. 33. de Elect., Reiff. in h. t. n. 101. seqq.;* quod tamen in electione per scrutinium fieri non posset. *Reiff. l. c. n. 103. seqq. c*) Si Compromissarii plures fuerint, ab uno, vice omnium, electio promulganda est. *C. 21. de Elect. in 6. ibique Layman, Schmalz. 60.*

Ad 4^m^. Denique compromissum expirat his praecipuis modis: α) *Eiusdem executione,* i. e. electione a compromissariis utcumque facta, vario tamen cum effectu pro casus varietate, i. e. 1°. Firma remanente electione ita, ut electus recusari a compromittentibus non possit si duo haec concurrant: Primum ut electio tum respectu formae, tum respectu idoneitatis electi rite facta fuerit; secundum ut Electus ipse consenserit. *C. 8. de Elect. ibiq. Fagn. et Reiff. n. 85.* 2°. Electione ad compromittentes iterum (nisi aliud obstet) devoluta, si forma spreta fuerit compromissi,

aut si electus assensum praestare nolit, aut si indignus electus fuerit; idque ita, ut in casu electionis indigni eaedem poenae incurrantur tum a compromissariis, tum a compromittentibus qui ratam habuerint electionem, quae in ipsos eligentes indignum scriptae sunt. *Cap. 37. de Elect. in 6; Reiff. l. c. n. 88. seqq.*

β) *Eiusdem revocatione a compromittentibus facta,* dummodo tria haec concurrant, *Reiff. l. c. n. 79. seqq.:* 1°. Ut res sit integra, *c. 30. de Elect. ibique Layman n. 7. Reiff. l. c.,* i. e. ut compromissarii ad ipsum electionis tractatum vel nondum processerint, vel re infecta ab eodem discesserint. 2°. Ut maior compromittentium pars revocationi consentiat. *Reiff. l. c. n. 83.* 3°. Ut compromissum non favore atque intuitu compromissariorum, sed Ecclesiae intuitu, (quod semper praesumitur nisi contrarium probetur) factum sit. *Reiff. l. c.*

γ) *Lapsu praescripti temporis sive a iure sive a compromittentibus* ita, ut, si agatur de tempore a iure definito, electio devolvatur ad superiorem, *c. 28. de Elect. in 6;* si a compromittentibus, tantum ad eosdem. *C. 52. de Elect. ibique Layman, Reiff. n. 95.*

δ) *Morte alicuius ex compromissariis,* si plures constituti fuerint; quandoquidem eorumdem numerus ad formam pertinet, cuius defectus compromissum irritat.

Summarium. — Electionis Romani Pontificis leges, quae hodie vigent scriptae, praecipue sunt quae continentur Greg. XV. binis Constitutionibus, altera quae incipit *Aeterni Patris* **16 Nov. 1621; altera quae incipit** *Decet Romanum* **12 Martii 1622; et quoad ius exclusivum Cardinalium est Const. Pii IX.** *Cum Romanis Pontificibus* **pridie nonas Decembris 1869.**

163. *Declaratur.* Ut Electionis materia simul collecta habeatur, operae pretium est heic adnotare, prout Institutiones ferunt, ea quae circa particulares leges electionis in quibusdam praelaturis, memoratu digna sunt. Praelaturae istae praecipuae sunt Pontificatus Romanus et quae pertinent ad Regulares. In primis duplex quaestio iuris et facti distinguenda est: 1. iuris scilicet ad quem pertinet determinare leges electionis Romani Pontificis; 2. facti, quae de facto, et quales fuerint hac de re editae hodieque vigent. Iamvero *ad quaestionem iuris* statim respondetur, ius eiusmodi uni Romano Pontifici competere. Nam

determinatio rei, quae spectat ad commune Societatis bonum, et ex qua sequitur obligatio totius Societatis, est actus iurisdictionis proprius supremae auctoritatis, cui nempe subest tota societas: atqui talis est electio Romani Pontificis; suprema autem in Ecclesia auctoritas residet in uno Romano Pontifice vel solo, vel una cum oecumenico Concilio. Ergo ad unum Romanum Pontificem spectat determinare formam eligendi Pontificem, nisi a Deo sit praestituta. Unde, qui eligeretur extra formam determinatam a Romano Pontifice, is non esset iure electus, nec ei conferretur a Deo auctoritas primatus, et si hanc exercere vellet, esset tyrannus execrandus.

Ad quaestionem facti, quae et quales sint leges hac de re ab Apostolica Sede editae praeter antiquiores, celebre est *C. 6. h. t.* quae est Constitutio Alexandri III., qui cum tres antipapas ex adverso esset expertus, ut efficaciter removerentur schismata, in Concilio Lateranensi III. statuit 1°. ut electio Romani Pontificis a solis Cardinalibus perficeretur, qua in re additur Constitutio Pii IX. *Cum Rom. Pontifex* supra citata, confirmans iterum ius eligendi Pontificem Romanum esse exclusivum Cardinalium S. R. E. ita, ut si contingat mors Pontificis tempore Concilii oecumenici, inter Patres Concilii oecumenici (quod ipsa Pontificis morte suspensum manet) qui Cardinalis non est, nullus potest sese ingerere ad eligendum, omni voce activa carens. 2°. Insuper *ex d. Const. Alex. III.* statuitur ut is electus habeatur, in quem cadunt duae ex tribus suffragiorum partes; 3°. ut si quis a paucioribus, quam a duabus partibus eligatur, nisi maior Patrum concordia suppetat, a munere pontificali sub excommunicatione ipso facto incurrenda, nec non totius sacri Ordinis privatione, abstineat. Gregorius X., *c. 3. h. t. in 6,* praesertim tum Electionis locum, qui vel urbs vel provincia, in qua demortuus est Pontifex, quantum fieri potest, esse debet, tum Conclavis disciplinam circa victum et prohibitionem commercii Cardinalium cum extraneis praescribit: quam dispositionem confirmarunt Clemens V. et VI. Speciatim ne, vivente adhuc Pontifice, de electione novi Pontificis tractaretur prohibuit Paulus IV. *Const. Cum secundum apostolum 17. Kal. Ian. 1558. Cf. Camarda De Elect. R. P. 1773,* qui bene collegit omnes hac de re Constitutiones pontificias.

164. Sed ex Pio IV. *Const. In eligendis,* et praecipue ex Greg. XV. *binis constitutionibus* in summario indicatis, haec sequuntur potiora quoad Electionem Romani Pontificis: I. Electio Romani Pontificis fit a Cardinalibus, *c. 6. de Elect.,* etiam censura irretitis, sed ordine Diaconatus constitutis, *Pius IV. Constit. In Eligendis 8 Oct. 1562;* nisi quis ea de re a Pontifice dispensatus fuerit, atque insuper per seipsos, non per procuratores. *Const. Greg. X. quae incipit Ubi periculum an. 1273. et praedicta Pii IV.*

II. Praemonitis de obitu Pontificis Cardinalibus absentibus per literas particulares a Secretario S. Collegii subscriptas, *cf. Ferraris v. Papa a. 1. n. 23,* iisdemque per decem dies expectatis, *Const. Pii IV. cit.,* Cardinales praesentes convenire debent ad eligendum in locum clausum, i. e. in Conclave.

III. Forma electionis esse potest per scrutinium, per compromissum, *Fagn. in Cap. Causam 8. de Elect.,* et per acclamationem, i. e. per quasi inspirationem.

IV. Scrutinium fit per schedulas clausas et signatas signo Cardinalis Electoris, in quibus et electi et electoris nomen scriptum sit.

V. Schedulae, praemisso ab Electore iuramento se opinione sua optimum elegisse, deponuntur singillatim in calice, eaeque a tribus Cardinalibus scrutatoribus, sorte ante scrutinium extractis, colliguntur. Si quis vero sint infirmi, eorum schedulae in capsula a scrutatoribus palam clausa, a tribus aliis Cardinalibus, sorte pariter extractis, recipi debent.

VI. Schedulis numeratis et publicatis, is electus habetur, in quem duae Electorum partes consenserint. Quod si eiusmodi consensus nondum habeatur, integrum fit electoribus variare pro una vice suffragium accedendo ad alium, quem malint, eoque accessu peracto, schedulae omnes a tribus aliis Cardinalibus, sorte item electis, recognoscuntur et deinde comburuntur. Accessus, de quo heic sermo et qui dumtaxat in Romani Pontificis electione obtinet, est id quod Alexander III. *c. 6. h. t.* constituit, quodque Gregorius XV. in Constitutione *Aeterni Patris* fusius enucleavit, scilicet ut publicatis a Scrutatoribus in Schedis suffragiis, possint Cardinales accedere, scripto suffragio in nova scheda, in electionem illius, qui aliquod saltem

per scrutinium obtinuit suffragium, ita tamen ut non possint iterum dare suffragium illi, cui iam dederant in scrutinio. Peracto accessu, ille censetur electus, qui in eodem scrutinio, ex computatis suffragiis tam per scrutinium quam per accessum habitis, binas tertias referat partes: secus, combustis schedis ad alterum scrutinium erit procedendum.

VII. Scrutinia donec electio perfecta sit, bis quolibet die fiunt.

VIII. Qui has leges infregerit aut de iis quae gesta sunt secretum violarit, ipso facto in excommunicationem incidit.

Unum addendum, *tempus*, intra quod electio compleri debeat, definitum non esse nisi generalibus verbis, quae ceteroquin rei natura dictat, ut scilicet quam celerrime Ecclesiae de Pastore suo provideant Cardinales, quorum exclusivum ius est eligendi Pontificem, quod ad aliquem superiorem saltem ordinarium devolvi nequit, qui illorum suppleat negligentiam.

Summarium. — Ad Regularium Praelatos quod attinet eligendos, communibus Electionis legibus specialia quaedam quoad Electores, eligendos, formamque electionis addenda sunt.

165. *Declaratur.* Duo circa hos Praelatos eligendos sunt animadvertenda: 1°. Iuris apices in eorum electionibus exigi severius non solere ita, ut facillime confirmentur, dummodo substantialia salva sint. *Schmalz. de Elect. n. 87. et Reiff. ibid. n. 339.* 2°. Statuta, privilegia et consuetudines singulorum esse attendenda. *Schmalz. l. c.* Quibus praemonitis, speciales eorumdem leges circa enuntiata capita inspiciendae sunt.

I. *Quoad Electores* vix est, quod a iure communi recedat. Nam 1°. ut sit professus in eo conventu, a quo eligitur Praelatus, et 2°. quod Clerici in sacris non constituti non possint saltem ex consuetudine electores esse, *Schmalz. n. 84. § 4,* licet professi sint, multoque minus laici conversi; 3°. quod ab eiusmodi lege ordines excipiantur, qui ad ministeria temporalia instituta sunt, *Schmalz. l. c.,* laicisque ferme constant: id naturale est; *arg. et ex C. 32. h. t. in 6. et Glos. v. Cum Cle-*

ricos, Concilium Tridentinum, *Sess. 25. C. 2. de Reg.*, privat iure suffragii per biennium religiosos proprietarios.

II. Quoad eligendos haec peculiaria sunt: In genere ut nemo eligi possit, nisi qui sit 1°. ex eodem ordine, *Clem. 1. de Elect.*; 2°. in eodem professus, *C. 37. et 49. de Elect.*; et quidem 3°. non tacite sed expresse, *C. 28. de Elect. in 6. Cf. Schmalz. de Elect. n. 85.*

In specie quoad moniales, ut ea, quae in abbatissam eligitur 1°. octo habeat professionis annos; 2°. ut quadraginta annos sit nata: quod si 3°. his qualitatibus ornata nulla reperiatur, prudentiae relinquitur superioris, qui electioni praeest, utrum in eodem monasterio aliqua eligenda sit, quae annos saltem a nativitate triginta excesserit, et a professione quinque recte vixerit; an ex alio eiusdem Ordinis monasterio eligi debeat, *Conc. Trid. Sess. 25. C. 7. de Reg.*; quod si fiat, facultas Apostolicae Sedis obtinenda est, ut electa egredi e suo monasterio possit. *Girald. Exp. Iur. Pont. P. 2. Sect. 162. § Huic autem et seq.*

III. Quoad formam electionis praemonendum est, quoad electiones Abbatum perpetuorum, qui scilicet Ecclesias et monasteria sua in titulum perpetuum obtinent, nihil esse innovatum, communemque formam in eadem servari, *arg. Conc. Trid. Sess. 25. C. 6. de Reg. v. Abbatum tempor.; Reiff. t. de Elect. n. 336. et Schmalz. ibid. n. 87.*

Quod vero pertinet ad ceteros, quaedam pariter de Regularibus in genere, quaedam de Monialibus in specie constituta sunt.

In genere Conc. Trid. l. c. statuit secretum quoad singula vota ita servandum esse, ut eius publicatio irritet electionem, eique, qui hoc modo eligi se permiserit, inhabilitatem inducat ad quaelibet suae religionis officia. Quae tamen iuxta communem opinionem locum habent, si maior Capituli pars in ea re peccaverit, sive proprium votum publicando, sive unius etiam publicationi consentiendo. *Reiff. t. de Elect. n. 343; Schmalz. l. c. n. 88.* Unde haec communius inferuntur: *a*) *formam compromissi* et quasi inspirationis adhiberi non posse, *Girald. P. 2. Sect. 161. Append. dub. 2; Reiff. l. c. n. 348*, licet non pauci id negent: *b*) *suffragia oretenus* non posse scruta-

toribus aperiri, *S. C. C. apud Fagn. in C. Quia propter de Elect. n. 22; Girald. l. c. dub. 3,* licet id neget post alios plures Reiff. *t. de Elect. n. 331. et seq.,* qui tamen Resolutionem citat S. C. C. quae minus congruit, cum agat de canonicis saecularibus.

In specie quoad Moniales, si in electam pars simpliciter maior consenserit, et aliquae ex eligentibus in eiusmodi electionem insurgant, eadem confirmari a superiore non potest, nisi per accessum numerus consentientium usque ad duas partes crescat; sin minus administratio Monasterii citra facultatem alienandi vel aliquam monialem recipiendi, electae tradenda est, donec de veritate eorum, quae obiiciuntur, superior diligenter quidem, sed sine figura iudicii inquirat. *Cap. 43. de Elect. in 6. ibique Layman, Schmalz. n. 89. § 5. seq.*

II. De Postulatione.

Summarium. — Notione ac natura solemnis Postulationis declarata 1) quae definiri solet " Capituli vel Collegii ad superiorem decreta petitio, ut ope dispensationis, pro Ecclesiae bono, ad Praelaturam ecclesiasticam certa persona admittatur, quae propter impedimentum canonicum, super quo dispensari potest et solet, eligi nequit „; 2) explicantur breviter requisita, vis et effectus, quis superior et quae forma dispensationis.

166. *Declaratur 1.* Iam advertimus in Decr. praemitti electioni postulationem, quia haec revertitur ad originarium modum derivandae iurisdictionis, *cf. Ius pub.;* nos hanc postponimus, quia nunc accedit ad Electionem ceu remedium subsidiarium Postulatio, quae haberi solet quando veri nominis electio fieri nequeat. Porro *de Postulatione* agunt Canonistae *in l. 1. Decr. t. V.* Extat dissertatio *de Postul.* auctore *Nesler.* In hac 1ª. parte dicemus de natura breviter, dein in 2ª. parte de consectariis inde dimanantibus.

Postulatio, praescindendo ab ea, quae cuiuslibet gratiae petitionem dicit, vel a sensu quo postulatio sumitur *tit. 37. de Postulando l. 1. Decr.,* scilicet pro advocare, patronum agere, aut eodem *tit. ff.* pro petere aliquid in iudicio, iuridice; heic

est decreta petitio et duplex a Canonistis distinguitur *solemnis* et *simplex*. *Simplex* est *petitio consensus superioris cum ad Praelaturam persona eligitur, quae ab eo immediate dependet*, sive e. g. eligatur religiosus, sive Cardinalis per se eligibilis, i. e. vel Presbyter vel Diaconus, *Schmalz. tit. de Postul. n. 9;* quorum alter superioris immediati, alter summi Pontificis consensu indiget. Dicitur *Capituli* vel *Collegii*, ut indicetur quinam postulare possint, scilicet omnes et soli qui possunt eligere; hinc additur *decreta petitio;* h. e. capitulariter: *ad superiorem*, i. e. ille qui potest dispensare ab impedimento can.: *petitio ut ope dispensationis;* ergo gratia petitur: *pro Ecclesiae bono*, scilicet publico, quae est necessitas vel utilitas Ecclesiae, et non in gratiam atque commodum postulati, quatenus ius acquisierit: *persona, quae* etc., h. e. quae sit digna; sed inhabilis ob defectum, qui opus ministerii sacri impedit. Nam indigni, e. g. haeretici, postulari nequeunt: inhabiles vero possunt, modo defectus non arceat a Praelatura ex iure divino, sive naturali sive positivo, sed ex iure canonico, a quo soleat dispensari.

167. *Declaratur 2.* Unde ad Postulationis naturam consequenter pertinent I. **Eius requisita,** circa quae lex est 1°. ut concurrat iusta causa, quae est Ecclesiae viduatae necessitas, vel utilitas: *Schmalz. t. de Post. n. 5,* quandoquidem sine causa dispensari non potest; tum 2°. ut impedimentum sit *dispensabile,* i. e. eiusmodi α) ut dispensari super eo possit, et β) soleat. Ex quo sequitur postulari non posse ex primo capite quicumque naturali iure aut divino inhabiles sunt, e. g. infantes, furiosi, infames, penitus illiterati etc., *Schmalz. l. c. n. 7. Reiff. l. c. n. 34;* ex altero capite: quicumque iure ecclesiastico postulari prohibentur, sive expresse, cuiusmodi sunt temerarii interdicti violatores, *C. 1. de Post.;* Religiosi mendicantes ad Ecclesiam saecularem cathedrali inferiorem, *Cap. un. de Post. in Extrav.;* Minores 27 annis ad Cathedralem, *d. Extr. C. un. de Post.,* qui postulati iam antea fuerunt, iidemque vitio personae reiecti, *C. 2. de Post.,* sive etiam tacite, quia nimirum negari iisdem dispensatio consuevit: cuiusmodi sunt bigami, *C. 10. de Renun.,* censuris irretiti, falsarii, simoniaci, corpore vitiati aut alia irregularitate indispensabili laborantes, perpetuo removentur, *Bened. XIV;* sicut et infames ratione delicti, depo-

siti. Duplex a Scriptoribus distingui solet depositio, partialis et totalis, *Reiff. t. de Poenis n. 23,* qui etiam recte addit in iis casibus, in quibus depositionis poena simpliciter et sine addito statuitur, totalem intelligi. Hos postulantes, vel alios quoscumque, si in literis omnes defectus, a queis dispensari debeat postulatus, non exprimant, privantur ea vice iure postulandi, consequenter et eligendi. *C. 7. h. t.*

II. **Vis et effectus:** si Postulatio utrumque habeat requisitum, factaque sit de persona idonea, et in concordia, dat Ecclesiae postulanti ius quoddam, licet improprie dictum, ad admissionem, *Schmalz. de Post. n. 14. Reiff. n. 14. 79. seq.;* quod attinet ad personam postulatam nullum ius eidem tribuit ante superioris admissionem, ius autem plenum seu ius in re post eamdem, cum admissio vim habeat confirmationis. *Schmalz. l. c. n. 3.*

III. **Superior,** cui facienda est postulatio regulariter, idem ille est, ad quem in electione ius confirmandi pertinet, dummodo is possit de impedimento, quod postulatus habet, dispensare. Hinc per se Romanus Pontifex est superior, si agatur de solemni Postulatione, quae nequit admitti nisi ab eo qui iuri communi sit superior, cum dispensatio ab impedimento canonico iuris communis relaxationem ferat; atque adeo dixi dummodo *is possit sive ex speciali privilegio sive ex consuetudine legitime praescripta a dicto impedimento dispensare.*

IV. **Quoad formam atque ordinem** postulationis, leges eiusdem propriae hae sunt:

I. Numerus suffragiorum, ut postulatio valeat, debet complecti duas tertias partes, si cum electione concurrat, e. g. si 15. sunt canonici, horum 10 stent pro postulato; secus si maiorem partem tertia habeat pro se electus. *Reiff. tit. de Postulat. n. 23. seq.* Quod si postulatio cum postulatione concurrat h. e. si diversi diversum postulent, tunc pars maior suffragiorum requiritur et sufficit ad postulationis validitatem.

II. Liberum est electoribus revocare postulationem, dummodo superiori praesentata nondum fuerit. *Reiff. l. c.*

III. Licet postulatio non secus ac electio notificari ei, qui nominatus est, quantocius debeat, nihilominus assensum suum absolute praestare non potest, sed vel conditionate si scilicet

dispensetur; vel per negationem profitendo se non dissentire. *Reiff. n. 67. seq.*

IV. Licet in genere formula in eligendo adhibita « Eligo aut postulo prout melius de iure valeat » invalidum actum faciat, nihilominus si impedimentum dubium sit, recte adhibetur, ita tamen ut, qui sic nominatus est, inter electionem aut postulationem eligere irrevocabiliter teneatur. *C. un. de Postulat. in 6.*

Coroll. Quamvis Electio et Postulatio conveniant in eo, quod ad eumdem finem, scilicet ad constituendum Ecclesiae Praelatum tendant; tamen haec ab illa in pluribus differt. Nam haec via est extraordinaria, illa est ordinaria. Postulatio supponit defectum vel impedimentum canonicum, innititur gratiae, quam non tenetur dare superior, secundum iuris terminos dicitur *admitti*, postulato non dat ullum ius; postulationem nondum admissam revocare possunt postulantes; postulandus autem maiori suffragiorum numero indiget, quam electus: quibus contraria habentur in electione.

III. De Collatione.

Summarium. — Collatio stricte dicta *a)* **est beneficii Ecclesiastici, ab eo cui tale ius est, personae idoneae libere facta concessio.** *b)* **De iure autem communi et ut ordinarius Collator** 1) **in tota Ecclesia confert Romanus Pontifex beneficia quadruplici ex causa, iure scilicet praeventionis, devolutionis, concursus, et reservationis:** 2) **in sua dioecesi Episcopus regulariter alia beneficia ipse solus, alia una cum Capitulo;** 3) **Capitulum vero quaedam conferre potest sive collegialiter sive per turnum:** 4) **Praelati** *nullius* **et Cardinales in suis titulis:** *c)* **Extraodinarii alii sive Collatores substituti sic dicti, sive Legati Romani Pontificis.**

168. *Declaratur* 1 . **Collatio** *a)* heic stricte sumitur, nam latiori sensu accepta quamlibet beneficii ecclesiastici concessionem significat ita ut duplex distingui soleat, *necessaria,* et est, quae fit a superiore (non ex mero suo iure, sed iuris alterius ratione habita) in electione per confirmationem, in postulatione per admissionem, in praesentatione per institutio-

nem; et *libera,* quaeque est collatio proprie dicta, de qua nunc agimus, quam in ipso Summario definivimus ubi dicitur *libere facta.....;* h. e. independenter ab electione, postulatione, praesentatione, vocaturque alio nomine *donatio, C. 5. de Concess. praeb. et C. fin. de Off. Vicarii in 6,* per quam acquiritur ius ad rem, et cum primum accesserit acceptatio eius, cui confertur beneficium, ius in re et quasi dominium etiam antequam possessio capiatur. *C. 17. de Praeb. et Dign. in 6.*

b) Tria de hac collatione quaerenda sunt 1°. a quo: 2°. quibus legibus: 3°. quo effectu fiat: nam quartum quod quaeri potest, scilicet quibus facienda sit, iam satis expositum est. *Cf. Canonistas, qui hac de re agunt l. III. in tit. 5. et ex parte in tit. 8. de Concess. Praeb. et tit. 12. Ut ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur. et l. I. in tit. 10. De supplenda negligentia Prael.*

c) Distinguendum porro est inter ius commune, ex quo conferenda beneficia, et ius particulare, quod etiam ad beneficia conferenda ex concessione Romani Pontificis per concordata seu peculiarem conventionem immutavit ius commune; adeoque admonemur penes eas nationes, in quibus Concordatum aliquod viget, illud primum in hac materia esse consulendum. Itaque iam in 2. p. inquiremus collatores ordinarios beneficiorum, quae electiva non sint aut patronata: acturi in 3. p. de iis, qui extraordinaria quadam potestate illa conferunt.

169. *Declaratur 2m.* Ordinarii Collatores sunt: 1°. in tota Ecclesia Romanus Pontifex; 2°. in propria vero dioecesi Episcopus sive solus, sive una cum Capitulo; 3°. Ipsum Capitulum; 4°. Praelati nullius et Cardinales.

A). **Romanus Pontifex in tota Ecclesia catholica quadruplici modo seu iure beneficia confert, iure praeventionis, concursus, devolutionis, et reservationis.**

I. *Iure praeventionis* beneficia nondum vacantia, cum scilicet vacaverint, conferri ab eo dicuntur. *C. 2. de Praeb. in 6. Reiff. heic 152. et Pichler* qui in *h. t. n. 42.* ait: « Iure praeventionis (Papa potest providere) dum nempe praeveniendo vacationem beneficii mandat illud conferri, aut ipse ex tunc iam confert certae personae postquam vacaverit, vel dum confert *gratiam*

expectativam ad beneficium vacaturum ». Hinc merito dicitur ius praeventionis, quia reapse praevenit auctoritatem ordinarii Collatoris: lex autem est *Trid. c. 19. Sess. 24. de R.* ut ab Ordinariis locorum solum vacantia beneficia conferantur.

Huc ergo referuntur *a*) gratiae, quae dicuntur *expectativae*, *b*) vel mandata de providendo, quae licet sublata fuerint de iure ordinario a Conc. Trid.; *c*) absolute tamen plenitudini potestatis Apostolicae adhuc competunt.

Dixi α) *gratias expectativas* i. e. quando Papa confert gratiam expectativam ad beneficium primo vacaturum iuxta *cit. c. 2. de Praeb. in 6*, ubi dicitur, quod Romanus Pontifex possit ius in ipsis (beneficiis) vacaturis tribuere: ad hoc ius pertinent diversae reservationes certorum beneficiorum, quae tum in iure communi, tum in *Reg. Cancellariae*, tum in constitutionibus Apostolicis continentur.

β) *Vel mandatum de providendo.* Heic mandatum Apostolicum est omne rescriptum, quo Summus Pontifex iubet ecclesiasticum beneficium alicui conferri: additur *de Providendo* utpote vi cuius mandati Papa mandat cuipiam provideri de beneficio. Iamvero hoc varie fit; vel enim Pontifex actu confert beneficium cuipiam, et solum mandat alteri, ut suam collationem exequatur; vel non confert actu, sed alteri committit potestatem conferendi et dat mandatum conferendi, si id expedire iudicaverit et supplicans videbitur dignus. Si 1^m^. tunc mandatum continet gratiam factam, nec expirat morte Papae. Si 2^m^. tunc mandatum continet gratiam faciendam, qualis expirat morte concedentis. Quod si beneficium ecclesiasticum, super quo Papa dedit cuipiam mandatum de providendo, necdum vacat, sed primum in posterum est vacaturum: tunc istud censetur continere *gratiam expectativam.*

γ) Quae mandata de providendo, licet sublata fuerint de iure ordinario a Tridentino scilicet, *Sess. 24. de Ref. c. 19*, absolute tamen de plenitudine potestatis adhuc competunt Romano Pontifici. Totum enim robur Conc. Trid. est *a Romano Pontifice*, qui sibi manus, ut aiunt, ligare noluit: hinc ipsum *Concilium Tridentinum, Sess. 25. de Ref. c. 21*, declarat: « Postremo S. Synodus omnia et singula sub quibuscumque clausulis et verbis, quae de morum reformatione atque ecclesiastica disciplina... statuta

sunt, declarat ita decreta fuisse, ut in his salva semper auctoritas Sedis Apostolicae et sit et esse intelligatur ». Iamvero a nullo ligari potest potestas quaecumque ligandi et solvendi, neque ab ipso Romano Pontifice. Ergo. Atque adeo eiusmodi ius praeventionis, ad quod referuntur gratiae expectativae, vel mandata de providendo, dicitur esse speciale unius Romani Pontificis; quia ipsius dumtaxat est plenitudo Apostolicae potestatis. Iure tandem praeventionis utitur Romanus Pontifex dum concedit alicui *coadiutoriam cum futura successione* in aliquo peculiari beneficio.

II. *Iure concursus* confert, cum vi Primatus confert beneficia, quae regulariter ab aliis conferri deberent, cum quibus proinde veluti *concurrit*, ita ut qui prior fuerit in conferendo, eo in casu praevaleat; et si dubium sit, atque insuper neuter ex nominatis, possessionem cesserit (nam melior est conditio possidentis), pro dignitatis praerogativa praevaleat Romanus Pontifex. *C. 31. de Praeb. in 6.* De hoc concursu *cf. Riganti in Reg. XVII. Cancell.*, ubi monet in collatione Ordinarii abesse debere suspicionem antidatae, adeoque authentice formam eius litteris scriptis esse debere, aut saltem concurrere eius circumstantias.

III. *Iure devolutionis* tum confert, cum Episcopus, ei immediate subiectus, collationem intra statutum a iure tempus non, vel beneficium indigno, contulit. *Reiff. de Praeb. n. 159. et 166; Ferraris v. Benef. a. VIII. et seq.; Pichler...* Scilicet inferiores Collatores necesse habent conferre beneficia intra sex menses *c. 2. de Concess. Praeb.*, pro quibuscumque beneficiis praeter maiora; nam pro maioribus concessum est trimestre. Si quod beneficium in manibus Collatorum renunciatum fuerit, conferri debet infra mensem: sin autem intra hoc tempus collatio facta non sit, pro ea vice collatio ad superiorem immediatum devolvitur. *C. 41. de El.* Sed haec nil aliud est, nisi Praelatorum negligentiam supplere: ideoque tempus non currit ignoranti, *C. 3. de Suppl. negl. Prael.*, vel impedito, *C. 5. de Concess. Praeb.*, quamvis sua culpa, e. g. in exilium pulso, suspenso. *Cit. C. 5. ibique Fagn. n. 33.*

Devolutio regulariter post id temporis fit ad superiorem immediatum, e. g. a capitulo ad Episcopum, ab Episcopo ad

Metropolitanum, ab hoc ad Romanum Pontificem. Dixi *regulariter:* nam ad Romanum Pontificem immediate devolvuntur Ecclesiae exemptae, parochiae, et beneficia resignata in manibus Ordinarii. Quae omnia in beneficiis liberae collationis obtinent: quia in patronatis nullum tempus definitum, solum in beneficiis parochialibus praesentatus a patrono ecclesiastico infra duos menses instituendus est; secus beneficium reservatur: attamen patrono datur optio pro institutione obtinenda vel Ordinarium viciniorem, vel Metropolitam, vel Sanctam Sedem adire. *Riganti ad Reg. 1. § X. 39.*

IV. *De Iure reservationis* superest dicendum, *Rigant. in Reg. Cancell.* Reservatio « *nihil aliud est nisi ius speciale, quo Romanus Pontifex collationem aliquorum beneficiorum, quae regulariter ab aliis conferri debuissent, sibi privative vindicavit* » sive ad vinculum unitatis fovendum atque retinendum; sive ut habeat, unde benemerentes remuneretur; sive ad aliquos reprimendos abusus. Alii vero brevius definiunt « *Beneficii vacantis ad Romanum Pontificem avocatio* », ubi beneficia proprie et stricte sumi debent, cum reservatio res sit odiosa; *vacantis,* quia facta post illud collatum, etsi nondum possessum, etiam ante bullas expeditas (cum hae ad probationem pertineant), invalida est. Ad quinque autem classes revocari possunt eiusmodi reservationes, i. e.:

a) *Ratione personae* reservantur beneficia 1°. venientium aut recedentium a Curia, si intra 4. milliaria italica, *Pichler. de Praeb. 62,* decedant, *cf. de Praeb. in 6. et Extr. C. 13;* ita tamen, ut elapso mense, ius conferendi saltem cumulative redeat ad ordinarios collatores, *Pichler l. c.,* et exceptis beneficiis parochialibus. *C. 35. de Praeb. in 6.* 2°. Curialium decedentium in Curia vel intra 40 milliaria italica ab Urbe, vel in actu translationis Curiae, *C. 34. de Praeb. in 6,* itemque familiarium non modo Romani Pontificis, sed etiam R. E. Cardinalium, etiamsi a familiaritate recesserint, dummodo familiares continui et commensales fuerint, *Reg. 4. et 7. et 32. Cancel.,* (ita tamen ut datum sit Cardinalibus ius praestandi consensum). 3°. Collectorum et subcollectorum, *Reg. 5. Cancel.,* queis scilicet non nudum exigendi ministerium sed et iurisdictio mandata est. *Leur. II. 448.* 4°. Episcoporum, quorum beneficia vacent vel ob ipsam Episcopatus assequutionem, vel ob translationem, vel ob depo-

sitionem. *Extr. 13. de Praeb.* 5°. Cardinalium. *d. Extrav. 13.* 6°. Conclavistarum. *Urban. VIII. Const. Accepto 16 Sept. 1626. Cf. Rota p. 17. Dec. 302. Rec.* 7°. Eorumque, qui provisi sunt ab Apostolica Sede de beneficiis ecclesiasticis, quoad beneficia inferiora, quae ob incompatibilitatem cum illis vacare debent, si ea intra tempus vacationis resignaverint. *Reg. 3. Canc. ibique Rigant.*

b) *Ratione beneficii* reservantur 1°. Ecclesiae Cathedrales. *Reg. 2. Cancell.* 2°. Monasteria consistorialia, quae 200 florenos valore excedant. *Reg. 2. Cancell.* 3°. Maiores Cathedralium dignitates, et primae Collegiatarum, quae 100 florenos valore excedunt. *Reg. 4. Cancellariae.* 4°. Prioratus et aliae dignitates conventuales, quae in Commendam dantur. *d. Reg. 4.* 5°. Beneficia trium Basilicarum Urbis, exceptis inferioribus, quorum collatio divisa est inter Cardinales Archipresbyteros et Capitula per turnum. *Reg. 8. Cancel. ibiq. Rigan. Cf. Platum de Card. dignit.*

c) *Ratione temporis* reservantur 1°. Beneficia, quae vacant (incipiendo a ianuario) in mensibus alternatim sumptis, si collator sit Episcopus et in dioecesi resideat, binis autem ex tribus quibusve quoad ceteros collatores, *Reg. Cancell. 9,* quae tamen reservatio cessat per id tempus, quo Sedes Apostolica vacat, *Devot. Inst. can. l. 1. tit. V.* § *40,* neque locum habet adversus collatores ordinarios, qui sint Cardinales. *Ferrar. v. Benefic. a. 3. n. 38.* 2°. Beneficia, quorum collatio pertinet ad Cathedram Episcopalem vel ad alia beneficia, quae Sedi Apostolicae sunt reservata, si vacaverint eo tempore, quo Cathedra Episcopalis, aut praedicta beneficia vacua sunt; exceptis iis, in quibus Episcopus simultaneum cum Capitulo collationis ius habeat. *Reg. Cancell. 2. ibiq. Rigan.* 3°. Beneficia ad Cardinalium collationem spectantia, quae in eorumdem titulis aut episcopatibus suburbicariis sita sunt; si eo tempore vacaverint, quo illi a Curia utcumque sunt absentes. *Reg. 8. Cancell. ibiq. Rigan.*

d) *Ratione delicti vel culpae* beneficia vacantia 1°. ob prohibitam eorum multitudinem, *Extr. 4. de Praeb.;* 2.° ob crimen haereseos, *Pius IV. Const. Cum ex Apostolatus 27 Ian. 1567;* 3°. ob crimen simoniae confidentialis simpliciter, conventio-

nalis quoad offerentes pensiones beneficii obtinendi causa, *Paul. IV. Const. Inter ceteras 27. Nov. 1557;* 4°. ob crimen falsi quoad simulantes nomen ad examen subeundum ut alteri beneficium obtineat, *Paul. IV. l. c.;* 5°. ob crimen offensionis Iudicum, Causidicorum et litigantium in Curia Romana, ne in ea ius suum persequatur, *Alex. VI. Const. In eminenti 23 Aprilis 1502;* 6°. ob spretum culpabilem formae in Concilio Tridentino praescriptae in conferendis beneficiis; si collator sit ipse Episcopus, i. e. Ordinarius, e. g. si beneficium curatum minori annis 25, aut Regulari contulerit, quod est saeculare. *Reg. 1. Canc. ibiq. Rigant. § X; Pius V. Constit. In conferendis 18 Aug. 1567.* In exemplo allato intellige non solum parochias, sed et cetera, quae ad liberam Episcopi collationem pertinent, si contra vel praeter formam a Tridentino praescriptam collatae fuerint; 7°. ob omissam resignationis intra tempus a iure statutum publicationem, i. e. intra sex menses in locis, qui sunt citra montes, intra novem in iis, quae ultra. *Greg. XIII. Const. Humano 5 Ian. 1584.*

e) Ratione obsequii erga Apostolicam Sedem, beneficia reservantur 1°. quae coram Summo Pontifice resignantur. *Extrav. 13. de Praeb.* 2°. Affecta, i. e. ea, in quibus Romanus Pontifex auctoritatem suam interposuit. *Cf. Ferrar. v. Beneficium a. 8. num. 6. et seq., 16. seq.* Haec porro affectio, quamvis tacitam reservationem praestet; tamen in eo maxime a reservatione differt quod, α) affectio inducit reservationem pro ea tantum vice, qua Pontifex Romanus sese beneficio immiscuit, β) et est maioris efficaciae, respicit actum realem seu factum, quo Papa ostendit se velle providere: hinc affectio valet etiam contra ignorantes: e contra respicit actum verbalem, i. e. expressum voce *reservamus,* impedit collationem ab inferiore in perpetuum, et minoris efficaciae est, nec valet per se contra ignorantes, nisi forte decreto irritante munita sit. *Cf. Ferraris l. c. 13. seqq.*

Sed ut beneficium dicatur et maneat affectum, necesse est ut Romanus Pontifex super eo manum revera apposuerit; quod ita censetur, si *facto aliquo manum apposuerit, id collaturus, sciens et volens.* 1°. *Facto aliquo, Gonzalez Regula VIII. Cancell., Glos. 52. n. 4; Rigan. in Rubr. § 1. 75;* e. g. Si papa mandaverit

privari aliquem beneficio; si dederit decretum Papa alicui ad resignandum in mensibus eius; si beneficium in commendam vel administrandum dedit. *De Luca de Benef. disc. IV. 9; Reiff. l. 3. tit. 5. n. 416.* Si electoribus vetuerit ad electionem procedere. *Ex C. 45. de Elect. in 6.* Si beneficiato dederit coadiutorem cum futura successione. *Rigan. l. c. n. 87.* II°. *Manum apposuerit* id collaturus, *Lottar. q. 26. 30, Rigan. in Reg. 1. § VII. n. 119:* hinc affectio non est, si pensionem tantum ex beneficio decerpsit, *Reiff. l. c. 422;* si promoto ad Episcopatum sinit retinere canonicatum, vel alteri sinit retinere beneficium incompatibile, quod proin si vacat eo mortuo, per obitum vacare intelligitur. *Rigan. l. c. 120.* III°. Apposuerit manum *sciens et volens,* atque ideo, si erravit circa beneficii conditionem, e. g. putans illud reservatum, aut vacuum aut non manuale; vel circa causam motivam erravit, e. g. si dederit Coadiutorem cum futura successione, quia Coadiutum infirmum credidit, affectio cessat. Appositio manuum et affectio facta esse intelligitur ex sola signatura supplicationis, etsi nondum datata fuerit. *Cf. d' Annib. summ. Th. mor. v. III. § 36.*

Quod vero attinet ad regulas generales circa Reservationem, quatuor hasce animadvertere operae pretium est.

I^am^. Beneficia Iurispatronatus laicalis reservationi minime subsunt, exceptis reservationibus, quibus etiam in casibus expressa iurispatronatus derogatio addi solet, *Rigant. ad Reg. 42. Cancell. n. 137. seq., 289. seq.;* scilicet 1. ob crimen, e. g. haereseos, *cf. Rigant. l. c.;* 2. ob mortem beneficiarii in Curia, his tamen sub conditionibus: α) quod res sit de morte naturali non civili; β) agatur de iurepatronatus activo; γ) non agatur de iurepatronatus regio licet activo; δ) patronus laicus collationem summi Pontificis non praevenerit; 3. ob assecutionem alterius beneficii incompatibilis a Romano Pontifice collati, ita tamen, ut tantum institutio eo in casu Sedi Apostolicae reservetur, salva quoad patronum praesentatione. *Cf. Rigant. d. Reg. 42. 139. seq.*

II^am^. Excluditur item reservatio, si beneficii fundator eamdem sive expresse, sive tacite excluserit, dummodo illud de bonis propriis fundaverit. *Rigant. Reg. 3. Cancell. § 2. n. 162.*

III^am^. Contra, vis reservationi accrescit per decretum irritans

eidem adnexum, ita ut per illud etiam ignorantes reservatione ligentur, atque insuper vitietur titulus et possessio beneficii, si forte ab ordinario Collatore conferatur, adeoque omnis impediatur praescriptio. *Pichler ad tit. de Praeb. n. 56; Rigan. ad Reg. 4. Cancell. § 6. n. 52. seq.* Animadvertendum autem est, omnibus regulis Cancellariae ab Alexandro VII. adnecti coeptum fuisse decretum irritans. *Rig. Prooem. 36.*

[V^am^. Quoad Regulas Cancellariae, licet illae cum ipso Summo Pontifice expirent, donec per successoris auctoritatem reviviscant, tamen ex reservationibus ab iis inductis, eae tantum, sede vacante, cessant, quae ratione mensium *per Reg. 9.* institutae sunt, dummodo collatio ab Ordinario expediatur, Sede Apostolica adhuc vacua, regulisque a successore nondum confirmatis. *Devoti Inst. can. lib. 1. tit. 5. § 30; Rigan. Prooem. 75.*

B) **Post Summum Pontificem ordinarius beneficiorum collator est Episcopus** in sua scilicet dioecesi, ita ut, si alius non probet beneficii collationem sibi competere, ipse eam iure sibi vindicet. *Can. 7. ca. 16. q. 7; Reiff. tit. de Praeb. 175.* Dixi *Ordinarium,* quia extraordinarius est Metropolitanus iure devolutionis, consuetudine, praescriptione. *Reg. de trienn. vel ann.*

Ab hac regula generali excipiuntur 1. beneficia electiva 2. danda per concursum; 3. beneficia iurispatronatus; 4. canonicatus ac dignitates Ecclesiae Cathedralis: de quibus iure communi statutum est, ut ab Episcopo simul et a Capitulo (quod unam tantum vocem constituit) conferantur. *Fagn. in cap. Ecclesia..... de Elect. ibiq. DD.* Cum autem Vicarius generalis et, sede vacante, Capitulum iurisdictionem episcopalem exerceant, hinc animadvertere, ne quid erretur, necessarium est: *a*) Quoad Capitulum, aut Vicarium Capitularem ea tantum beneficia ab eodem, sede vacua, vel inhabili facto Episcopo, conferri, quae coniunctim cum Episcopo conferre deberet. *C. 2. Ne sede vacante ibiq. Fagn.* Praesentatos autem a Patronis recte instituit et electiones recte confirmat. Quoad paroecias autem vacantes, vicarios temporaneos non parochos constituit. *Fagnan. ibid. b*) Quoad Vicarium generalem, utcumque generale mandatum ad omnia negotia habeat, conferre tamen beneficia sine spe-

ciali commissione non potest. *C. ult. de Off. Vicarii in 6; Reiff. de Praeb. n. 197.*

C) Tandem uti **ordinarii collatores,** 1) potest *Capitulum* sive ex privilegio sive ex consuetudine conferre collegialiter, scilicet ex maiori suffragiorum Capitularium parte, aut per turnum singuli, vel aliquis ob titulum seu eius singulare privilegium adnexum suo canonicatui dumtaxat. 2) Praelati *nullius,* qui cum episcopali iurisdictione in suum territorium gaudeant, conferunt iure suo beneficia liberae collationis, modo non sint curata. *Bened. XIV. de Synod. dioeces. l. 2. c. 11. 5-6.* 3) Ad Cardinales quod spectat, quae valeant ii suis in titulis beneficia conferre, videbimus infra, ubi *de iuribus Card. S. R. E.*

170. *Declaratur 3m.* Dicendum superest **de Collatoribus extraordinariis,** quorum duplex species: I^{a}. *Collatores substituti* in casu, quo Collator ordinarius beneficium intra tempus legitimum ex negligentia non contulerit. *Fagn. C. Nullum de Praeb.* Hi autem sunt *a*) in genere superior immediatus, *Fagn. l. c.; b*) in specie Capitulum quoad beneficia ab Episcopo conferenda etc.

II^{a}. species: Legati Summi Pontificis, hoc tamen discrimine: 1°. Legati a latere, qui sunt Cardinales, intra terminos legationis suae, *a*) concurrunt in conferendis beneficiis cum Ordinariis ita, ut inter eos praeventioni locus sit, *Rigan. Reg. 9. Cancel. § 4. n. 91; Ferraris v. Legatus n. 28; b*) concurrunt cum patronis in iurepatronatus mere ecclesiastico, *Fag. Cum propter de Iurep. n. 31; Ferraris v. Benef. a. 4. n. 31; Reiff. n. 62. de Iurep. pro certa persona; Fagn. c. Dilect. de Praeb.,* duplici tamen sub conditione; quarum altera est, ut respectu eiusdem Ecclesiae vel Collatoris non plus uno reservent, altera ut si expirante legatione reservatio adhuc pendeat, ea quoque expiret. *Ferr. l. c. 13.* Quae tamen omnia intelligenda sunt salvis limitationibus a S. Sede factis, quae quidem in legationibus praesertim ultra montes fieri solent. 2°. Legati nati et nuncii apostolici, etiamsi nominati sint cum potestate legati a latere, quoad beneficiorum collationem, ea tantum iura habent, quae in mandato Sedis Apostolicae descripta sunt. *Rigan. in Reg. 9. Cancell. § 4. n. 32.*

Summarium. — Leges in Collatione ipsa servandae communes sunt, ut *a*) **ea fiat legitimo tempore et modo,** *b*) **ita ut acceptanti ius in re statim acquiratur.**

171. *Declaratur 1^m^.* Quod pertinet ad leges in collatione servandas, eae sunt vel particulares; cuiusmodi sunt, quas vel beneficii fundator, vel legitima consuetudo induxit: vel communes, quae a iure communi dimanant, quaeque exigunt 1. ut collatio fiat **legitimo tempore,** i. e. *a*) post beneficii legitimam vacationem, *C. 1. et 2. de Concess. Praeb. ibique Fagn. 1-18;* cum unus Romanus Pontifex possit ad beneficia vacatura ius distribuere, *C. 2. de Praeb. in 6. ibique Fagn. 7. 15. 45; b*) intra semestre a praesumpta, *Girald. P. 1. sect. 76. ibique Rota,* notitia vacationis, *C. 3. de Suppl. neglig. Prael.; C. 2. de Concess. Praeb.; Reiff. ad tit. de Praeb. n. 131;* exceptis episcopatibus et perpetuis Ecclesiarum Regularium Praelaturis, quibus trimestre est assignatum. *C. 41. de Elect. ibique Laym.*

2. Ut collatio **fiat legitimo modo,** i. e. *a*) sine diminutione, nulla videlicet pensione etc. adiecta, nisi Romani Pontificis auctoritas accedat, *cf. tot. tit. Ut ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur...; b*) sine conditione, aut pacto, scilicet actu absoluto, *C. 4. 6. et ult. de Pactis,* salva Romani Pontificis potestate. *Fagn. C. 49. Cum in magistrum n. 28. de Elect.* Recensetur enim collatio inter actus legitimos; *arg. c. 2. In elect. de Elect. in 6:* « In electionibus et postulationibus ac scrutiniis, ex quibus ius oritur eligendi, vota conditionalia alternativa, vel incerta penitus reprobamus », ubi iuxta *Gloss. et comm. DD.,* quamvis expressa non sit, intelligitur recensita inter actus legitimos, qui secundum legis praescriptum fieri debent absolute et simpliciter iuxta *Reg. 50. Iuris in 6: Actus legitimi conditionem non recipiunt neque diem;* ubi iuxta Reiffenstuel, heic actus legitimus dupliciter sumi potest, prout significat actum legi conformem, et speciatim prout significat actum, cuius valor et effectus in futurum contingentem eventum, in ipsa eius natura vel dispositione iuris, suspendi nequit; sed statim ac fit, subsistere debet. Eius etiam generis sunt omnes illi actus, pro quibus valide faciendis praescripta est certa verborum forma,

quae sensum penitus habeat absolutum et ab omni conditione depuratum. Patet hanc regulam sumendam esse altero sensu; *c*) per scripturam litteris patentibus expeditis, h. e. quamvis ad rei substantiam non pertineat scriptura, et sine hac valeat collatio, sicut valet etsi fiat sine testibus, clam, et secreto, tamen ad faciendam fidem, si dubium de ipsa oriatur, atque in praxi non solet ad possessionem beneficii in vim factae collationis admitti quispiam, nisi literas collationis, quas Patentes vocant, in forma expeditas prius exhibeat.

172. *Declaratur 2^m^.* ita ut **acceptanti ius in re statim acquiratur** collatione, scilicet si is cui collatum est, beneficium acceptavit, collatio eidem tribuit ius in re et quasi dominium collati sibi beneficii; etiam ante secutam possessionis apprehensionem, *Cap. Si tibi absenti 17. de Praeb. in 6. et C. fin. de Concess. Praeb. eod.,* prout ius in re acquiritur praesentato per institutionem, electo per confirmationem, postulato per postulationis admissionem. Hinc poterit is, cui collatum est beneficium ab eo, qui forte violenter illud detineat sibi vindicare, et pro eius iuribus agere statim a collatione. *Cf. Wiestner de Praeb. n. 37.* Dixi *acceptanti:* quia absenti, e. g. ignoranti ac proin nondum acceptanti non ius in re, sed ius ad rem acquiratur, ita ut id ante istius acceptationem vel recusationem alteri conferri ab Episcopo vel alio Collatore non possit, *C. Si ibi absenti cit.,* ne sub conditione quidem, e. g. si a priore collatore non acceptetur. *Gloss. in c. cit. v. Personam.*

IV. De Institutione et Iurepatronatus.

Summarium. — **Institutionis** 1) **stricte sumptae statuta definitione, atque** 2) **exhibitis notione, variisque speciebus,** 3) **nec non quinam capaces sint iurispatronatus;** 4) **explicantur originarii modi tum ordinarii, tum extraordinarii, quibus acquiritur Iuspatronatus;** 5) **porro modi, quibus hoc iam constitutum transfertur in alios varii sunt, prout scilicet ipsum sit vel reale, vel haereditarium, vel familiare, vel mixtum.**

173. *Declaratur 1^m^.* scilicet: **Quid sit institutio et quotuplex.** Ecclesiastica beneficia, iisque adnexa iurisdictio acquiri

possunt ea quoque ratione, quia collator conferre debet beneficium ei, quem determinata aliqua persona ex iure praesentaverit: hinc collatio haec dicitur necessaria et nomen sibi proprium habet *institutionis;* ius autem illud praesentandi audit *iuspatronatus.* Institutio lato sensu accepta quemlibet modum comprehendit acquirendi legitime beneficium ecclesiasticum, *C. 1. de Reg. Iur. in 6;* eaque triplex distinguitur, *Glos. prior circa med. de Reg. I. in 6; collativa,* quae est verbalis, per quam titulus in beneficio confertur; *authorizabilis,* quae et approbatio dicitur, est ea, qua Clerico ad beneficium curatum promovendo, cura animarum post regulare examen conceditur, edito de eiusdem idoneitate authentico testimonio: *corporalis*, quae et *installatio* et *investitura* dicitur, qua obtenti beneficii possessio traditur, vario pro beneficiorum et locorum varietate, ritu; *Pichler ad tit. de Instit. ibique ceteri DD. et de singulis cf. Schmalz.* qui latius ea de re agit. – Strictiori autem et proprio sensu Institutio 4^m^. modum indicat acquirendae iurisdictionis ecclesiasticae, quae quidem institutio recte definitur *Concessio beneficii vacantis Iuripatronatus subiecti, auctoritate Ordinarii, vel eius, cui alias de iure competat, facta ad praesentationem vel nominationem patroni. Gloss. ad Rubr. tit. de Inst. in 6; Schmalz. in eod. n. 1. ibique ceteri DD.* Haec autem dicitur necessaria ideo, quia Ordinarius tenetur instituere praesentatum, quod si facere neget, aut plus aequo differat, licitum erit appellare, dummodo hae concurrant conditiones; quod scilicet 1) vacet beneficium; 2) quod illud sit patronatum; 3) quod praesentatus sit habilis; 4) quod praesentatio facta sit in tempore. Cum igitur institutio supponat Iuspatronatus, primum agendum est de iurepatronatus.

174. *Declaratur 2^m^.* **Notio et species Iurispatronatus.** *Iuspatronatus est ius seu potestas nominandi seu praesentandi Clericum idoneum ei, ad quem institutio pertinet, ut beneficium vacans, quod eiusmodi iuri subiectum est, eidem concedat.* Qua in re antequam procedatur, cum ius patronatus potestatem conferat praesentandi ad Ecclesiastica beneficia, ceu principium animadvertendum sedulo et maxime est, quodlibet iuspatronatus ex gratia Ecclesiae unice procedere, quippe quod ius spirituale est, quod nullo pretio comparari potest ita, ut si quando

in iustitia fundari ab aliquibus scriptoribus dictum reperiatur, id sub eo tantum respectu dictum intelligendum sit, quod eius concessio (in iis nempe casibus, quos modo aperiemus) redacta fuit in corpore iuris. *Fagn. in C. Quoniam de Iurep. n. 4.* Haec porro benigna Ecclesiae concessio est, veluti quaedam servitus beneficii iuxta Tridentinum.

Iurispatronatus prima **divisio** est in *activum,* quod est ius ipsum praesentandi, seu per quod fit, ne quis beneficium conferat, nisi ad praesentationem ipsius fundatoris, aut illius, cui nominare competat; et *passivum* quod est ius, quod quispiam forte habet, ut praesentetur, seu per quod certi de aliqua familia (si idonei sunt), exclusis extraneis, sunt praesentandi. Utrumque autem suas habet subdivisiones. Et ad activum quod spectat, distinguitur 1. *ratione tituli,* quo habetur et dividitur in *ecclesiasticum,* quod alicui competit titulo ecclesiastico, e. g. ratione Ecclesiae vel loci pii, cui praeest (hinc etiam laici habere possunt iuspatronatus ecclesiasticum. *Schmalz. tit. de Iurep. n. 7*), aut dignitatis seu beneficii ecclesiastici, quod habet; et in *laicale,* quod titulo laicali quispiam habet, e. g. iure haereditario etc.; *in mixtum,* quod titulo ecclesiastico simul et laicali debetur, e. g. si ius nominandi et ad archipresbyterum simul et ad haeredem fundatoris pertineat. *Cf. Schmalz. tit. de Iurep. n. 6. 8. 10. 15. 16. ibique DD.*

2. Laicale autem iterum subdivitur in *haereditarium,* quod simul cum haereditate ad haeredes transfertur; et in *familiare* seu gentilitium, quod ad eos devolvitur, qui sunt ex familia; in *mixtum,* quod etiam dicitur *ex pacto* et *providentia,* quod ad eos defertur, qui simul sunt et haeredes et ex familia. *Schmalz. l. c. n. 12.*

3. *Ratione subiecti,* cui inhaeret, distinguitur in *personale,* quod certis adscriptum est personis independenter a possessione cuiusvis rei vel haereditatis, quodque etiam principale dicitur; et in *reale,* quod alicui fundo vel haereditati inhaeret, et cum ipsa ad possessorem defertur, quodque accessorium etiam nuncupatur, quia adnectitur et accessorie adhaeret rei temporali sive huiusmodi rerum iuriumque universitati, v. g. castro, villae, praedio, domui, et cum tali re consequenter

in quemcumque sive ecclesiasticum sive saecularem possessorem, iurispatronatus capacem, transit.

175. *Declaratur 3^m^.* **Quinam incapaces vel capaces sint iurispatronatus.** I. *Incapaces* quolibet modo sive originario sive derivativo acquirendi iuspatronatus, sunt: α) infideles, haeretici, atque excommunicati; β) regulares singuli et ut physicae personae spectati, modo illud in professione sibi non reservaverint; γ) servi glebis addicti.

II. *Capaces vero acquirendi et possidendi* iuspatronatus habentur omnes generatim fideles cuiuscumque aetatis, sexus aut conditionis sint, legitimi vel illegitimi, Clerici aut laici, sive maiorum sive minorum censu reputentur, individua aut Collegia, sive, ut aiunt, moralia entia aut physica. At relate ad istos distinguendus est habitus, qui est in eiusmodi iuris possessione, ab actu, qui est in eiusdem usu.

Porro α) *habitu et actu* capaces sunt iurispatronatus Fideles omnes, qui communionem habent cum Ecclesia catholica licet laici vel foeminae, vel etiam pueri sint, dummodo septennio maiores sint, ita ut si quem ii nominaverint, alium vero tutor, ab iis nominatus praevaleat, etiamsi minus dignus, vel denique illegitimi sint et etiam spurii. *Schmalz. l. c. n. 72. tit. eod. etiam Pichler n. 20. et Reiff. n. 36. seq.* β) *Habitu tantum* pueri septennio minores, quorum vice et nomine iuspatronatus exercendum est a tutore. *Reiff. l. c. n. 38.* Sunt qui huc referunt excommunicatos, pluribus negantibus. *Cf. Pichler l. c. n. 20. et Schmalz. l. c. n. 69; Fagn. in C. Nobis 25. de Iurep. n. 12. seq.; Reiff. l. c. n. 44.*

176. *Declaratur 4^m^.* Scilicet **modi originarii acquirendi iuspatronatus.** Acquiritur autem iuspatronatus pluribus modis, licet una eiusdem sit origo unumque fundamentum, i. e. gratia et benigna Ecclesiae concessio: quo supposito fundamento plures sunt modi, quibus iuspatronatus acquiri concessum est: alii nimirum *originarii,* quibus illud primum comparatur, alii *derivativi,* quibus transfertur et propagatur in alios. De illis in hac parte, de his in parte 5^a^. *Originarii* bifariam distinguuntur *ordinarii et extraordinarii.*

Porro *de ordinariis* inquiritur 1. quinam sint, et 2. quae regulae eorumdem sint propriae.

Ad 1m. quinam sint: ordinarii tres numerantur, *Gloss. Can. 26. cau. 16. qu. 7: Patronum faciunt dos, aedificatio, fundus:* scilicet 1°. *Fundatio,* quae fit donando fundum seu solum, in quo construatur, non quidem animo donandi et benefaciendi simpliciter, sed eo fine, ut Ecclesia ibi legitime, i. e. interveniente Ordinarii auctoritate, aedificetur. *Schmalzgr. tit. de Iurepatr. n. 32. 34. 36.* Dixi *interveniente Ordinarii auctoritate,* quia absque superioris potestate, neque Ecclesia aedificari, neque servituti Patroni subiici potest. 2°. *Aedificatio,* quae fit vel novam erigendo, vel collapsam Ecclesiam restituendo, sumptu suo debitoque cum Ordinarii assensu. *Schmalzgr. l. c. n. 33; Reiffenst. l. cit. n. 7.* 3°. *Dotatio,* quae fit assignando Ecclesiae redditus annuos sufficientes, pro necessariis eiusdem usibus, congruaque ministrorum sustentatione, *Can. Filiis vel nepotibus 31. cau. 16. qu. 7,* vel eiusdem nondum sufficienter dotatae, dotem augendo, dummodo augmentum medietatem totius dotis excedat, *Rota coram Cerro Dec. 526. n 3. 4,* atque Ordinarii accedat consensus, *Cap. 25. de Iurepatr. v. Cum assensu Dioecesani; Schmalzgr. 33–37. et 57–61.*

Hinc patet solvendus casus, quo Ecclesia penitus diruta cum consensu Episcopi reaedificatur, aut post primam omnino amissam dotem de novo dotatur ab alio, tunc scilicet Iuspatronatus non recuperatur ab eo, qui id ante habuit ex sola dotatione vel constructione, quia per omnimodam destructionem, vel dotis interitum iuspatronatus amissum est; sed hoc illi soli competit, qui cum Episcopi consensu etiam ex iisdem lapidibus reaedificavit novaque dote instruxit, quia perinde est ac ipsam ab initio construere et dotare; modo, ut dixi, fiat de licentia Ordinarii, ipsa fuerit omnino diruta, aut dote penitus carens, atque insuper ex aequitate moneatur patronus antiquus, qui eam vel instaurare vel iterum dotare nolens, iuri suo renuntiasse censetur.

Ad 2m. Regulae scilicet ad eiusmodi modos acquirendi iuspatronatus pertinentes, hae praecipuae sunt: Ia. Quamvis ex sola fundatione, vel constructione, per se acquiri possit iuspatronatus, cum quaelibet ex dictis sit *causa integralis* iurispatronatus *ex Trid. Sess. 25. c. 9. de Ref.,* ubi disiunctive dicitur fundatione vel dotatione illud acquiri; tamen nulla ex

his causis vim exserit suam, nisi Ecclesia perfecte iam constituta, i. e. iam fundata et constructa et dotata. *Schmalz. l. c. n. 50. 52.* II[a]. Si plures in quolibet ex tribus modis simul concurrant, i. e. vel in construenda, vel in fundanda, vel in dotanda Ecclesia, omnes patroni fiunt. *Schmalz. l. c. 56.* I-II[a]. Quoad Ecclesiam Collegiatam seu Conventualem, licet ceteri honores, de quibus postea dicendum est, patronorum proprii praedictis modis acquiri possint; ius tamen praesentandi ad praelaturam eiusdem acquiri nequit, nisi pontificio indulto accedente. *C. Nobis 25. de Iurep.; Schmalz. l. c. n. 44.*

Antequam procedamus ad extraordinarios modos, duo notamus adhuc: 1. Dictum est supra *cum assensu Ordinarii,* sed Ordinarius quis? R. Episcopus, aut, Sede vacante, Vicarius Capitularis, non autem Vicarius generalis, qui sine speciali mandato non potest imponere servitutem Ecclesiae. Renuente sine iusta causa Ordinario, adeundus est superior sive Metropolita sive Romanus Pontifex. *Schmalzgrueber.* 2. Fundantibus, aedificantibus (cum Ordinarii consensu) opus non est ut expresse iuspatronatus sibi reservent, modo actu contrario illud non remittant. Ratio est, quia fundantibus, construentibus et dotantibus Ecclesias iuspatronatus acquiritur ex dispositione iuris.

Extraordinarii modi, iidemque originarii iuspatronatus acquirendi, duo numerantur: I[us]. *Privilegium Sedis Apostolicae,* cuius plenitudine potestatis potest citra alium titulum iuspatronatus constitui. *Reiff. l. c. n. 12. aliique communiter.* Et aevo quidem medio solebat Romanus Pontifex frequenter Collegiis aut quibusdam viris singillatim intuitu meritorum eiusmodi concedere privilegia. Sed haec Concilium Tridentinum, *Sess. 25. c. 9. de Ref.,* iuribuspatronatus, quae principibus in Cathedrales atque minores Ecclesias, aut quae studiorum universitatibus competebant, exceptis, sustulit atque sapientissime statuit, quod: « Sicut legitima patronatuum iura tollere piasque fidelium voluntates in eorum institutione violare aequum non est, ita etiam ut hoc colore beneficia ecclesiastica in servitutem, quod a multis impudenter fit, redigantur, non est permittendum ».

II[us]. modus extraordinarius est *praescriptio,* qua scilicet non adversus alium patronum (qui modus esset transferendi, non

constituendi iuspatronatus), sed adversus Ecclesiam liberam seu nondum patronatam iuspatronatus alicui asseritur, debitis accedentibus conditionibus, i. e. 1ª. ut tempus decurrerit immemorabile, h. e. saltem 40. annorum quoad personas minime suspectas de usurpatione, *Ferraris Biblioth. can. v. Iuspatr. a. 1. n. 36;* in potentibus autem perpetuaque praeditis iurisdictione saltem 50. an., *Conc. Trid. l. c.; Reiff. l. c. n. 14;* 2ª. conditio est, ut *plures* i. e. saltem duae, ut ait Reiffenstuel *l. c. n. 13,* vel potius tres, ut ait Schmalzgrueber *l. c. n. 236,* factae fuerint praesentationes.

177. *Declaratur 5ᵐ.* **Iam de modis, quibus Iuspatronatus iam constitutum in alios transfertur,** quique **derivativi** appellantur, et sub uno nomine translationis recte continentur. Hi porro varii sunt pro varia iurispatronatus specie, prout scilicet sit vel *reale,* vel *haereditarium,* vel *familiare* aut *mixtum:* quo reducuntur omnes aliae species respectu translationis.

a) Et ad *reale* quod spectat, hoc iis modis in alios transfertur, quibus res ipsa, cui inhaeret; adeoque *donatione,* cum Ordinarii assensu, si donatarius sit laicus, ideo quia Ecclesiae valde interest, quis laicorum patronus evadat, *Fagn. l. c. t. 3. p. 530; legato, successione haereditaria, permutatione, emphyteusi, locatione,* nisi sit ad modicum tempus, *Fagn. l. c. p. 516. n. 13;* ita tamen, ut materia praedictorum contractuum sit res ipsa, cui iuspatronatus inhaeret, ipsum autem iuspatronatus veluti merum accessorium nullo pretio aestimatum una cum ea transferatur. *Schmalzgr. tit. de Iurepatr. n. 123. seq.* Unde sequitur, rem non posse citra Simoniae delictum, ob iuspatronatus adnexum, pluris vendi aut locari, ac si illo careret. *Schmalzgr. l. cit. n. 159.* Iuspatronatus transit cum haereditate vendita, etiamsi in ea nil aliud sit, quam Iuspatronatus. *Fagn. t. 3. p. 519. n. 52.*

b) *Haereditarium* successione haereditaria sub his legibus transfertur: Iª. *Successio haereditaria proprie talis esse debet.* Si quis enim successor *sit particularis* in re aliqua certa, is eatenus in iuspatronatus succedit, quatenus illud eidem rei particulariter inhaereat, quod quidem realis non haereditarii iurispatronatus proprium est. *Schmalz. l. c. n. 123. 126; Reiff. l. c. n. 18.* Dicitur *successor particularis,* prout contradistinguitur ab uni-

versali. Qui succedit in haereditatem testamento vel lege, i. e. *ab intestato* is est successor *universalis*. Qui autem succedit in rem aliquam, e. g. donatione, legato, emptione etc., is successor est particularis. Contra, si plures haeredis nomine vocati sint, licet in partibus inaequalibus, omnes in iuspatronatus succedunt, quia omnes haeredes vere sunt. *Schmalz. l. c. 141. et Reiff. l. c. 19.*

II[a]. *Haeredes plurium patronorum originalium, itemque haeredes haeredum unius patroni originalis succedunt in stirpes non autem in capita: imo et haeredes immediati patroni originalis, si in eius bonis, in stirpes et non in capita succedunt. Schmalz. l. c. 129; Reiff. l. c. 19. 20.* Dicuntur autem succedere in stirpes, qui pluribus suffragiis suis unam *vocem* constituunt, qua scilicet auctorem suum, cui successere, quasi superstes esset, repraesentant. Succedunt autem in capita, qui suffragio suo integram vocem constituunt. Hac locutione *in stirpes* etc. metaphora habetur desumpta ab arbore, et speciatim ab arbore genealogica, quoniam placuit genealogiam effingere sub figura arboris, quae ad eam rem opportunissima est; quandoquidem arbor uno oculi obtutu repraesentat multiplicem generationum seriem, quae ab uno trunco per varias ramorum divisiones et subdivisiones proficiscuntur. Itaque succedere in stirpes id significat, quod is, qui succedit, non suo nomine succedit, sed nomine eius, a quo natus est. Hinc sic alii rem exprimunt: qui *ex propria persona* primi sunt haeredes fundatoris vel soli Patroni a fundatore designati in iurepatronatus, *succedunt in capita,* et totidem efformant lineas, quot sunt haeredes; qui dein iis lineis comprehenduntur, et iure repraesentationis ad iuspatronatus veniunt, *succedunt in stirpes* et non in capita. E. g., si primi haeredes fundatoris sint duo fratres, quorum unus moriatur tribus relictis haeredibus, frater superstes integrum ut prius habet suffragium, et tres haeredes singillatim tertiam unius suffragii partem. *Clem. c. Plures de Iurep.*

III[a]. *In iis, qui succedunt in stirpes vox integre conficitur per maioritatem respectivam, si vox illa pertineat ad ipsos ut singulos, quod in dubio praesumendum est,* e. g. *si ius praesentandi spectet ad XII. ut ad singulos divisim ac seorsim,* et unus sex suffragia habuit, alter quatuor, tertius duo, tunc primus insti-

tuendus erit, quia sex sunt maior pars, non respectu totius numeri, scilicet *duodecim*, sed partium minorum scilicet *quatuor* et *duo*. Pirhing. *tit. de Iurep. n. 48: absolutam si pertineat ad eosdem ut universos et fere ritu Collegii* relate e. g. ad consilium municipale, *Pirh. l. c.*; scilicet tunc praesentatio fieri debet concorditer a maiori parte coniunctorum, sive Collegii totius, ita ut minoris partis suffragia non valeant: hinc e. g. si ad XII. spectet ius praesentandi cum requiratur, ut saltem septem consentiant in unum, nulli acquiritur ius praesentationis, si unus *sex*, alter *quatuor*, tertius *duo* pro se tulerit suffragia, quia non est praesentatio facta a maiore parte totius universitatis sive Collegii. *Abb. in C. Quoniam 13. h. t.; Cf. Schmal. l. c. n. 130; Reiff. l. c. 92.*

IV[a]. *Cum plures in idem Iuspatronatus succedunt indivisim et in solidum, possidetur ab omnibus, ita tamen, ut integrum iis sit eiusdem usum seu exercitium dividere ratione temporis facta*, e. g. *conventione ut alternis vicibus eodem utantur. Clem 2. de Iurep.; Reiff. n. 23. Cf. et Schmalz.* qui ait: « Si plures patrono haeredes succedunt, iuspatronatus inter se dividere non possunt, ita ut unus in una parte, alius in alia presbyterum collocet, sive nominent: sed quamdiu in communione haereditatis persistunt ad quemlibet illorum iuspatronatus transit in solidum: quod verum manet, licet non omnes succedant in portiones aequales, tamen voces aequales habent.... quia iuspatronatus est ius incorporale, consequenter simplex et indivibile quoad substantiam, sicut virtutes ». *l. c. 127. et seqq.* Quae lex est iurispatronatus realis, familiaris et mixti, quotiescumque plures sunt patroni.

c) *Familiare* tandem ac *mixtum*, qua ratione transferatur ad alios, 1°. *In genere* regula est, *gentilitium, seu familiare defertur ad successores cum iis legibus, quae in fundatione sunt constitutae.*

2°. *In specie autem si superstes adhuc sit familia*, cum familiare seu gentilitium dicatur ius, quod servatur illis, qui sunt de familia seu de agnatione fundatoris, quaeritur an omnes qui sunt de familia quovis gradu in hoc concurrant? *Resp.* Regula est I[a]. *Familiare transmittitur regulariter successione lineari de gradu ad gradum, ita ut pater non concurrat cum filiis, sed eos*

excludat, nisi tamen auctor iurispatronatus illud reservaverit familiae aut agnationi in globo nullo graduum discrimine. Piton. Contrac. Patr. alleg. 10. n. 9. seq. post alleg. 10. n. 20. et seq. seu Rota in Pisana Iurisp. 26 Ian. 1709. coram Priolo § Procedendum et seqq. II^a. *Quod si linearis successio ad duas lineas iurispatronatus devenerit, tunc ea fit in stirpes, ita ut nepotes concurrant cum patruo repraesentando patrem suum defunctum unamque vocem obtinendo. Piton. l. c. alleg. 66. n. 33. 37;* itemque si iam ab initio reservatio iurispatronatus facta fuerit favore plurium. *Piton. l. c. alleg. 76. n. 15.*

3°. Attamen, *cum nullus de familia supersit,* I^a. *si fundator expresse et taxative iis, qui de familia essent, aut eius masculis tantum reservaverit, extincta familia vel extinctis masculis, iuspatronatus non transit ad extraneos atque Ecclesia evadit libera;* II^a. *quod si non expresse iis, qui sunt de familia, reservaverit, extincta familia iuspatronatus transit ad haeredes, licet extraneos. Fagn. in C. Perlatum de Iurep. n. 15. seq.* Item si plures ab initio constituti fuerint, patroni alicuius linea deficiente, iuspatronatus in ea linea transit in haeredes extraneos et fit haereditarium, licet in aliorum lineis maneat gentilitium seu familiare. *Piton. l. c. alleg. 76. n. 16.* Contrarium autem tenendum si ita statuerit fundator, vel si unus ab initio constitutus fuerit patronus. *Pit. l. c. 22.*

De mixto denique, quod scilicet delatum est iis, qui simul sint et haeredes et ex familia; *generatim* idem valet, quod nuper *(b. reg. II^a. et seq.)* de haereditario dicebamus. In specie 1°. qualitatem haereditariam hoc iuspatronatus exigit tantum in potentia non autem in actu, i. e. respectu habito ad ius, quod quisquam haberet si ab intestato successio fieret, non autem ad positivam testatorum voluntatem, *Pit. l. c. alleg. 37. n. 13. 18. alleg. 100. n. 272;* 2°. pariter iisdem regulis utitur ac iuspatronatus familiare. *Piton. l. c. all. 76. n. 3. collato 11. et seq.; Rota apud eumd. Piton. post alleg. 10. n. 23.*

Summarium. — **Iura et officia patronorum** 1) **vulgari exhibentur versu: « Patrono debetur honos, onus, utilitasque »;** 2) **ad quod requiritur, ut sit ius certum, quod in controversia exorta generatim sicut cetera iura, probatur;** 3) **amittitur tandem triplici ex fonte, scilicet ex rei interitu, ex patroni facto, atque Romani Pontificis voluntate.**

178. *Declaratur 1^m.* Hac parte **iura et obligationes Patronorum** *exhibentur,* et haec praeter ius praesentandi et nominandi ad beneficium, sunt in duplici iurium classe, eorum scilicet quae honorifica (honos); et eorum, quae utilia audiunt (utilitas). Onus autem dicit Officia. 1°. *Honos* in eo est, ut honoratior locus reservetur ei, in Ecclesia, in processionibus.... etc.; sic pax in Missa ei danda post eos, qui in choro sunt, non cum osculo sed cum instrumento...; praeferri etiam debet quoad oblationem palmarum, candelarum, quoad thurificationem etc. *Schmalz. tit. de Iurep. n. 94; Reiff. ibid. n. 110.* Qua in re 1) Consuetudo maxime attendenda est; 2) cavendum ne eidem sedes tribuatur, vel intra chorum vel ante Dominum territorialem loci, itemque ne Baldacchinus eidem concedatur, etiamsi Dominus territorialis sit. Recensetur etiam ius sepulturae in Ecclesia patronata, ius apponendi stemma suum gentilitium etc.

2°. *Utilitas* in eo est, ut si patronus ad inopiam vergat ita ut pro se, uxore et filiis egeat alimentis, ali debeat iuxta eius conditionem ab Ecclesia, quatenus huic facultas sit. Tunc scilicet erunt praestanda alimenta, cum patronus neque ex bonis propriis, neque aliunde, e. g. ex licito et honesto officio, vel a propinquis (qui eum alere teneantur), pro statu suo familiam alere non possit. *Schmalz. l. c. n. 108, 109.* Ab Ecclesia patronata debet recipere alimenta etiam ante pensionarium, non autem concurrere potest cum beneficiario, praesertim parocho Ecclesiam possidente. *Schmalz. n. 105.*

3°. Onera alia communia sunt, alia particularia: *a*) communia sunt, praesertim ut inspiciat an fundationis leges serventur, Ecclesia rite custodiatur, bona recte administrentur, atque alia huiusmodi: et si quid contrarium reperiat, deferat Episcopo. Ecclesiae autem bona et iura tueri tamen ita debet,

α) ut nullam eo nomine proprie dictam iurisdictionem sibi usurpet, neve contra, suis expensis eiusmodi patrocinium exequi cogatur, *Schmalz. l. c. n. 99. seq.; Reiff. l. c. n. 117. seq.;* β) ut collabentem Ecclesiam in eiusdem reddituum defectu restaurare debeat, *Bened. XIII,* nisi velit se a iurepatronatus abdicare.

b) *Onera particularia* seu specialia resultant ex specialibus legibus iuxta diversas species iurispatronatus. Haec autem diversitas legum et officiorum praecipue eminet in ea divisione, quae est in Iuspatronatum ecclesiasticum, laicum et mixtum. Differunt enim haec inter se, I. quoad tempus praescriptum, II. quoad facultatem variandi seu mutandi consilium in Clerici praesentatione; III. quoad legem concursus in beneficio parochiali; IV. quoad poenam latam in eos, qui indignum e. g. scienter praesentaverit etc.

Ad I. quod attinet, scilicet inter ecclesiasticum, laicale et mixtum hoc interest: nimirum *Laicale aa*) quatuor tantum menses a notitia vacationis beneficii patrono permittit ad praesentandum. *C. un. de Iurep. in 6; Reiff. l. c. n. 54. aliique ceteri DD.; bb*) facultatem eidem defert variandi, seu praesentandi successive alium et quidem plus *una vice,* si variatio ex eo fiat, quod ii, qui praesentati sunt, reiecti tamquam indigni fuerunt: unica autem vice et quidem *cumulative,* h. e. non excludendo qui primum praesentatus est, sed eidem alium addendo, ut ex iis Episcopus deligat, si variatio ex arbitrio fiat, *Reiff. l. c. n. 17. seq.; cc*) eumdem a privatione pro ea vice iuris praesentandi eximit, si indignum scienter praesentaverit; *Cf. Bened. XIV. de Synod. dioec. l. 12. c. 7. n. 6. ibique Rota coram Coccino Dec. 125. et 1105; Giraldi Expos. Iur. Pont. P. I. sect. 579. § Unum; Reiff. l. c. n. 60.* contra ea, quae deinceps tradit *n. 86; dd*) quoad parochias a lege concursus ita eximit, ut Clericus a patrono laico praesentatus admitti non possit, nisi quatenus ab examinatoribus prosynodalibus approbatus fuerit. *Trid. Sess. 24. c. 18. de Ref.; Reiff. l. c. n. 65. aliique communiter.* Adverte quod si patroni laici in praesentando dissentiant, tunc concursus indicendus est inter ipsos praesentatos. *Bened. XIV. de Syn. l. 4. c. 8. seu ult. n. 9. vel 10.*

II. *Quoad patronatum ecclesiasticum: aa*) generatim circa illa

omnia, quae de cetero dicta sunt modo pro iurepatronatus laicali, ecclesiasticum contrariis utitur iuribus, *Reiff. l. c. n. 64, 65; bb*) speciatim vero Ecclesiastico iuripatronatus sex menses ad praesentandum tribuuntur. *C. 2. de Iurep. et C. un. de eod. in 6.*

III. *Mixtum regitur* iure magis favorabili sive pro ecclesiastico sive pro laicali iurepatronatus constitutum illud sit: unde quoad tempus praesentandi convenit cum ecclesiastico, quoad reliqua cum laicali. *Gloss. in C. un. de Iurep. in 6. v. Ecclesiasticus; Fagn. in C. Cum propter de Iurep. n. 26. seq.; Reiff. l. c. n. 52. aliique. N. B. Pitonius alleg. 3. n. 26. citato Lambertino* ait: « In iurepatronatus mixto ecclesiasticum patronum non posse variare ». Fortasse id dicendum est cum patroni dissentiunt ita, ut alium ecclesiasticus, alium laicus praesentet. In eodem etiam habetur contra eiusdem opinionem, *alleg. 18. n. 8. coll. 2. et alleg. 19. n. 1:* « Iuspatronatus mixtum in turno ecclesiastici cadere sub reservationibus »; confer tamen *alleg. 57. num. 3.*

IV. Ad illam tandem quod spectat divisionem iurispatronatus in *haereditarium, familiare et mixtum*, si quod moveatur dubium utrum « dicendum sit familiare an haereditarium », haereditarium utpote frequentius praesumendum est. *Schmalz. l. c. n. 15.*

179. *Declaratur 2m*. Ad quaestionem, **qui eiusmodi acquisitio probetur,** hisce respondemus regulis:

I. *In genere* iisdem modis, e. g. testibus... eam probari, quibus cetera iura probantur.

II. *In specie:* hinc Tridentinum, *Sess. 25. c. 9,* α) statuit iuspatronatus probandum vel ex authenticis documentis, vel β) ex multiplicatis et sine interruptione continuatis praesentationibus per *antiquissimum* temporis cursum, qui hominum memoriam excedat: hoc enim modo iuspatronatus etiam constituitur; ergo multo magis probatur; vel γ) ex libris visitationum, aut etiam ex literis pluribus (duabus saltem) Ordinarii, quibus eiusmodi iuspatronatus admittatur. Ordinarii enim naturaliter abhorrent ab admittendis iuribuspatronatus, cum per ea restringatur facultas conferendi. *Schmalz. l. c. n. 235.*

III. Et magis in specie respectu earum personarum, quae de usurpatione suspectae sint, ad docendum verum titulum

plenior et exactior probatio a Tridentino requiritur, praesertim *a*) ut decurrerit tempus immemorabile, ex quo factae et multiplicatae praesentationes, nec *b*) per 50 annos unquam interruptae, *c*) omnes ad effectum deductae: quae tria documentis authenticis sunt probanda.

IV. Ad plenam non adsurgit probationem 1) quae fit ex monumentis antiquis, qualia sunt e. g. insignia familiae Ecclesiae vel Cappellae affixa, in qua erectum est beneficium. *Schmalz. l. c. n. 237.* Quod profecto sufficere non videtur, nisi cum aliquo exercitio iuris praesentandi aut aliis adminiculis non coniungatur, quia haec insignia alias etiam ob causas admitti solent, e. g. ob impensas aliquas praestitas; 2) ex possessione seu quasi possessione ceterorum iurium, atque bonorum, quibus patroni frui solent, *Schmalz. l. c.*, e. g. locus honoratior in Ecclesia, in processione, Pax in missa, honor incensi seu thurificatio, oblatio palmarum, candelarum, subsidium praestitum..., quamvis gravissima sint indicia.

180. *Declaratur 3^m^.* **Iuspatronatus amittitur ex rei interitu, ex patroni facto ac voluntate Romani Pontificis.**

I. **Ex rei interitu** perit *a*) *unione Ecclesiae,* vel beneficii patronati cum alia Ecclesia, vel monasterio, si haec facta sit permittente patrono (secus unio invalida est, eaque cadente, res in integrum restituitur), et sine iurispatronatus reservatione, *Reiff. tit. de Iurep. n. 121; Schmalz. ibid. 261,* e. g. si patronata uniatur Electivae, vel cuilibet uniantur accessorie....; *b*) ruina Ecclesiae totali: secus iuspatronatus non perit, sed suspenditur donec Ecclesia reficiatur, aut congrua dote augeatur; excipe tamen patronatum ex fundatione, quod semper reviviscet, etiamsi alius construat Ecclesiam, *Schmalz. l. c. n. 61;* aut dotis interitu, *Reiff. et Schmalz. l. c.; c*) extincta familia, si pro ea tantum reservatum fuerit iuspatronatus. *Reiff. l. c. 125. IV.*

II. **Patroni factum,** unde amittitur iuspatronatus, ad triplicem classem distinctam revocatur, ad eius voluntatem, ad eius culpam, ad eius crimen.

α) *Voluntate amittitur,* si patronus 1°. sibi competenti iuri renuntiet, *C. un. de Iurep. in 6; Reiff. et Schmalz. ll. cc.* 2°. Si

alteri ius suum libere cedat, dummodo id non vetent leges fundationis, simulque accedat consensus Episcopi, si agatur de iurepatronatus personali, quod non Ecclesiae aut alteri compatrono, sed extraneo cuipiam concedatur, *Schmalz. l. c. 146-151,* et alii, penes quos etiam videatur, an Ecclesia patronata solemnitates requirat, an opus sit consensu Episcopi, quando, quomodo, qua ex causa, qui sint casus excepti. Episcopus autem inquirat, an id expediat Ecclesiae, eive noceat. Consensus Episcopi dari potest per modum ratihabitionis, unde etiam tacitus heic sufficere videtur.

β) *Culpa,* h. e. 1°. si in defectu reddituum Ecclesiae eam noluerit reparare et manutenere. *Trid. Sess. 21. c. 7. de Ref.* Si agatur de Ecclesia parochiali, restauratio in defectu reddituum Ecclesiae pertinet ad populum et possidentes, licet alibi degant, *Tiburt. 15 Dec. 1827;* et si populus nequit, tum denique ad patronum. *S. Congr. Conc. in Spirensi 30 Maii 1761. Cf. Bened. XIV. Const. Pius et misericors § Volumus autem; Giraldi Expos. Iur. pontif. P. 2. Sess. 59. n. IV. § Ad quod quidem et seq.* Ita tamen haec lex est intelligenda, ut eidem patrono cum tenetur, ante praefigendus sit terminus ad suam obligationem explendam. *S. C. C. in Ragusina 3 Aug. 1686,* ubi sex menses *apud Bened. XIV. Instit. 100. n. 14. et apud Giraldi l. c. § Quod vero..., videntur sufficere.* 2°. Si cessant elegitimo impedimento ius praesentandi exercere neglexerit per longum tempus, et ipso sciente ac patiente beneficium libera collatione, nullo praesentante, concessum est, ita tamen, ut bis saltem occasio iuspatronatus exercendi acciderit. *Schmalz. tit. de Iurep. n. 261; Reiff. ibidem 125.*

γ) *Crimine,* h. e. 1°. si in haeresim inciderit, *Reiff. l. c. et Schmalz. 262,* quia haeretici exuuntur omnibus privilegiis, actionibus... gratiis, quas obtinuerunt ab Ecclesia. 2°. Si Ecclesiae patronatae per se, aut per alios rectorem occiderit aut mutilaverit. *C. 12. de Poen. Reiff. et Schmalz. ll. cc.* 3°. Si eiusdem Ecclesiae bona, iura, aut fructus usurpaverit. *Trid. Sess. 22. c. 11. de Ref. et Sess. 25. c. 9; Reiff. et Schmalz. ll. cc.* 4°. Si iuspatronatus in alios transtulerit simoniace. *Trid. l. c. et Reiff. et Schmalz.*

III. **Voluntate Summi Pontificis** extinguitur iuspatro-

natus, si ita expresse decreverit. *Schmalz. l. c. n. 261.* Quod autem alii addunt id fieri licite non posse, si iusta causa non existat, Romani Pontificis iudicio id relinquendum est in singulis casibus, etsi in genere verum sit. Si pontifex beneficium sibi reservet addita clausula ad cuiuscumque praesentationem pertineat: nihilominus non censetur derogare patronatui laicali: illud enim *cuiuscumque* intelligendum est intra limites patronatus ecclesiastici, i. e. sive ad Episcopum sive ad alium Praelatum Episcopo inferiorem, sive ad universitatem seu collegium ecclesiasticum pertineat. *Schmalz. l. c. 150.*

Summarium. — Institutio stricte dicta, cum qua iuspatronatus ceu medium cum fine connectitur, regulariter et iure communi 1) a superiore 2) quantocius fieri debet favore eius, qui a Patrono, vel a maiori patronorum parte sit praesentatus, modo idoneus reperiatur, praevio ad beneficia curata examine.

181. *Declaratur 1^m. Iuspatronatus cum Institutione connectitur tamquam medium cum fine,* quandoquidem Clerico idoneo ad beneficium praesentato necessaria est ad illud obtinendum, itemque debita concessio superioris, quae est institutio. Dixi *necessaria,* quia nullum beneficium sine canonica institutione obtineri potest, *C. 1. de R. I. in 6,* praesertim cum iuspatronatus sit proprium etiam laicorum, qui facultatis concedendi beneficium per se incapaces sunt. Dixi *debita,* quia secus iuspatronatus aut nullum aut inutile ius esset. His autem positis, facile est intelligere 1. cui competat institutionem dare; 2. quae eiusdem tradendae leges sint. Primum in hac parte, cetera in seq.

Porro ad superiorem pertinet institutio (ut excludantur extraordinarii). Unde I. iure communi et regulariter ad Ordinarium institutio pertinet, quo nomine heic intelligitur 1°. Episcopus. *Reiff. t. de Inst. n. 22; Schmalz. ibid. n. 7.* 2°. Vicarius generalis etiam sine speciali mandato, quandoquidem institutio non est, ut collatio libera, actus omnino gratiosus ita, ut Episcopo censeri possit praesumptive reservatus, sed est actus iurisdictionis necessariae. *Reiff. l. c. 24; Schmalz. l. c. 9.* 3°. Sede

vacante Vicarius Capitularis. *Reiff. et Schmal. ll. cc.* 4°. Praelatus inferior quoad Ecclesiam plenissimo iure sibi subiectam. *Reiff. l. c. n. 32; Schmal. l. c. n. 10.* 5°. Immediatus superior Ordinarii, si Ordinarius ipse a Patrono nominatus fuerit. *Reiff. l. c. 87, Schmal. l. c. 13.* II. *Iure speciali* ex causa extraordinaria pertinere potest etiam ad alios, exclusis tamen laicis, ac foeminis, nisi forte ex privilegio Apost. *Reiff. l. c. n. 25. seq., Schmal. l. c. n. 10. seq.* Causae vero praedictae sunt: 1. Lex fundationis, *Rota dec. 553. coram Emerix per totum, Schmal. l. c.,* licet alii eiusmodi causam ex Trid., *Sess. 14. C. 12,* non admittant, *Reiff. l. c. 29;* 2. Consuetudo et praescriptio; 3. Privilegium Apostolicum. *Reiff. Schmal. ll. cc.*

182. *Declaratur 2^m^.* Huc rediguntur **leges in institutione servandae, ut ea quantocius fieri debeat** *favore eius, qui a Patrono vel a maiore Patronorum parte praesentatus est, dummodo sit idoneus, neque aliorum iura laedantur.*

Unde I. *Quoad personas instituendas: a)* inspiciendum est opportuno instituto examine, utrum idoneae sint; quod tamen in beneficiis, quae non sint parochialia potest praetermitti praesertim si earum idoneitas notoria sit, *Reiff. l. c. n. 13. 21; b)* si plures a Patronis fuerint praesentati, is est praeferendus, in quem Patronum pars relative maior consenserit; vel si pares sint in voce, is, qui est dignior. *Schmalz. l. c. n. 3.*

II. *Quoad modum:* praemittendum est edictum, ibique terminus competens praefigendus est, ut ii quorum interest, ea proponant, quae opponenda censuerint, *Schmal. l. c. n. 33. seq.;* quod tamen in iis locis, in quibus contraria sit consuetudo, omitti potest. *Schmal. l. c. n. 36.*

III. *Quoad tempus, quantocius fieri debet,* quia Ecclesiae interest, ne beneficia diu vacent. Quod si ab Ordinario ita institutio differatur ut tempus Patrono datum effluxerit, devolutioni nullus fiet locus. *Reiff. l. c. n. 73. ibique Rota.*

V. De Extraordinariis Modis acquirendae Iurisdictionis.

Summarium. — Extraordinarii quoque sunt modi acquirendae iurisdictionis ecclesiasticae; scilicet 1) Privilegium Apostolicae Sedis 2) et Praescriptio sive directe, sive indirecte.

183. *Declaratur.* Quatuor hucusque modi sunt ordinarii iurisdictionis acquirendae: habentur tamen et extraordinarii, qui sunt *Privilegium Apostolicae Sedis* et *Praescriptio. De Privilegio* res patet; nil heic addendum: de *Praescriptione* investigandum qua ratione, et quo effectu iurisdictio vel beneficium, cui illa inhaeret, acquiratur.

Porro directe acquiri potest iurisdictio praescriptione proprie dicta, eaque saltem 40 annorum, *C. Auditis 15. de Praescript. ibique DD. Rota Dec. 439. n. 128. coram Ansaldo,* nisi quod pro quadragenaria praescriptione immemorabilis proprie dicta necessaria est, quae privilegium de iure praesumat 1) ad praescribendam iurisdictionem in causis matrimoniaiibus et criminalibus, *Rot. Dec. 860. 872. coram Coccino ibique et S. C. C. collato etiam Trid. Sess. 24. de Ref. c. 20. § Sed haec;* 2) multo magis ad praescribendum totum aliquod territorium, plenamque in eo iurisdictionem contra Episcopum loci ita, ut tum primum vi praescriptionis in eo territorio efformetur Praelatura quaedam *Nullius. Ex decreto Congr. part. 14. Iun. 1721. apud Resol. S. C. C. t. 2. pag. 366. collata etiam Rota Decis. 439. n. 326. ad plures seqq. coram Ansaldo, et Fagn. C. Nullus de Parochis n. 22.* Indirecte autem acquiritur iurisdictio praescriptione improprie dicta cum scilicet possessio beneficii, cui illa inhaeret, lapsu temporis plus minusve confirmata est pro vario temporis termino, qui Cancellariae Regulis XXXV et XXXVI inductus est. Itaque.

I. Post unius anni pacificam beneficii possessionem etiam sine titulo ita ea firma habetur vi regulae XXXV, quae dicitur *de annali possessore,* ut possessor dimoveri ab alio non possit, nisi 1°. causam apertam et perspicuam simulque gradum et nomen possessoris significet; 2°. intra sex menses pos-

sessorem in iudicium vocet, et intra annum caussam absolvat, salvis legitimis impedimentis. *Rigant. in Reg. Cancell. XXXV.* Cadit tamen vi sua Regula 1°. cum agitur de praeiudicio patroni, qui beneficii vacationem ignorans non potuit toto illo anno ius praesentandi exercere; 2°. si constet de non iure possessoris, vel per rem iudicatam, vel per propriam confessionem. *Rigan. l. c. n. 79.* Dixi post possessionem unius anni..... Est enim in odium impetrantium, non favore annalis possessoris. Dixi per propriam confessionem, h. e. iudicialem, etiam tacitam, quae nempe resultet ex productione facta de titulo evidenter nullo.

II. Post possessionem trium annorum ita eadem forma habetur vi Reg. XXXVI, quae dicitur *de possesione triennali,* ut moveri de ea quaestio amplius non possit (ita ut tutum faciat possessorem etiam in foro Conscientiae), *Rigant. in d. Reg. n. 37,* triplici tamen sub conditione et triplici exceptione.

Conditiones sunt 1ª. ut adsit titulus coloratus, qui scilicet emanet ab eo, qui habet originariam facultatem conferendi beneficia, licet ab eiusdem exercitio ob aliquam causam prohibeatur, e. g. censuris irretitus; 2ª. ut possessio toto triennio eodemque continuo pacifica fuerit, i. e. libera a quibusvis molestiis circa titulum sive extraiudicialibus, quae vitiant tempus anteactum, sive iudicialibus, quae vitiant etiam tempus futurum, donec lis vel re iudicata vel sententia super disertione litis finiatur. Tertius non potest allegare molestias ab alio illatas, *Rigan. n. 83,* nisi molestiae sint per actus naturales, quae opponuntur civilibus, cuiusmodi sunt actus iudiciales, i. e. circa possessionem vel fructuum perceptionem, *Rigant. n. 86;* 3ª. ut beneficiarius sit capax beneficii, e. g. Regularis quoad beneficium saeculare absque dispensatione. *Rigant. l. c. n. 184. seqq.*

Exceptiones autem cadunt 1°. in reos simoniae realis; 2°. in intrusos in beneficium, quod erat reservatum ratione obitus beneficiarii, vel in ipsa curia, vel intra quadraginta milliaria italica; 3°. in eos, quorum titulum falsum et vitiatum evidenter et incontinenti constant, *Rigant. l. c.;* e. g. de eo, qui aliud habebat beneficium incompatibile. *S. C. C. apud Richter Sess. VII. c. 4. de R. n. 10.* Item de resignatario, qui iuxta Gregorianam Constitutionem resignationem non publicavit. *Rigan. l. c.*

III. Post decem (h. e. post tresdecim, tres nempe ad possidendum et decem ad colorandum titulum, *Rigan. l. c. n. 97*) annos possessio adeo firma habetur, ut etiam praesumptionem tituli inducat, quem proinde allegare beneficiarius non tenetur. *Rigant. l. c. n. 96.* Hinc e. g. etiam in possessore duorum beneficiorum incompatibilium praesumitur privilegium. *Rigant. n. 156.*

II. DE EXERCITIO ECCLESIASTICAE IURISDICTIONIS.

Summarium. — Post varia percepta discrimina 1) inter voluntariam et contentiosam, inter 2) ordinariam et delegatam potestatem iurisdictionis 3) breviter indicamus, quis nomine Ordinarii, aut Episcopi, aut dioecesani recensetur.

184. *Declaratur 1.* Quae hucusque diximus de iurisdictione ecclesiastica, ipsam potius spectant, prout est in habitu et in actu primo: restat ut *in genere* loquamur de exercitio ipsius iurisdictionis. Sed cum in communi res agatur (antequam singulos gradus tum potestatis, tum exercitii ipsius sequenti titulo decurramus), nihil aliud heic dicendum videtur, nisi de modo iurisdictionem exercendi, in volentes ne aut in contumaces? ex officione aut ex delegatione? – Iam supra distinximus inter voluntariam et contentiosam: illa, qua Praelatus inter volentes gratiosum praebet officium, v. c. indulgentias, mandata ad absolvendum concedendo, a censuris absolvendo; haec, quae exercetur in invitum, e. g. in ius vocando, puniendo. Circa voluntariam advertunt canonistae, eam sic appellari non ex parte magistratus, qui officium suum imploranti semper impertiri debet, sed ex parte illius, qui adit magistratum. Imo voluntariam latius sumunt plurimi; cum ad ipsam revocant potestatem condendi leges et statuta, exigendi subsidium charitativum, facultates ad audiendas confessiones sacerdotibus concessas retrahendi, corrigendi subditos extraiudicialiter etiam, ut plures addunt, per poenam suspensionis. Dixi *latius sumunt;* nam usu vocare solent Canonistae voluntariam *quae est extraiudicialis,* et contentiosam *quae est iudicialis:* cum quidquid ordinare tenetur Episcopus in forma iudicii, referendum est ad

iurisdictionem iudicialem seu contentiosam: secus extraiudicialis, quidquid statuendi ius habet extra dictam formam.

185. *Declaratur 2.* **Quid sit et quid valeat iurisdictio et iudex ordinarius aut delegatus** ex seqq. patet. Iudex ordinarius, si α) etymologia spectetur, derivatur ab ordine, ut habet *Reiff. in tit. 31. n. 2,* et sic in praesentiarum idem importat ac iurisdictionem illam seu potestatem, quam Princeps supremus (qualis est Papa in Ecclesia catholica) servato ordine ac iuxta proportionem officiorum impartitur inferioribus magistratibus seu Praelatis; β) si res voci subiecta attendatur, iudex ordinarius dicitur, qui potestatem iudicandi iure proprio habet: h. e. ex vi sui officii ac eo ipso, quod est talis, quae scilicet ex lege, canone, vel consuetudine competat tali officio et dignitati, e. g. Episcopus eiusque Vicarius generalis, Capitulum Cathedrale, eius Vicarius capitularis sede vacante.....

Iudex autem delegatus est, qui iurisdictionem exercet, quam non habet iure proprio, h. e. non ratione sui officii, aut dignitatis a lege, canone vel consuetudine sibi delatam, sed quam habet et exercet ex beneficio, iure et commissione alterius, cuius vice fungitur: quod idem dicendum est de eo, qui mandatum exercet. Antequam cetera discrimina persequamur, varii distinguantur delegati: 1. strictius delegatus, ut a mandatario iudice distinguitur, est qui in causis sibi specialiter commissis alienam exercet iurisdictionem. 2. Delegatus *ad universalitatem causarum* ille dicitur, cui vel omnes universim causae vel saltem certum genus causarum, e. g. matrimonialium, decimarum etc. sub uno collectivo nomine committuntur: sive dein illud sit restrictum quoad tempus; sive quoad locum, h. e. causas in tali loco occurrente sive non: *delegatus* ad causam particularem is, cui una vel altera tantum causa particularis hic et nunc emergens diiudicanda et terminanda committitur. Delegatus ad universalitatem causarum *a*) reputatur *quasi ordinarius; b*) potest subdelegare non quidem totam suam iurisdictionem, sed unam vel alteram causam; *c*) proprie ac in rigore iuris dicitur habere mandatam iurisdictionem: quae omnia non verificantur in delegato ad causam particularem.

Delegati distinguuntur etiam *alii ab homine, alii a iure.* Delegati ab homine sic dicuntur, quia iurisdictionem immediate habent ab homine, a iudice, et a magistratu ordinario, e. g. delegati Papae, Regum.... Delegati a iure sunt qui delegatam iurisdictionem habent ex commissione iuris communis, e. g. in *C. Ad abolendum § fin. de Haeret.* committitur facultas Episcopis procedendi tamquam a Sede Apostolica delegatis, cuius clausulae virtute talis potestas in exemptos non evadit ordinaria, quod ex iure communi deferatur: sed quia ipsis a iure communi defertur non sub ratione officii, sed per modum specialis commissionis. Cum autem Episcopi procedunt tamquam delegati Sedis Apostolicae, tunc ab ipsarum sententia ad Metropolitam appellari nequit: sed ad delegantem, i. e. ad Romanum Pontificem. Et quamvis, cum ipsis dicatur posse eos *etiam* tamquam delegatos Sedis Apostolicae procedere, pro arbitrio utrovis modo procedere valeant: tamen in dubio an usi fuerint sua ordinaria iurisdictione vel delegata; censentur usi delegata, quia magis honorifica delegata a Papa reputatur.

Alii sunt delegati *ratione dignitatis,* v. g. dum fit delegatio Episcopo vel Abbati certi loci, non expresso nomine; *ratione personae,* dum nomen proprium personae delegatae exprimitur. Alii sunt Delegati, quibus primum iurisdictio delegata, alii subdelegati dicuntur, qui a delegatis iterum delegantur.

Ex dictis percipiuntur varia discrimina. Nam I. Ordinarius exequitur iurisdictionem iure proprio, delegatus iure alieno.

II. Ordinarius 1) potest delegare suam iurisdictionem, 2) delegatus non item, 3) nisi fuerit delegatus Papae; 4) aut ad universitatem causarum, 5) modo electa non sit industria personae. Ratio assertionis principalis est, quia multitudo causarum ad Ordinarium devolutarum locorum distantia, et alia impedimenta rationabilia exigunt ad bonum commune subditorum, ut alteri deleget causas quasdam decidendas.

Ratio 2^di^. habetur ex *C. Cum causam § fin. de Appellat.,* ibi: « *Cum nonnisi delegatus a Principe causam alii valeat delegare* »; ergo inferiores delegati excluduntur. Praeterea si quilibet delegatus valeret subdelegare alteri, posset hic iterum eam delegare tertio, iste quarto, atque ita porro in infinitum: atqui

hoc infinitum reprobatur a Iure. *C. Cum in multis de Rescrip. in 6. cum concordantibus.*

Ratio 3^tii. patet ex *cit. C. Cum causam..,* et etiam quia id exigit eminentia supremae potestatis Principis, cuius personam ille repraesentat.

Ratio 4^rti. est, quia propter hanc universalitatem causarum remanet in essentia iurisdictionis universalis et ceu iudex ordinarie adiri potest, hinc videtur quasi ordinarius ac proin subdelegare potest, non quidem totam suam iurisdictionem. Nam iudex ordinarius, et qui ipsi aequiparatur, ideo potest suae iurisdictionis partem, non autem totam, delegare aut subdelegare, quia secus crearet alium iudicem ordinarium, quod absque supremi Principis vel legis auctoritate fieri nequit.

Ratio 5^nii. liquet etiam: si enim electa esset industria personae, neque ipse delegatus a Summo Principe posset subdelegare iuxta omnes Doctores. Electa censetur industria personae, ubi delegatio fiat ratione confidentiae, quam delegans de delegato concepit, ubi delegati proprium nomen exprimitur, ubi eius nomen et consilium requiritur, ubi grave negotium delegatur, quod hominis peritiam requirit etc. Rescriptorum clausulae hoc saepe commonstrant, ut si dicatur personaliter cognoscas, per teipsum vel solus cognoscas, arbitrio tuo determines etc. *C. ult. de Off. iud. deleg.*

III. Citatus a iudice ordinario si dubitatur de iure citandi, tenetur venire et exceptionem suam proponere. Nam, ut textus *L. Si quis ex aliena 5. ff. de Iudiciis,* Praetoris seu iudicis est existimare, an sua sit iurisdictio. Vocati autem est non contemnere auctoritatem Praetoris. Nam cum iudici ordinario, vi officii sui, ac iure proprio competat iurisdictio, semper praesumitur pro iurisdictione ordinaria, donec aliud probetur. E contra, citatus a Delegato comparere non tenetur donec sibi fides fiat de sua delegatione: delegatio enim est factum, et facta non praesumuntur, sed probantur.

IV. Hinc in praxi lex habet, ut iudex delegatus in suo officio exercendo servare debeat seqq.: α) expectare ut sibi praesententur delegationis literae, *C. 12. in fin. de Appell.;* quia iurisdictio non acquiritur nisi scienti et acceptanti; β) *se legitimare,* h. e. tenetur si litigantes petant authentice suam delegationem

probare vel ostensis litteris, si sit delegatus Principis, vel si iudicis inferioris, etiam per testes, *L. 1. C. de Mand. Princ.; C. 24. de Rescrip.;* γ) accurate servare formam litteris delegationis sibi praescriptam sub poena irritationis actuum, *C. 22. de Rescrip. et C. 32. et 37. de Off. Iud. deleg.;* nisi vel ex subiecta materia, stylo aut praxi certum sit formam non esse substantialem; vel quia ut accidentalem eam habet ius commune; vel nisi partes favori per formam praescriptam sibi quaesito non renuntient, e. g. designato *loco* vel *tempori* per rescriptum.

V. Iudex Ordinarius latam sententiam executioni demandare potest: e contra delegatus, nisi sit talis ad causarum universitatem, aut a Papa delegatus, non potest, nisi a delegante permittatur: quamvis in iure ecclesiastico concessum delegatis videatur. Ad rem *Reiff.:* « In primis certum est, quod delegatus Papae possit per seipsum exequi sententiam a se latam, nisi malit eam iudici ordinario demandare. Deinde etiam alii iudices delegati, ante sententiae prolationem non solum possunt partes citare, sed etiam contumaces punire. Nam quando iurisdictio data est, ea quoque concessa esse videntur, sine quibus iurisdictio explicari non potest.... Tandem satis probabiliter dici potest, quod spectato iure canonico etiam delegatus inferioris possit suam sententiam exequi, quando delegans habebat talem potestatem exequendi, sive hanc eidem expresse concesserit, sive non; quia iam accessorie videtur concedi » *in tit. de Off. et pot. Iud. deleg.*

VI. Ordinaria iurisdictio non extinguitur morte concedentis, modo excipias iurisdictionem Vicarii Generalis Episcopi; nam concessio iurisdictionis ordinariae est gratia ipsi, cui conceditur utpote qui in dignitate constituitur; e contra per delegatam iurisdictionem non fit favor: sed quoddam mandatum de faciенda iustitia: atqui mandatum expirat morte mandantis re integra.

VII. Iurisdictio ordinaria est favorabilis, delegata vero, utpote ordinariae derogans, censetur odiosa, unde est stricte interpretanda; hinc sequitur prorogari posse ordinariam non vero delegatam, etsi partes consentiant.

VIII. Quamvis iudex ordinarius ut suspectus recusari pos-

sit, tamen ad illum recusandum debent esse graviores, quam pro recusando delegato. Iurisdictio enim delegata cuipiam est accidentalis et superinducta: e contra ordinaria est naturalis, et vi proprii officii competens: atqui natura est fortior accidente.

IX. Appellatione magistratus venit ordinarius non delegatus.

186. *Declaratur 3.* **Quis veniat censu Ordinarii, Episcopi et Dioecesani.** I. *Nomine Ordinarii* venit 1°. Romanus Pontifex, quia vi primatus est universalis Ecclesiae Episcopus et Ordinarius Ordinariorum, ordinariam et immediatam, nec non supremam iurisdictionem in omnes sive fideles simplices, sive Episcopos tam seorsim, quam collective sumptos, independenter obtinens, *C. fin. de Foro comp.;* 2°. Cardinales etiam non Episcopi, *C. 11. de Mai. et obed.;* 3°. Legati Summi Pontificis; 4°. Aliquot Conservatores a Papa deputati ad protegenda nonnullorum iura; 5°. Inter Ordinarios, ait Reiffenstuel *tit. de Off. et pot. Iud. del. n. 9,* quoque secundum canones connumerantur Patriarchae, Primates, Archiepiscopi et Episcopi: ideoque Ordinariorum nomine simpliciter prolato; hi omnes pro sua quisque provincia vel dioecesi venit intelligendus.... 6°. Etiam Vicarius generalis Episcopi, et Capitulum, Sede vacante, veniunt nomine Ordinarii. 7°. Canonicus Theologalis, qui ex officio *iurisdictionem* habet ad praedicandum sive docendum. 8°. Canonicus poenitentialis, qui item ex officio iurisdictionem habet in foro poenitentiali et externo. 9°. Tandem Ordinarii appellatione venit quicumque praelatus inferior habens ex officio iurisdictionem aliquam ordinariam; attamen nos hic intelligimus iurisdictionem ordinariam in foro externo, hinc cum canonicus Theologus et poenitentiarius nonnisi merum officium habeant in foro externo, nobis non videntur nomine Ordinarii venire posse.

II. *Nomine Episcopi* veniunt 1°. Patriarchae, Primates et Archiepiscopi, in favorabilibus tamen, non vero in odiosis; e. g. si illegitimus dispensationem obtineat a Romano Pontifice ut possit fieri Episcopus, non censetur dispensatus ad Archiepiscopatum. 2°. Electus et confirmatus, licet nondum consecratus Episcopus in iis, quae pertinent ad iurisdictionem;

3°. Quandoque etiam Praelati inferiores habentes iurisdictionem quasi episcopalem. Dixi *quandoque,* quia e. g. cum adhibetur dictio taxativa *tantum* vel *nonnisi Episcopi etc.,* tunc non veniunt Abbates, licet exempti et iurisdictionem quasi episcopalem habentes. Ita accepit *Rota, Dec. 346. n. 8. penes Reiff. l. c.,* Tridentini verba *Sess. 25.* (quoad miracula) *nisi eodem recognoscente et approbante Episcopo;* et *Sess. 24. C. 20. de Ref.:* « Causae matrimoniales et criminales... Episcopi *tantum* examini et iurisdictioni relinquuntur ».

III. *Dioecesanus* proprie dicitur solus Episcopus; hoc enim vocabulo denotatur ille, qui praeest toti dioecesi, quod convenit soli Episcopo...; unde quando Decretalis aliqua loquitur de Dioecesano, ea non procedit de inferioribus praelatis, licet habeant in loco iurisdictionem ordinariam, alioquin simpliciter dixisset *Ordinarius,* non *Dioecesanus.*

Summarium. — Potestas delegata, 1) **quae generatim dimetienda est ex potestate delegantis et mandato concesso,** 2) **tum natura tum canone habilem exigit, cui** 3) **soli vel una cum pluribus committatur causa. Porro** 4) **a delegato ad delegantem generatim potest appellari.**

187. *Declaratur 1^m^.* In genere **dimetienda potestas ex potestate delegantis et mandato...,** quia delegatus gerit vices delegantis et potest delegatus ea omnia, sine quibus causam sibi commissam expedire nequit, etsi de iis nulla in delegationis mandato mentio facta fuerit, *C. 5. et 7. de Off. Iud. deleg. et Cap. 29. eodem,* quoad subdelegatum; qui enim finem committit, etiam media necessaria commisisse censetur. *In specie* delegatus potest 1°. citare partes, atque ad id contumaces compellere, *C. 4. § fin. et C. seq. de Off. et pot. iud. deleg.;* 2°. potest impedientes vel malitiose retardantes coercere, *C. 1. eod.,* etiam per censuras, si sit delegatus Papae: sed moderatio adhibenda est, *C. 11. et 28. eod.,* ubi se opponeret Episcopus; 3°. potest etiam spoliatum restituere in possessionem, *C. 10. eod.;* 4°. imo iuxta plures, praeter delegatum Papae, etiam delegatus inferior potest sententiam a se latam exequi, modo delegans executionem sibi expresse non reservaverit:

quia commissione absolute facta, omnia, quae ad expediendam causam, atque ad ultimum perducendum effectum requiruntur, commissa censentur.

188. *Declaratur 2m.* **Is nempe cui delegatur causa debet esse habilis,** scilicet 1°. in genere, qui non prohibetur *natura,* sive a canone: porro ob defectum naturae prohibentur amentes, infantes, impuberes, *Can. Infamis § Tria, cau. 3. q. 7;* lege vero vel canone minores 20 annis: qui tamen possunt esse si iam 18m. excesserint, scienter constituente eos Principe, aut partibus in ipsos consentientibus. *Cap. 41. eod.* Laicos autem in causa spirituali prohiberi diximus, *tit. 1. cap. 2. de Iud.;* prohibentur *infames, C. 47. § Nec tamen de Test. et attest.;* excommunicati. *C. 24. de Re iudic.* 2°. In specie *delegandus a Papa* vel *subdelegandus ab eius Legato,* debet esse constitutus in aliqua dignitate ecclesiastica vel obtinere personatum aut canonicatum in Ecclesia Cathedrali, aut esse officialis seu vicarius generalis, vel prior conventualis, *Reiff. l. c. n. 70;* et hoc, si Papa ordinario auctoritatis suae exercitio procedat. Si enim extra iuris ordinem a Papa missum fuisse, simplicem monachum aut clericum certo constaret; eiusmodi delegati acta valerent: at alterius magistratus delegati possunt esse simplices clerici, modo sint discreti et gnavi, nec necessario eius subditi esse debent. Hinc recte intelligendus est in iure canonico versus ex antiquo Iure Romano:

> Liber, mas, gnarus, cui sit integra fama,
> Aetas, qui subsit: committitur huic bene causa.

189. *Declaratur 3m.* **Cui soli vel una cum pluribus.** Quaeritur scilicet an pluribus eadem causa delegari possit; et quomodo tunc procedendum erit. Et Resp. *Affirmative, C. 16. eod.,* et si *in solidum* vel *divisum* delegata fuerit, v. g. *ut omnes aut duo, aut etiam unus procedat,* datur locus praeventioni, ita tamen, ut si unus processum inchoaverit, alii nec licite nec valide possint in ea causa procedere; si pluribus delegata fuerit simpliciter, unus sine altero procedere aut sententiam ferre non potest. Ad differentiam praecise hac in re quoad arbitros a delegatis. *Cf. Pirhing. n. 35. tit. de Arbitr.*

Dixi **cui causa committatur,** hic quaeri posset quae causae possint delegari: et Resp. Omnes illae causae regulariter, quae ad ordinariam delegantis iurisdictionem spectant; etiam causa appellationis saltem de iure canonico, *C. 11. in princ. de Off. Ordinarii;* licet non sit supremus iudex, *C. 5. eod.,* etiam actus ordinis, modo is, cui delegantur, habeat ordinem competentem. *Schmalz. t. de Off. et pot. Iud. del.*

190. *Declaratur 4^m^.* **A delegato etiam Papae vel subdelegato potest appellari** in sententia, qua quis iniuste se gravatum existimet *a*) ex *Cap. Super quaestionem § Verum et seq. eod. tit.; b*) quia appellatio est species quaedam defensionis, *C. Cum speciali de Appell.,* iure naturae omnibus concessae, nisi ob speciales rationes per clausulam, *appellatione remota,* summus Princeps appellationem deneget. Dixi *Summus Princeps,* qualis est Papa, quia delegare cum clausula, appellatione remota, est proprium supremi Principis, cum hic unus contra iura appellationem permittentia rescribere et hanc removere valeat. Unde a subdelegato ad delegatum, qui mandatum cum hac clausula acceperit, valet appellatio. Cuius rei praeter dictam (non posse scilicet inferiorem Papa neque delegare neque subdelegare cum illa clausula) ratio est, quia haec clausula videtur esse privilegium personale, eo quod Princeps confisus de industria personali delegati commiserit illi causam examinandam sub clausula, *appellatione remota.* Si delegatus subdelegaverit alteri totam suam iurisdictionem nil sibi reservando, appellatio fit a subdelegato ad Ordinarium, sive hic sit Papa, sive Praelatus inferior.

TITULUS XIII.

DE CESSATIONE ECCLESIASTICAE IURISDICTIONIS.

Summarium. — Cum omnis res per quas causas nascitur, per easdem dissolvitur, *Reg. 1. Iuris.* **ecclesiastica iurisdictio cessare potest voluntate tum superioris, i. e. 1) translatione 2) et depositione tum eius, qui illam obtinet resignando aut permutando, i. e. 3) resignatione 4) et permutatione: breviter de singulis.**

I. DE TRANSLATIONE.

191. *Declaratur 1^m^.* Cum provocatur ad *C. 1. Reg. Iur.* breviter, α) sensus huius regulae est, « omnis obligatio temporalis dissolvi potest per id genus causae, per quod contracta fuerat ». *Abbas Panor. ad reg. 1. aliique Doctores.* Unde, si per consensum contracta fuerat, dissolvitur per dissensum, e. g. in sponsalibus de futuro, *c. 3. h. t.;* si ex pacto, per aliud contrarium pactum, si per testamentum, alio contrario testamento. At β) in baptismo, confirmatione, ordine irrevocabilis est consensus; quia effectus est irrevocabilis; obligatio status matrimonialis inducta per verba de praesenti; hinc dixi temporalem obligationem non perpetuam sive ex institutione divina sive ex natura sua. γ) Sed etiam temporalis obligatio patitur exceptionem, v. g. in quibusdam casibus potest quidem Episcopus censuram ferre, sed non absolvere ab eis. Hinc, ut valeat regula, addendum est, quod obligatio pendere debeat in conservari ab ea causa, per quam posita est, ita ut eius conservatio vel destructio reservata non sit superioris potestati. Hisce positis, dico in genere: « *omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur* »; atqui iurisdictio nascitur ex delatione superioris, atque ab acceptatione eius, cui delata est. Ergo ad duplex caput referri causae possunt, quibus iurisdictio amittitur, ad voluntatem superioris et ad voluntatem eius, qui ipsam possidet.

Porro ad voluntatem superioris pertinet *a) translatio,* qua qui iurisdictionem habet ab uno ad aliud beneficium trans-

fertur; *b*) pertinet et *depositio,* qua quis in poenam privatur iurisdictione. Ad voluntatem eius, qui illam obtinet, pertinet 1°. *resignatio,* qua beneficium obtinens sponte illud dimittit, et 2°. *permutatio,* qua illud cum alio commutat, quaeque est resignatio seu renunciatio quaedam conditionata. Ergo quatuor sunt modi, quibus amittitur iurisdictio, scilicet *Translatio, Depositio, Renuntiatio, Permutatio:* pro quibus singulis sunt quatuor partes summarii.

De Translatione agunt Doctores in tit. *de Translat. Episc.;* plura habet Ferraris *Bibl. can. v. Episcopus a. 3. n. 40.* Item extant dissertationes duae, auctore Nesler in *tom. 3. thesauri Iur. eccl. Antonii Schmidt et DD. in h. t.* Translatio *in genere* definiri potest: *Alicuius Praelati vel beneficiarii ab una Ecclesia ad aliam vel ab uno beneficio ad aliud superioris auctoritate facta mutatio.* Dicitur *alicuius personae* ab una Ecclesia ad aliam indefinite, ut adsignificetur quaecumque persona etiam Episcopus aut Ecclesia, ad quam licet minorem quispiam transferatur; *superioris auctoritate,* ut elementum indicetur substantiale: addunt pro translatione Episcopi *ob causam necessitatis* vel *utilitatis,* sed causa non est ad validitatem, sicut superioris auctoritas, qui etiam sine causa valide transfert. Unde indiligenter locutus videtur nobis Fagnanus in *C. Quanto de Transl. Episc. n. 74,* cum proposito casu de translatione Episcopi a Romano Pontifice facta sine iusta causa, ait *eam non sustineri,* quae verba sonant *esse invalidam,* cum tamen illicita tantum dici debuisset, et huiusmodi, ut suspendi possit per recursum ad ipsam Apostolicam Sedem: quod enim dicatur invalida, (praescindendo a certissima sententia, quae in Episcopos totam quam habent iurisdictionem immediate derivat ab uno Romano Pontifice, qui est semper iudex supremus), id perinde est ac viam schismati aperire.

Hinc simpliciter si translatio specifice accipiatur, quemadmodum fit in Decretalibus respectu tantum Episcoporum, definiri solet: « Episcopi alicuius ab una ad alteram Ecclesiam Romani Pontificis auctoritate facta mutatio ». De Episcoporum praecipue et de aliorum etiam translatione nobis breviter agendum, 1. cuius nempe auctoritate ea fieri debet; 2. qua de causa et sub quibus conditionibus; 3. quos pariat effectus.

I. **Cuius auctoritate**: *a*) *quoad Episcopos* auctoritate Romani Pontificis, etsi Episcopus nondum sit consecratus, dummodo fuerit confirmatus. Nam per electionem spirituale coniugium inchoatur, per confirmationem ratum fit, per consecrationem consummatur, *C. Licet de Transl.*, ubi Iudex dubium proponit, utrum Romanus Pontifex possit transferre. Nam, *C. 2. eod.*, dictum est coniugium spirituale fortius esse, quam carnale, et spiritualia difficilius destrui, quam carnalia. Ibidem autem dicitur posse Romanum Pontificem transferre, quia Deo auctore dicitur fieri, quod ab eius Vicario fit. Quod porro Summus Pontifex requiratur, hoc ideo est, quia translatio pertinet ad maiores causas hodie Romanae Sedi reservatas; olim fiebant translationes a Conciliis Provincialibus, permittente, ut interpretari licet, Romano Pontifice. Ne autem Episcopus proprio ausu ac lubito ad aliam Ecclesiam transeat, in thesi loquendo, prohibetur *iure divino:* nam sacri canones a matrimonio carnali, quod Deus coniunxit, arguunt ad spirituale, inferendo quod Deus istud suo tantum iudicio dissolvendum reservavit: iure autem ecclesiastico confirmante ius divinum prohibetur id Episcopis sub poena amissionis utriusque Episcopatus. *C. 1. et seq. de Transl., 3. eod. et in iis Fagn. et Schmalz. l. c.* Hinc, quando Romanus Pontifex transfert, facit id potestate divina, ut sic possit consuli necessitati atque utilitati Ecclesiae, sicut enim potestate divina dissolvit matrimonium carnale ratum et non consummatum, ita eadem potestate dissolvit coniugium spirituale, quamvis consummatum, propter necessitatem et utilitatem Ecclesiae, de qua unus Romanus Pontifex iudicare potest.

Dixi quod hoc spirituale coniugium consummatum et fortius solvere possit Romanus Pontifex, dum potest solvere carnale matrimonium tantummodo ratum et non consummatum; α) quia hoc carnale consummatum repraesentat perfectam unionem inter Christum et Ecclesiam, β) quia Ecclesia numquam sibi putavit hanc potestatem solvendi matrimonii consummati, a Christo Domino esse relictam. Dicitur autem fortius spirituale coniugium praesertim consummatum, tum quia *dignius,* cum sit ex natura sua spirituale, e contra matrimonium carnale est extrinsece elevatum ad dignitatem entis spiritualis;

tum quia *efficacius,* cum in consecratione Episcopi, quae est consummatio spiritualis coniugii, imprimitur character indelebilis animae; tum quia secundum quid minus solubile, cum in carnali matrimonio coniuges possunt mutuo consensu discedere a thoro et cohabitatione; non ita Episcopus cum sua Ecclesia.

b) Quoad *minorum beneficiorum rectores* fieri debet translatio auctoritate Episcopi, nisi forte agatur de praelaturis exemptis, quae auctoritatem exigunt Romani Pontificis, qui est eorum immediatus superior. *Cf. Schmalz. l. c. n. 4.* Adde, quod et Capituli sede vacante transferri possunt, si de non exemptis agatur: est enim purus actus iurisdictionis.

II. Quoad conditiones, sub quibus et ad causam, qua existente fieri debeat tsanslatio, haec tenenda: *a*) conditiones duas praecipuas numerari (quae sunt leges directivae) saltem quoad Romanum Pontificem: 1ª. translatio proprie dicta in parem aut maiorem Ecclesiam fiat, *C. 4. de Transl., Schmalz. l. c. n. 1.* Dixi *proprie dicta,* quia nihil prohibet eum, qui maiorem sedem simpliciter dimisit, deinde ad aliam minorem vocari, *Fagn. in C. 1. de Transl. Episc. n. 20. seq.;* 2ª. ut consensus eius, qui transfertur, concurrat, si non ad propriam sedem dimittendam, saltem ad alteram acceptandam. *Schmalz. l. c. n. 6.* Qua in re animadvertendum tamen est, si Ecclesiae bonum postulet, posse a Romano Pontifice eum, qui translatus est, ad aliam sedem accipiendam poenis ecclesiasticis cogi. *Cf. Schmalz. l. c.*

b) Cum modernis aetatibus frequentiores, quam antiquis translationes sint, cumque haud sine detrimento Ecclesiarum id fieri possit; hinc repetenda ratio 1) cur tot canones contra translationes reperiantur; 2) cur gravissimi Doctores, e. g. Bellarminus in tractatu de officio primario Romani Pontificis oblato Clementi VIII., inter alias causas dissolutae ecclesiasticae disciplinae translationes nimis frequentes Episcoporum recensuerint, *cf. De Angelis in tit. de Transl. n. 1. 2;* 3) et cur per quam gravissima exigatur translationis causa.

Causae translationis exhibentur *Can. 34. et 35. ca. 7. q. 1: Mutationes Episcoporum scitote communi utilitate atque necessitate fieri licere...; alia est enim causa utilitatis et necessitatis, alia avaritiae, atque praesumptionis, aut propriae voluntatis.* Esset necessitas v. g. persecutio hostilis atque odium malae plebis in

Episcopum, adversa valetudo ex aëris intemperie..... Utilitas, v. g. si maior fructus seu bonum pro universali vel particulari Ecclesia speretur, bonum pacis et concordiae, quod aliter haberi nequeat. *Cf. Schmalz. l. c.* Fagnanus advertit, Praelati utilitatem non esse causam sufficientem in *C. Quanto de Transl. post n. 73.*

III. Ad translationis effectus quod spectat, *generatim* prior est solutio vinculi spiritualis coniugii cum Ecclesia, a qua, et novi eiusmodi vinculi contractio cum Ecclesia, ad quam transfertur, atque adeo illius Ecclesiae privatio, huius vero acquisitio omnium iurium et fructuum, qui ex tali coniugio consequuntur. Sed *speciatim quinam,* et ut indicetur etiam *quatenus,* et *quando ;* dico translationem tres praecipuos parere effectus, quorum *Primus* est vacatio Ecclesiae seu beneficii, unde eius possessor transfertur ; quae tamen vacatio in translatione Episcopi locum habet etiam ante captam possessionem alterius Ecclesiae, *Schmalz. l. c. n. 8,* posteaquam scilicet translationi suae Episcopus consensit, vel etiam ante eiusdem consensum, si in translationis decreto ita instituatur, *Reiff. ibid. n. 34. seq.;* in aliorum vero translatione locum habet post initam alterius beneficii pacificam possessionem. *Secundus* est ius in alteram Ecclesiam, ad quam translatio fit, cum in Episcopo translato iurisdictionem statim parit non secus ac electionis confirmatio, *Schmalz. l. c.;* in caeteris est merum ius ad rem, donec realis possessio ineatur. *Tertius* est devolutio fructuum pendentium beneficii, a quo fit translatio ad Ecclesiam vel successorem, cum tamen fructus iam perceptos, is qui translatus est, possit secum adsportare, itemque bona mobilia ex fructibus iam perceptis comparata, dummodo Ecclesiae nondum fuerint addicta. *Reiff. tit. de transl. Episcopi n. 44. seqq.; cf. Bened. XIV. de Synod. l. 13. c. 16. n. 7. et seqq.*

II. DE DEPOSITIONE.

192. *Declaratur 2^m^.* De *Depositione* per quam voluntate superioris in poenam amittitur iurisdictio, agunt Canonistae in *l. V. Decretal.* et in *C. 10. De Iudiciis* et in *C. 2. de Clerico excomm.;* tum etiam *Bened. XIV. de Synod. l. 9 ; Suar. in tract. de Cens.*

disp. 30 ; Thesaur. De Poen. P. 1. c. 27. aliique. Generico depositionis verbo duplex species continetur, *depositio simplex,* et *depositio solemnis,* quam *degradationem* vocant. *Bened. XIV. de Syn. l. 9. c. 6.* Porro depositio simplex est « poena ecclesiastica clericis solis propria, qua quis vel ab ordine, scilicet quoad exercitium, vel a beneficio, ita ut plene amittatur, simulque ad idem et ad alia inhabilitetur, vel ab officio, v. g. a iurisdictione, vel ab omnibus simul per sententiam removetur, salvo tamen privilegio canonis et fori ». Degradatio autem est « poena gravissima, qua Clericus ob incorrigibilitatem et criminis atrocitatem solemniter, non tantum Ordine, Beneficio, Officio ecclesiastico, sed ipso statu clericali sive privilegiis fori et canonis, per ecclesiastici iudicis sententiam, in perpetuum privatur et traditur Curiae saeculari secundum leges puniendus ». *Reiff. l. c.; Schmalz. l. c.; Huth. l. c.* Unde degradatus a statu clericali omnino deiicitur, munere clericali et privilegiis omnibus perpetuo spoliatur atque Ordine ipso (in quantum fieri potest : manet enim semper character) privatur. Quod autem a Doctoribus duplex degradatio distinguitur *verbalis* et *realis,* id sic intelligitur quod verbalis indicat ipsam iudicis sententiam, realis solemnem eiusdem exequutionem. *Schmalz. l. c. Bened. XIV. l. c.* Legere est in Pontificali romano solemnitates ac funestas caeremonias, queis perfici degradatio debeat, quibus nunc omissis, haec breviter tum de depositione, tum de degradatione indicasse sufficiat : 1°. Quis eiusmodi poenas ferre aut ab iis restituere possit ; 2°. quae sint crimina, ob quae imponi eaedem debeant.

1°. *De facultate ferendi eiusmodi poenas vel ab iis restituendi haec statuenda sunt :* I. Facultas ferendi depositionem simplicem vel degradationem verbalem in eo est, qui episcopalem iurisdictionem in clericum delinquentem habet, atque adeo etiam in Episcopo nondum consecrato, sed tantum confirmato, in huius Generali Vicario, et, Sede vacante, in Vicario Capitulari, *Reiff. l. c. n. 39,* ut colligitur ex Tridentino *Sess. 14. c. 4.* Facultas conferendi realem degradationem in Episcopo tantum, et quidem consecrato, residet, *Trid. Sess. 24. c. 4. de Ref.; Reiff. l. c. n. 40;* quia nempe degradatio significat ipsam ordinis quamdam privationem, quantum per Ecclesiam fieri potest. *Suarez*

disp. 30. Sect. 2. II. Unius Romani Pontificis auctoritate fieri potest restitutio a reali degradatione: a simplici vero depositione vel a degradatione verbali auctoritate Episcopi, nisi iuris communis ratio prohibeat.

2°. Crimina autem, quae pro infligenda simplicis depositionis poena sufficiunt, paria non sunt ad enormissimam poenam, qualis est degradatio. Nam I. simplex depositio iuxta communem Doctorum nonnisi propter crimina valde enormia et publice valde scandalosa, prudenti Iudicis arbitrio dignoscenda infligi permittitur, ita tamen ut adversus eadem iure communi mitior poena non sit constituta. *Reiff. tit. de Poenis n. 30.* Unde infertur; *a*) quae crimina mitiori poena iuri communi plectuntur, eadem depositione puniri iniquum est; *b*) quibus criminibus depositionis poena iure communi adiecta est, eadem graviori aliqua circumstantia infecta esse oportet ut talis poena applicetur. Hinc cum e. g. depositio infligatur iure communi homicidio, adulterio, furto, concubinatui; iuxta communem Doctorum tamen in praxi applicatur tum, cum res sit de homicidio praemeditato, de adulterio et stupro violento, de furto sacrilego, de concubinatu notorio, in quo nulla emendatio post varias factas monitiones.

II. Degradatio vero 1) infligitur ob crimina, quae nominatim in iure expressa sunt, *Bened. XIV. de Syn. Dioec. l. 9. c. 6. n. 6;* 2) et pro aliis criminibus, licet iis, quae in iure exprimuntur, graviora fuerint, infligi nequit, nisi Clericus depositionis et excommunicationis poenis antea coercitus minime resipuerit. *C. 10. De Iudiciis; Bened. XIV. l. c. n. 9.* 3) Crimina porro, quae uti digna degradatione censentur in iure sunt:

a) *Ex ecclesiasticis criminibus:* I. Haeresis et apostasia cum pertinacia. *C. 9. 15. de Haeret. C. 1. et 4. eod. in 6.* II. Celebratio missae aut exceptio confessionis sacramentalis ab eo patrata, qui sacerdotio non est initiatus. *Bened. XIV. Const. Sacerdos in aeternum 20 Apr. 1744. et Const. Quam grave 2 Aug. 1757. et Const. Divinarum, eodem die et anno.* De sollicitatione ad turpia, cuius reus degradari quidem permittitur in *Const. 34. Greg. XV. Bullar. t. 3,* si circumstantiae quaedam peculiares eam aggravent; degradatio tamen iussa est potius ad terrorem, quam debeat infligi: nullum enim ab edita illa Constitutione exem-

plum reperiri datum est, ait cum Albitio Bened. XIV. *l. c.*, quo huiusmodi sollicitationis cum circumstantiis etiam quantumcumque aggravantibus reus degradatione pŭnitus et foro saeculari traditus fuerit.

b) *Ex criminibus civilibus:* α) Assassinium, *C. 1. de Hom. in 6;* β) crimen patrati abortus, *Syxtus V. Const. Effraenatam 20 Octobris 1588; Greg. XIV. Constit. Sedes Apost. 31 Maii 1591;* γ) crimen falsae aut vitiatae monetae aureae vel argenteae. *Urb. VIII. Const. In supremo 13 Nov. 1627.*

c) *Ex criminibus mixtis:* I. Crimen aversae veneris seu nefandum contra naturam plus semel admissum. *Pius V. Constit. Horrendum 30 Oct. 1568.* II. Falsatio literarum Apostolicarum. *C. 7. de Crimine falsi, et C. 27. de V. S.* III. Furtum sacrilegum SSmae Eucharistiae. *Innoc. XI. Const. Ad nostri 15 Mart. 1676; Alexand. VIII. Constit. Cum alias 22 Dec. 1690; Bened. XIV. Constit. Ab Augustiss. 5 Mart. 1744.* Tot tantasque poenas sontibus Clericis infligendas merito statuisse Ecclesiam videt quisquis, secum illud S. Gregorii Magni reputat: «Nullum puto, Fratres carissimi, ab aliis maius praeiudicium tolerat Deus: quando eos, quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla pravitatis cernit: quando ipsi peccamus, qui compescere peccata debuimus».

III. DE RENUNTIATIONE.

193. *Declaratur 3^m^.* De renuntiatione agunt Canonistae *l. 1. Decret. tit. 9.* Seorsim vero tractatum edidit de Resignatione beneficiorum *Parisius Flaminius;* simulque consuli possunt quicumque seorsim scripsere vel in genere de beneficiis, vel in specie de vacationibus beneficiorum, e. g. *de Nigris.*

Renunciatio seu *resignatio* vi nominis sui nihil aliud significat, nisi voluntariam dimissionem ecclesiastici magistratus, quem quis gerit, aut dimissio beneficii voluntaria certis ex causis facta superioris consensu. Et quia recte statutum est, quod omnis resignatio non possit vim habere, nisi quae facta fuerit et *auctoritate superioris* et *legitimo modo;* hinc accuratius definitur: *Ecclesiastici magistratus aut beneficii auctoritate superioris legitime facta dimissio;* sub qua voce *legitime facta,* intel-

ligitur etiam ut sit libera, prout infra videbimus. Igitur ex dictis duo requiruntur: 1°. ut actus valeat sit eiusmodi, in quo voluntas abdicandi se magistratu pateat; 2°. ut hic actus cum auctoritate superioris et legitimo modo factus fuerit. Ut rem citius heic expediamus, breviter videndum est quotuplex sit renuntiatio; de modis et conditionibus, quibus fiat, nec non de effectibus, quos gignat.

I. Resignatio alia est *a*) *expressa,* quae fit verbis renunciantis animum declarantibus, sive ea sint ore prolata, sive potius ea scripto commissa, prout communis fert consuetudo. *Schmalz. in t. de Renunt. 3. 39; Reiff. ib. n. 11; b*) alia vero est *tacita,* quae sine ullis verbis fit, facto vel omissione aliqua, ex qua iuxta dispositionem iuris resignatio ipsa consequitur, e. g. si beneficiarius solemnia vota emittat in regulari aliquo instituto, vel in minoribus constitutus nuptias ineat, vel possessionem alterius beneficii incompatibilis adeptus sit, vel denique aliquid *egerit* vel *neglexerit,* cui adnexa sit ipso iure beneficii privatio: *egerit,* e. g. qui militiam sequitur; *neglexerit,* qui parochiam adeptus, intra annum sacerdotium non susceperit. *Schmalz. l. c. n. 2.*

c) Porro expressa subdividitur in *puram,* quae nullam habet adnexam conditionem; et in *conditionatam,* quae aliquam habet conditionem legitime adnexam.

d) Speciatim ad Episcopatum quod spectat, alia dicitur *Renuntiatio loco tantum,* quae fit dimissa tantum Ecclesia, seu administratione et iurisdictione; sed retenta episcopali dignitate; alia vero *loco simul et dignitate,* quae fit utraque dimissa, seu *dimisso etiam episcopali honore,* non ordine cum ordo indelebilis sit. *C. 1. de Ordin. ab Ep. qui renunc.* Ad rem *Fagn. ibid. n. 1.* § *Nota primo...* « duo iura concurrere in Episcopo. Primum ius dignitatis episcopalis cohaerens personae, quod acquiritur per consecrationem. Secundum ius administrationis cohaerens loco, cui praesidet, quod acquiritur per confirmationem. *C. Transmissam, supra de Elect.* Et quoniam potestas in his, quae sunt in habitu ordinis, residet in dignitate cohaerente personae, quoad exercitium vero residet in loco, cui praeest, et in quo habet administrationem; et haec iura non sunt individua seu inseparabiliter connexa, cum uni possit renun-

ciari sine altero, si inchoetur a loco; inde fit ut Episcopus, qui renunciavit *loco*, i. e. administrationi sed non dignitati, possit illa, quae sunt ordinis quoad habitum, sed non quoad exercitium, quia caret subditis, exemplo Episcopi titularis clero et populo carentis ».

II. *Duplici* autem *modo* resignatio fieri potest: *per se* et *per procuratorem*, qui ad eam specialiter et per authenticam scripturam a beneficiario deputatus sit, *Schmalz. t. de Renunt. n. 42,* iuxta quem in *n. 44.* atque iuxta alios etiam animadvertas velim: si mandati fines excesserit Procurator, ita vitiare irritamque facere renuntiationem, ut ne ratihabitione quidem sanari possit. Quando enim actus, ad quem ratificatio debet retrotrahi, nullus est, ratihabitio non retrotrahitur, quia ubi ratihabitio nil reperit, nil operatur.

III. *Conditiones* porro in omni renuntiatione servandae ac proinde communes, praecipuae sunt sequentes:

1ª. Ut rennnciatio sit libera, ita ut si metu vel fraude extorta sit, iuxta nonnullos rescindi possit, *Schmalz. l. c. n. 4. et 5; Reiff. l. c. n. 3;* et iuxta alios sit ipso iure nulla. *Giraldi Expos. Iur. Pont. P. 1. Sect. 364. § Petes, ibique Rota.* Priores tamen excipiunt *a*) casum, in quo dolus versetur circa substantiam rei; *b*) casum, *Clem. c. Multorum de Poenis*, quoad Clerici detentionem a laico patratam, ut eum cogat ad beneficium resignandum, quia ibi expresse statuitur resignationem illam *nullius esse firmitatis,* non *fore...* ratio autem eorum bona est, quia, inquiunt, coacta voluntas est adhuc voluntas.

2ª. Ut iusta causa fiat, quae est 1°. impotentia ex debilitate corporis ad exequendum officium; 2°. defectus scientiae necessariae; 3°. crimen quod etiam post poenitentiam officii executionem impedit; 4°. malitia obdurata plebis, quae Praelatum adversetur; 5°. irregularitas, in qua solet dispensari. *C. 10. de Renunt. et Pius V. Const. Quanta 1 Apr. 1568; Girald. Sect. 72. § Casus; Schmalz. l. c. n. 28; Reiff. l. c. n. 32. seqq.*

3ª. Ut fiat coram superiore, qui scilicet iurisdictionem habet in renuntiantem, seu qui habet ius non tantum instituendi, sed etiam destituendi. *Schmalz. l. c. n. 22.* Superior intelligitur Episcopus non vero Vicarius generalis, nisi de

speciali mandato Episcopi. *Reiff. l. c. n. 4. seq. et Schmalz. l. c. n. 16. 39.* Porro Episcopus duo praestare debet: 1m. ut intra mensem renuntiationem admittat vel reiiciat, *Greg. XVI. Constit. Humano 5 Ian. 1583;* 2m. ut beneficium neque suis neque resignantis consanguineis, affinibus, familiaribus, ne per concursum quidem conferat, nisi resignantis obitus praecesserit, aut agatur vel de permutatione vel de beneficio patronato. *Bened. XIV. de Syn. l. 13. c. 24.* De quo gradu consanguinitatis vel affinitatis intelligenda sit dicta Constit. *Cf. Antonelli De Regimine Ecc. l. 3. c. 10. n. 14,* qui eam intelligit iuxta dispositionem iuris communis, h. e. usque ad quartum gradum, si oriatur ex copula licita; usque ad secundum gradum, si ex illicita appellatione *familiarium* in casu veniunt continui commensales, iuxta *c. fin. de V. S. in 6.*

Si Vicarius generalis Episcopi non venit nomine superioris acceptantis resignationem, quaeritur an Vicarius Capitularis? *Reiff. l. c.* ait: « α) hunc non posse, si agatur de beneficiis, quae a solo Episcopo conferuntur; β) si praelatus inferior sit collator tantum ex consuetudine apud eumdem posse resignari; γ) si agatur de beneficio cuius electio vel praesentatio pertinet ad unum, institutio vero ad alium: quaeritur, an coram utroque facienda sit resignatio? Resp. Non videtur: sed facienda est coram superiore tantum ».

Addendae hic essent, ratione intimae connexionis, leges quarumdam renuntiationum propriae ac variae pro variis resignationum casibus: sed ceteris melius remissis eo, ubi de beneficiis; dumtaxat heic animadvertatur oportet, 1°. in genere circa conditionatas reservationes, quae frequentiores fuerunt medio aevo. Interdum reservabatur accessus, quandoque ingressus et saepe regressus. Reservatio generatim erat facta cum pacto recuperandi beneficium cum vacans adesset: et tunc renuntiatio dicebatur per accessum, cum beneficium neque possessum neque collatum, sed simpliciter oblatum fuerat; dicebatur per *ingressum,* cum beneficium iam collatum sed nondum possessum alteri ea conditione resignabat, ut ubi hic illud quavis de causa dimiserit, ipse resignans ius habeat *possessionem ingrediendi.* Reservatio per *regressum* habebatur cum illud collatum, acceptatum ac possessum fuerat sub conditione, ut a priori do-

mino recuperaretur, seu aliis verbis reservatio *regressus* dicebatur, cum quis beneficium a se iam possessum resignabat alteri eo pacto, ut quando hoc utcumque vacasset ad ipsum resignantem, aliamve certam personam esset regressurum. Quandoque ipse resignans portionem fructuum resignati beneficii sibi reservabat, quae pensio audiebat, vel renuntiabat beneficium in favorem tertii.

Porro excepta permutationis causa, de qua mox erit dicendum, omnes eiusmodi conditionatae reservationes a sacris canonibus praesertim a *Trid. Sess. 25. c. 7. de Ref.* sublatae sunt « *ut nemini in posterum accessus aut regressus etiam de consensu ad beneficium ecclesiasticum cuiuscumque qualitatis concedatur* ». *Cf. et Sess. 24. c. 19. de Ref.* Hinc renuntiationes conditionatae generatim ab Episcopis excipi nequeunt, sed Romani Pontificis indigent auctoritate, nisi tamen conditio in permutationis facto versetur, *C. Quaesitum 5. de rerum permutatione; Pius V. Const. Quanta 1 Apr. 1568; Girald. Expos. Iur. pont. P. 1. Sect. 72. § Quod spectat;* simulque fraus nulla sit. *Bened. XIV. de Synod. dioec. l. 13. c 24. n. 10.* Videlicet in genere, si causa permutationis sit tantum apposita ad tegendam aliam causam, seu conditionem, cuius intuitu vere resignatio fiat. *Bened. XIV. l. c.* hunc casum proponit, si permutatio fiat inter beneficia valde disparis redditus, ita, ut qui pinguius habet beneficium provecta iam sit aetate, qui tenue iunior sit, multoque magis si consanguineus simul sit.... cum quo beneficium permutat. Quo in casu ait permutationem esse suspectam, nullaque legitima causa, sive utilitatis sive necessitatis, Ecclesiae sit facta; sed potius ad temporalem utilitatem permutantium.

Animadvertantur 2°. in specie quoad conditionem *a*) alicuius reservationis favore resignantis duae praecipuae leges: I^{a}. reprobatum omnino in iure esse pactum regressus ad beneficium resignatum, *Trid. l. c., Pius V. Const. Romani 12 Septembr. 1571;* II^{a}. reprobatum pariter esse pactum cessationis seu extinctionis per anticipatas solutiones pensionis, quae a resignante, debita scilicet auctoritate Romani Pontificis, *Fagn. in C. Nisi essent de Praeb. n. 20,* sibi reservata fuerit, ita ut per eiusmodi cessationis pactum tam resignans quam resignatarius

ipso facto beneficio priventur, salva Romani Pontificis venia, quae tamen subreptitia habenda est, si infra sex menses facta fuerit a possessione beneficii, per resignatarium inita. *Bened. XIV. Const. In sublimi 29 Aug. 1741.*

b) Cessionis beneficii in favorem tertii tres item leges animadvertendae sunt: 1°. ut beneficium praedictae cessionis capax sit, i. e. α) ut non sit litigiosum, *arg. C. 2. Ut lite pendente; Reiff. de Renunt. n. 55. et seqq.;* β) non reservatum, *Reiff. l. c. 59;* γ) non unitum ita, ut per eiusmodi resignationem unio suspendi debeat, *Trid. Sess. 21. C. 5. de Ref.; Reiff. l. c.;* δ) non ipso iure, sive ex causa criminis, sive ex alia causa vacans, *Reiff. l. c. 49. seqq.;* ε) non patronatum aut electivum, nisi forte patroni aut eligentium consensus accedat. *Reiff. l. c.*

2°. Ut resignans citra 20 dies post renuntiationem, sive in statu infirmitatis, sive in statu bonae valetudinis emissam, non decedat. *Reg. 19. Cancell. ibiq. Rigant.; Schmalz. de Renunt. n. 16. sqq.* Causas huius legis affert Pius V. *Constit. SSmus.*, quae extat apud *Paris. de Resig. Benef. l. XI. in Praef. n. 3.* Causa princeps est, ne aperiatur locus haereditariis successionibus per fictas resignationes. Aliae causae: ne resignans, quod fieri solebat, administraret tamquam verus Praelatus sacramenta, ne perciperet fructus; item ne ii, qui decimas vel aliquos fructus beneficio debitos solvere debent, exponantur periculo bis solvendi, scilicet tum resignanti, tum resignatario. Denique ne provisiones apostolicae eludantur, dum confertur aliquod beneficium, quod existimatur vacans et deinde reperiatur ob factam resignationem minime vacans.

3°. Ut resignatarius in Ecclesia Cathedrali renuntiationem publicandam curet intra tres menses, si renuntiatio facta fuerit in manu episcopi, i. e. ex causa permutationis: sin autem in manu Summi Pontificis, intra sex menses quoad cismontanos, intra novem quoad ultramontanos. *Greg. XIII. Constit. Humano 5 Ian. 1584.*

Qua de re, ne qua fraus fiat, ad eludendam scilicet publicationem, quid praestandum sit a Datariae notariis docet Constitutio Benedicti XIV. quae incipit *Ecclesiastica 15 Iun. 1746*, quam refert etiam *Giraldi P. 1. Sect. 72. § Gregorii.* (Notarius Datariae ne recipiat consensum quoties mandatum procurae

habeat datam anteriorem octo mensium). Quae vero leges ratione personae resignantis vel beneficii resignati in aliquibus renuntiationibus locum habent, hae sunt:

I. Ratione *personae resignantis* habent proprias leges renuntiationes eorum, qui aliquam religionem ingressi tirocinium exercent; nimirum: 1°. ut fieri valide nequeant ante duos menses professionis proximos. *Conc. Trid. Sess. 25. c. 16. de Reg. ibiq. Giraldi § Nota primo; Schmalz. de Ren. n. 15.* 2°. Ut effectum non habeant, nisi post emissam professionem. *Schmalz. et Girald. l. c.*

II. Ratione *beneficii resignati* id peculiare est resignationis beneficii, cuius titulo ordinatus quispiam est, ut duo haec simul exigat: 1°. ut in ipsa eiusmodi rei mentio fiat; 2°. ut clerico resignanti, nisi religionem aliquam ingrediatur, de congrua sustentatione provisum aliunde sit, *Trid. Sess. 21. c. 2. de Ref.; Pius V. 1 Apr. 1568. § 3; S. C. C. in Lancian. 9 Febr. 1726; Reiff. tit. de Ren. n. 46. sqq.*, ubi recte animadvertit haec procedere in renuntiationibus voluntariis, non in privationibus iuxta canones inductis.

IV. Quae denique pertinent ad *effectum* renuntiationis quaedam sunt communia, quaedam particularia de Renuntiatione Episcopi.

I. Communes de effectu renuntiationis leges hae sunt: *a*) Renuntiatio, quae nondum a superiore sit admissa, licet eidem praesentata fuerit, potest revocari; secus, si fuerit admissa. *Reiff. l. c. n. 38. sq.; Schmalz. n. 49. b*) Renuntiatio conditionata, nonnisi purificata conditione, effectum sortitur. *Schmalz. l. c. n. 48. c*) Si ex novo quodam titulo resignans ad beneficium suum redit, ultimum inter Collegas habet locum, neque pristinum potest repetere. *Reiff. 42. d*) Fructus tempore renuntiationis pendentes devolvuntur ad Ecclesiam vel ad successorem, nisi consuetudine, aut pacto aliud constitutum sit. *Reiff. l. c. n. 152. sqq.; Antonelli de Reg. Eccl. l. 3. c. 10. per totum.*

II. Quoad renunciationem Episcopatus lex est particularis, eam, si facta sit *loco tantum*, facultatem conferendi ordines eatenus adimere, quatenus, qui resignavit, ad eos conferendos rogatus ab alio Episcopo non fuerit; si *loco simul et dignitati*, omnino eidem facultatem revocat, ita ut, si quis ab eo ordi-

natus fuerit, characterem accipiat, sed ordinem exequi nullatenus possit, *C. 1. de Ordinatis ab Episc. ibiq. Fagn. Cf. et Suarez de Censur. Disp. 31. Sect. 1. n. 2. et sqq.;* sed si *ignoranter* (non tamen crassa et supina ignorantia) ab eiusmodi Episcopo Ordines quis susceperit, poterit a discreto Episcopo dispensari, *Cf. Schmalz.,* quoad tonsuram et minores ordines.

Antequam haec pars dimittatur, de iis, qui Episcopatum dimiserint, adnotamus quoad effectus, quod qui auctoritate Apostolicae Sedis dimittit ut monasterium ingrediatur, poterit alia vice ad primam vel aliam Ecclesiam eligi, quod non potest qui criminis expiandi causa in monasterium fuerit missus. *C. 11. de Renunt.* Insuper qui, vel populi persecutione saeviente, vel propria infirmitate inductus, Episcopatui cessit, iis impedimentis sublatis, si rursus eligatur, Ecclesiae dimissae regimen iterum sumere non prohibetur. *C. 11. eod. t.* Quamvis autem ad primam dioecesim eligi non possit qui renunciavit ob electionem Simoniae labe infectam, se id ignorante ab eius forte consanguineis perpetrata, licite tamen ad aliam Ecclesiam eligi poterit, *C. 11. h. t.:* in his porro casibus nova electione opus est.

Hisce omnibus positis patet ratio assertionis; posse scilicet per modo expositam renuntiationem cessare iurisdictionem ecclesiasticam. Duplex voluntas caussa fuit illam acquirendi, et duplex heic concurrit eadem voluntas ipsam dimittendi, voluntas resignantis, hinc dicitur voluntaria dimissio, voluntas superioris, ut in definitione indicavimus, necessaria; ad superiorem enim spectat et causam renuntiationis expendere, an idonea sit, et vinculum solvere, quo renuntians cum sua Ecclesia coniungebatur.

IV. DE PERMUTATIONE.

194. *Declaratur 4^m^.* De permutatione agunt canonistae *l. 3. Decret. tit. 19.* Peculiarem de beneficiorum permutatione tractatum scripsit *Ioannes Cokier;* denique qui agunt *de renuntiatione* beneficiorum vel de beneficiis in genere, iidem et de permutatione agere solent.

Defin. *Permutatio,* quatenus non in genere accipitur sed in specie quoad beneficia, recte definitur: *Mutua beneficiorum*

resignatio ut alter alterius beneficium consequatur. Devoti Inst. can. l. 1. tit. 8. § 16. Unde patet permutationem, tum resignationi tum translationi esse maxime affinem, adeoque brevissime de ea agemus: eius conditiones, ut valida sit, eiusque dein effectus exponentes.

I. *Conditiones* quinque praecipuae numerantur: 1ª. ut beneficium permutationis capax sit; 2ª. ut iusta de causa permutatio fiat, *C. 5. de Rerum perm.; Schmalz. h. t. n. 39;* 3ª. ut fiat auctoritate Superioris, i. e. Summi Pontificis, si qua conditio adiiciatur, sin minus Ordinarii, vel, Sede vacante, Capituli. *Schmalz. l. c. n. 65. seqq.;* 4ª. ut in casu, quo fiat coram Summo Pontifice, cetera quoque permutantium beneficia exprimi debeant, quia Papa ignorat, an in ceteris beneficiis aliquod impedimentum lateat; 5ª. ut in Ecclesia Cathedrali publicari debeat, quemadmodum dictum est de Resignatione.

II. Effectus locum habet permutatione utrinque perfecta, cum permutatio vim habeat resignationis conditionatae. *Cf. Schmalz. l. c. n. 81. contra alios.*

Ex his satis superque patet, conditionibus dictis servatis, permutatione sicut acquiri ita et amitti ecclesiasticam iurisdictionem.

SECTIO II.

DE IURISDICTIONE IN PARTICULARI PRO VARIO PERSONARUM GRADU ET OFFICIO.

Ordo Tractationis.

195. Posteaquam actum est de Clericis in genere, i. e. de iis, quae etiam in potestate iurisdictionis Clericis communia esse possunt, agendum modo superest de iisdem in specie, seu de singulis eorum gradibus, pro vario iurisdictionis gradu, qui singulis iure ordinario inhaeret. Iamvero ut potestatis seu hierarchiae iurisdictionis systema pro eius simplicitate brevius conspiciatur, agemus ordinatim de principali in quolibet gradu, ac de ministris seu adiutoribus. Porro iurisdictio vel inhaeret singularibus personis, vel pluribus simul collective.

Si primum, vel inhaeret ex officio et dignitate vel ex commissione seu delegatione. Ex officio et dignitate seu magistratu inhaeret Romano Pontifici, Cardinalibus, Episcopis, et aliis Praelatis inferioribus tam in foro interno, quam externo, vel solum in foro interno, uti Parochis. Ex commissione vel delegatione, horum vicariis: hinc varii tituli respectivi.

Si secundum, h. e. si pluribus simul inhaeret iurisdictio, ad hanc exercendam una cum aliis collective sumptis requiritur communis actio; vel ad pluribus iuribus fruendum instar Collegii requiritur, ut sit ita iam constitutum et Collegiorum lege regatur: hinc tituli de Conciliis, de Synodis, de Collegiis Clericorum.

Et primo quidem inverso ordine, quam in antecedenti parte, a gradu summo, i. e. Romano Pontifice, exordimur procedentes usque ad infimum.

TITULUS XIV.

DE ROMANO PONTIFICE.

Ordo tractationis. Revocantur in mentem quaedam ex Theologia dogmatica circa Petri et Romani Pontificis Primatum Iurisdictionis in universam Ecclesiam.

196. De Romano Pontifice brevius disseremus: si enim quaeras quae ad eius electionem pertinent, ea iam exposita sunt in titulo superiore, ubi de electione ecclesiastica: sin ea flagites, quae eius determinent potestatem, ea pro eiusdem potestatis amplitudine fusissime in iure publico et Theologia dogmatica: sed cum de iurisdictione agatur, a nobis non est abstinendum, quin plura in memoriam revocentur, quaedam leviter tangantur, et quaedam operosius inculcentur. In memoriam revocanda praesertim, quae dogmatica sunt et respiciunt institutionem divinam, perpetuitatem, iura primatus a Christo B. Petro eiusque legitimis successoribus Romanis Pontificibus collati. Haec dogmata exhibentur in pluribus Conciliis oecumenicis, praesertim Florentino et Vaticano. Quod ultimum, *C. 1. de Const. Eccl. Sess. IV.*, inter cetera ait: I. *Tenendum*

esse iuxta Evang. Matth. XVI. 16. 19. testimonium, Primatum iurisdictionis in universam Dei Ecclesiam immediate et directe B. Petro Apostolo promissum a Christo Domino fuisse.

II. Et *eadem Sess. IV. c. 2: Quod autem in B. Petro Apostolo Princeps Pastorum et Pastor magnus ovium Dominus Christus Iesus in perpetuam salutem ac perenne bonum Ecclesiae instituit, id, eodem auctore, in Ecclesia quae fundata super petram ad finem saeculorum usque firma stabit, iugiter durare necesse est.*

III. Ex huius primatus natura patet, omnino hunc esse a Christo Domino institutum, ideo ut unitas universae Christi Ecclesiae ac singularum etiam, quoad seipsas, Ecclesiarum per unius Capitis iurisdictionem efficienter obtineretur.

IV. Vis etiam huius primatus in eo est, ut iurisdictio Romani Pontificis in omnes Christifideles tam seorsim singulos, quam simul omnes sit ordinariae et immediatae potestatis plenitudo.

V. Hinc forma regiminis Ecclesiae est iure divino monarchica.

VI. Hanc plenitudinem potestatis quilibet Romanus Pontifex immediate a Christo habet die acceptatae a se electionis, seu designationis suae personae in Primatem factae a duabus tertiis partibus Cardinalium.

VII. Haec autem potestas, quoniam est suprema et independens in hac societate, distinguitur prae triplici sua functione in legiferam, iudiciariam, coactivam: obiectum vero, circa quod versatur, est fides, mores et disciplina. Porro ut distinctius agamus, quasdam *a*) generales regulas de eadem trademus, *b*) ex particularibus iuribus, quae Romano Pontifici pro suo Primatu competunt, vel eidem reservata sunt, nonnulla quae sunt celebriora delibabimus; *c*) et particularem eiusdem potestatem, quam in certas Ecclesiae partes exercet, praeter generalem, quam in totam Ecclesiam habet, indicabimus.

I. REGULAE GENERALES EX PLENA PRIMATUS ROMANI PONTIFICIS POTESTATE.

Summarium. — Ex omnino plena et perfecta Romani Pontificis potestate iurisdictionis in universam Christi Ecclesiam, 1) generales quaedam regulae circa eiusdem potestatis amplitudinum, genus, exercitium derivantur, et 2) nominatim, excepto iure divino, quod Romanus Pontifex authentice interpretandi ius habet, omnia subesse Apostolicae potestati, quae est supra canones.

197. *Declaratur 1^m.* Ut nihil Ecclesiae deesset, quo eius necessitatibus provideri posset, summa Christi charitas Caput visibile in Romano Pontifice eidem dedit, qui suimetipsius vicariam, adeoque amplissimam potestatem gereret: unde duo praeiudicia pro Romano Pontifice dimanant: 1^m. eamdem minime invidiosam videri cuipiam debere, sed maximum Ecclesiae bonum; 2^m. eum, qui Romani Pontificis potestatem oppugnare aggreditur, potestatem Christi ipsius oppugnare; quandoquidem ad Vicarii notionem pertinet, ut eam ipsam personam in se ille referat, cuius vices gerit. Christus invisibilis esse voluit; nos autem pro natura nostra visibili capite indigemus a quo 1°. dubietates nostrae resolvantur; 2°. praesentibus omnibus necessitatibus nostris consulatur. Quapropter si nullum nobis summum caput Christus reliquisset, ipsi illum rogare debuissemus, ut aliquos vel aliquem nobis concederet; et si de facultatibus eidem communicandis quaestio esset, ipsi optare debuissemus, ut quam amplissimae eidem darentur.

Porro Regulae generales circa iura Romani Pontificis ex supra obumbrata primatus natura descendentes, quibus operosius insistere debemus earumque consectariis praecipuis, hae sunt:

I. Potestas Romani Pontificis *ad ea omnia extenditur, quae ad Ecclesiam Christi* curandam seu *pascendam pertinent*, veramque habent cum eius necessitatibus connexionem, sive *directa* ea sit, sive *indirecta*. Unde id tantum ad Romanum Pontificem non pertinet, quod ad Ecclesiae necessitatem neque directe neque indirecte pertineat.

II. *Eadem in vera iurisdictione est,* non in mera inspectione aut directione. Potestas Romani Pontificis instituta est, ut provideret Ecclesiae necessitatibus sive quoad fidem, sive quoad mores, sive quoad regimen: atqui non provideret si tantum in inspectione, aut directione esset: haec non esset potestas propria eius, qui vicarius ipsius Christi est; imo nec esset potestas: sed esset munus Consiliarii.

III. Eiusdem *exercitium nullo limite circumscribitur* α) neque ratione *materiae,* in qua versatur, dummodo ad Ecclesiam pertineat, aut ius divinum non obstet; β) neque ratione *eorum* qui eidem subiiciuntur, sive de populo sint, sive Pastores; dummodo per baptismum in Christi gregem fuerint aliquando cooptati; γ) neque ratione *modi,* ita ut neque *mediate* tantum per pastores particulares, sed etiam *immediate* in singulos Christi fideles; neque tantum extraordinario cum Episcopi suum officium deserunt, sed omnino ordinario eiusdem exercendae ius sit.

Hinc errant 1°. qui traducunt ceu erroneum receptum effatum: *Papa omnia potest;* 2°. qui quomodolibet eximunt ab eo Episcopos; 3°. qui mediate tantum volunt a Papa regi dioeceses, aut si immediate, id tantum extraordinario.

IV. Etsi in aedificationem Ecclesiae tanta potestas Romano Pontifici data fuerit, non in destructionem; nihilominus *eiusdem iudicio reservatur quidquid et quatenus in aedificationem Ecclesiae sit, proindeque temeritatis et seditionis* seu schismatis notam non effugit, qui hac de re iudicium sibi assumit: neque ullus hac de re excipi casus potest, nisi in quo ius divinum non quidem obscure, sed evidenter violatum fuerit. Hinc errant e. g. qui detrectant ideo parere, quia aiunt hanc vel illam legem non esse in aedificationem: quod profecto axioma in societate civili, si praesertim in praxi obtenderent, punitionem certo non effugerent. Et merito; societas enim sic dissolveretur.

V. *In dubio nihil est detrahendum Romani Pontificis potestati,* quandoquidem ea pro eius amplitudine interpretationem restrictivam non recipit. *Fagnan. in C. Perniciosam De Offic. Iud. Ord. n. 65.* Haec regula provenit, ut patet, ex amplitudine potestatis eiusque natura, quae propria est eius, qui Vicarius

est Christi. Exempla sunt: Dispensatio in matrimonio rato et non consummato fidelium; Dispensatio in radice; Dispensatio a matrimonio consummato in statu infidelitatis, praeter casum discessus coniugis infidelis.

198. *Declaratur 2^m^*. **Excepto iure divino, quod tamen authentice interpretandi ius habet, omnia subesse plenitudini Apostolicae potestatis.** *Excepto iure divino,* quia ut habet S. Thomas *1. 2. q. 97. a. 4. ad 3:* « Ad legem divinam ita se habet quilibet homo, sicut persona privata ad legem publicam, cui subiicitur: unde sicut in lege humana publica non potest dispensare nisi ille, a quo lex auctoritatem habet, vel is, cui ipse commiserit; ita in praeceptis iuris divini, quae sunt a Deo, nullus potest dispensare nisi Deus vel is, cui ipse specialiter committeret ». Ipsi Pontifices in se hanc potestatem generatim non cognoscunt, ut constat ex pluribus canonibus; *Cf. Suarez de Leg. l. 10. c. 6. n. 7. seqq.;* imo nec quoad Constitutiones et praecepta apostolica. *C. 2. de Bigam.*

Authentice interpretandi: plures enim dubietates occurrere possunt circa quas unus magister infallibilis a Deo nos edocere potest, nec satis gregem suum Christus de pastore providisset, si hic non posset in omnibus et quoad omnia necessitatibus occurrere... ergo. *Cf. Reiff. in tit. De Const. n. 457.*

Omnia subesse plenitudini potestatis Apostolicae. Verba enim Matth., ut certa argumenta missa faciam: *Quodcumque solveris, quodcumque ligaveris nullum habent limitem tum quoad causas, tum quoad loca, tum quoad tempora. Potestas* primatus est supra canones. Potest enim omnia solvere et ligare, ita ut quod ipse solvit aut ligat, solvat aut liget ipse Deus: ergo poterit Romanus Pontifex solvere etiam leges seu canones Ecclesiae iam latos, ita ut solutionem eius immediate sequatur solutio Dei: atqui nulla alia vis humana potest impedire seu vincere solutionem Dei. Nec antecessor potest successoris in primatu minuere potestatem. Hinc patet excipi numquam posse contra eius auctoritatem, qui omnia potest et quoad omnes, nullum habens superiorem nisi Deum, a quo immediate totam obtinet potestatem, quantam a Christo Domino Petrus accepit.

Non erit abs re heic adnotasse quod Romanus Pontifex cum facit contra vel supra canones, tunc praesertim uti dici-

tur hac plenitudine potestatis. Hinc in negotiis expediendis Romanus Pontifex utitur vel potestate ordinaria vel absoluta, quae ipsa est plenitudo potestatis: utitur 1ª. cum iuris positivi dispositionem servat, e. g. si beneficium erigat, vel probet ordinem religiosum; utitur 2ª. cum ius positivum humanum non servat, e. g. si in iure dispenset vel ipsum auferat ius; quae iuxta Baldum definitur: « Arbitrii plenitudo nulli necessitati subiecta nullisque iuris publici regulis limitata ». Hac tamen Romanus Pontifex non praesumitur uti, nisi clausulam opportunam novae dispositionis apponat, e. g. non obstantibus Constitutionibus Apostolicis vel de Apostolicae Sedis plenitudine.

II. IN SPECIE QUAE IURA ROMANO PONTIFICI COMPETANT PRO SUO PRIMATU VEL EIDEM SINT RESERVATA.

Assertum. I.

Ad supremam et plenam potestatem Romani Pontificis in universam Ecclesiam pertinet eius infallibile magisterium 1) **in iis quae ad fidem et mores spectant dogmatice definiendis, tum** 2) **in iis quae cum iisdem necessarium nexum habent, nec non** 3) **ius omnibus fidelibus praecipiendi aut vetandi quae ad fidei morumque integritatem tuendam requiruntur: nominatim ius** 4) **proscribendi libros atque damnandi ipsos auctores, errores contra fidem, mores, disciplinam tradentes, et tandem ius** 5) **veram fidem per sacras expeditiones propagandi ubique terrarum.**

199. *Declaratur 1ᵐ.* **Infallibile est Romani Pontificis magisterium in definiendis dogmatice iis, quae fidem moresque spectant.** Ut ea, quae tanta potestatis plenitudo continet, enucleentur aliquantulum, variis assertis iuxta varia obiecta, circa quae versatur haec plena potestas, ipsam distinguimus. Sunt qui distinguunt in Romano Pontifice iura magisterii authentici respicientis conservationem et propagationem sacrae doctrinae, iura ministerii respicientis cultum sacrum, iura regiminis respicientis supremam universalis Ecclesiae gubernationem atque administrationem. Nos hac propositione fere omnia summatim recensemus, quae spectant eius

magisterium infallibile, quod tamquam partem dicimus pertinere ad supremam potestatem iurisdictionis.

Nam I. potestas ligandi et solvendi est penes *Matth. XVI. et XVIII.* potestas iurisdictionis: atqui certum est, auctoritatem magisterii seu docendi institutam esse a Christo Domino ceu partem potestatis ligandi et solvendi: in hac enim illam Sancti Patres contineri agnoscunt. Et re quidem vera *Matth. XVIII. 17. 18.* potestas ligandi et solvendi quaecumque est ratio cur Apostoli ab omnibus audiuntur, qui in Ecclesia esse velint. « *Si Ecclesiam non audierit sit tibi sicut ethnicus et publicanus: amen dico vobis quaecumque alligaveritis.....* » Atqui Ecclesia debet audiri etiam in doctrina fidei: ergo potestas ligandi et solvendi etiam ad hanc proponendam et exigendam sese extendit: sed haec est potestas iurisdictionis. Ergo.

II. *Potestas clavium, Matth. XVI.* (quae est explicatio potestatis ligandi et solvendi), *regni* complectitur auctoritatem docendi. Sed potestas clavium simpliciter est potestas iurisdictionis: tum quia id significat locutio *habere claves regni*, scilicet imperium in regnum: tum quia hoc exercetur ligando et solvendo. Ergo. *Ad mai.* Potestas clavium huius regni est potestas in regnum credentium, cuius scilicet formale elementum est professio verae fidei: unde qui habet potestatem in tale regnum, habet potestatem in subditos, prout sunt fideles. Sed qui potestatem obtinet in regnum, ius habet regendi omnes actus subditorum, qui proprii horum sunt, prout spectant ad hoc regnum. Ergo potestas clavium huius regni, uti talis, complectitur etiam ius regendi fidem et professionem fidei omnium, qui sunt per baptismum in Ecclesiam ingressi; quae profecto est auctoritas docendi.

III. Id patet ex praxi Ecclesiae, quae praecepti ritu verae fidei professionem semper exhibuit: *a*) eodem namque decretorum sive canonum nomine appellavit tum fidei tum disciplinae leges, *b*) semperque poenis tam spiritualibus quam corporalibus in contumaces suevit animadvertere: atqui potestas puniendi supponit potestatem prohibendi id, quod punitur, vel praecipiendi id, cuius omissio punitur: unde ipsa auctoritas docendi imponit obligationem eiusmodi profitendi fidem. Ergo

in concreto auctoritas docendi in Ecclesia pertinet ad potestatem iurisdictionis.

Porro quod Romani Pontificis magisterium sit infallibile in iis, quae ad fidem et mores spectant dogmatice definiendis; id ex Iure publ. et Theolog. dogm. constat. In memoriam revocamus *a*) quod Magisterium supremum et universale Ecclesiae est infallibile « qui vos audit me audit », « qui vero non crediderit condemnabitur »: atqui Romanus Pontifex obtinet supremum et universale magisterium. Ergo. *b*) Ex sacris Literis, adhibita simul Patrum exegetica traditione: soliditas enim fidei infallibilis Ecclesiae ab hac Petra, h. e. fide Petri, dependet Ecclesiae immobilitas, Ecclesiae firmitas. Nam *Matth. XVI.* Petrus eiusque successores Romani pontifices dicuntur Petra Ecclesiae, cui tamquam fundamento, ab eoque solidata totius Ecclesiae aedificatio consurgit, atque illa in unum coalescit aedificium. Atqui Ecclesiae aedificium primo construitur fide, quia, ut ait Ambrosius, « Ecclesia est Congregatio, quae in unum annexum corpus atque compactum unitate fidei et charitatis adsurgit »: atqui si Petrus est principium efficiens unitatis et stabilitatis (Petra) debet esse petra fidei, quod esse nequit nisi per fidem. Porro si soliditas, stabilitas, immobilitas et constantia fidei Ecclesiae dependet a fide Petri, 1°. fides Ecclesiae nequit esse firma sine fide Petri; 2°. fides Petri est ex se firma; 3°. non est maior firmitas in fide Ecclesiae, quam in fide Petri: atqui si Romanus Pontifex esset fallibilis seu errare posset; fides eius labilis esset, ac proin firmare non posset fidem Ecclesiae, nec gauderet ea firmitate, qua gaudet fides Ecclesiae.

200. *Probatur 2^m^.* **Dictum magisterium est infallibile in iis, quae cum dictis dogmatibus connectuntur.** Infallibilitas est dos necessaria magisterii supremi et universalis Ecclesiae quae est columna et firmamentum veritatis, quale magisterium obtinet Romanus Pontifex; ergo eo se porriget eius infallibilitas, quo ex officio se porrigit auctoritas suprema et universalis docendi: sed haec sese extendit ad alias quoque veritates cum dogmatibus definitis coniunctas. Ergo.

201. *Probatur 3^m^.* **Magisterium Romani Pontificis ius habet** *praecipiendi aut vetandi quae ad fidem tuendam requiruntur.* Ipse enim Romanus Pontifex potestatem habet quaecum-

que ligandi et solvendi, h. e. vinculo legis cogendi fideles in iis, quae pertinent ad fidem et mores tuendos et propagandos, atque ipse est regula fidei et morum, quam fideles omnes sequi debent, ut maneant in triplici Ecclesiae necessaria unitate, scilicet 1. communionis sive sociali unitate; 2. unitate symbolica, h. e. professionis fidei; 3. unitate rituali: eaque triplici spectata tum formaliter, tum materialiter: atqui non esset talis regula, si Romanus Pontifex non haberet ius huiusmodi.....

202. *Probatur 4^m^*. Ex modo dictis patet Romanum Pontificem **ius habère proscribendi libros**..... secus enim non posset integre et efficaciter tueri in cordibus... omnium fidelium veram fidem et sanctos mores. Factum constans et perpetuum damnationis plurimorum errorum et personarum.....

203. *Probatur 5^m^*. Non solum sanam fidei doctrinam inter fideles tuendi ius et officium incumbit Romano Pontifici; sed etiam **obligatio propagandi christianam Religionem** ubicumque non fuerit diffusa, iuxta Christi Domini verba. « Euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae ». Quod officium et ius sacras expeditiones inter ethnicos instituendi, si omnes tenet Episcopos, a fortiori Romanum Pontificem, cui uni universus Ecclesiae finis pro omnibus concreditus est, nec non cura totius societatis, nominatim Ecclesiae docentis et regentis (quae est ceu unicum medium necessarium omnibus populis) commissa est, et a quo proinde omnis missio et labor operariorum in vinea Domini dependet. Hoc porro exequuti sunt omnibus aetatibus Romani Pontifices, quorum sollicitudini referenda est Evangelii propagatio inter Anglos, Germanos, Helvetios, Hungaros, Bulgaros, atque alios innumeros, in quorum regiones missi sunt vicarii Apostolici et missionarii quotannis plurimi.

Assertum. II.

Competit quoque Romano Pontifici ius ea, quae ad cultum pertinent constituendi, nec non ius canonizandi.

204. *Probatur*. In societate perfecta, qualis est coetus essentialiter religiosus, instituta ad debitum cultum Deo redden-

dum, qualem Deus sibi constituit, debet adesse potestas constituendi ea, quae necessitas aut utilitas divinitus revelati cultus exigit, et praesertim quae faciunt ad ritus divinitus institutos, tuendos atque executioni mandandos: atqui plenitudo potestatis necessariae tali societati seu coetui residet in uno Romano Pontifice.

Speciatim ad cultum quod spectat erga sanctos, ipsi competit ius canonizandi. Nam cum Sanctus canonizatus proponatur colendus *a*) ab omnibus fidelibus et nemo nisi Pontifex Romanus praesit cunctis fidelibus, ipse tantum potest sanctos canonizare. *b*) Accedit quod solemnis canonizatio est una de maioribus causis, quae inter Christianos proponi potest, atque adeo eius cognitio Pontificem spectat. *C. Maiores de Baptismo.* *c*) Deinde, quia miraculorum approbatio inter fidei quaestiones recensetur; sed quaestio fidei ad Romanum Pontificem referenda est, ergo tantum per Pontificem canonizatus publice venerari potest. *Gonzal. de Reliquiis et vener. SS.* unde ibidem *Alexander III. C. Audivimus,* ibi: *Etiamsi per eum miracula fierent non liceret vobis ipsum pro sancto absque auctoritate Romanae Ecclesiae publice venerari.* Urbanus VIII etiam facultatem beatificandi Romanae Sedi reservavit.

Alia est quaestio utrum Romanus Pontifex sit infallibilis in canonizatione Sanctorum, cui respondendum est affirmative: 1°. ob Ecclesiae infallibilitatem in materia morum, ad quam pertinet, ne ordinet cultum superstitiosum; 2°. ob Ecclesiae sanctitatem, ad quam pertinet, ne Sanctorum cultum tribuat homini impio et peccatori; 3°. ob communem Doctorum auctoritatem. Benedictus XIV *de Can. SS. c. 42. n. 27.* cum communi docet: « Si non haereticum temerarium tamen, scandalum toti Ecclesiae afferentem, in Sanctos iniuriosum, faventem haereticis negantibus auctoritatem Ecclesiae in canonizatione Sanctorum, sapientem haeresim utpote viam sternentem ad irridendum fideles, assertorem erroneae propositionis, et gravissimis poenis obnoxium dicemus eum, qui audet et asserere Pontificem in hac vel illa canonizatione Sanctorum errasse, hunc que aut illum sanctum non esse cultu duliae colendum: quemadmodum assentiuntur etiam illi, qui docent de fide non esse hunc aut illum canonizatum Sanctum ». *Cf. S. Th. quodlib. 9. q. 8. a. 1.*

Assertum. III.

Ex particularibus iuribus, quae Romano Pontifici pro suo Primatu competunt in ordine ad ipsum regimen supremum totius Ecclesiae recensetur speciatim 1) **ius leges quascumque pro universa Ecclesia ferendi;** 2) **ius dispensandi in generalibus Ecclesia legibus;** 3) **ius approbandi ordines regulares;** 4) **ius tuendi custodiam sacrorum canonum.**

205. *Probatur 1m.* **Ius leges quascumque ferendi;** *a*) definitum est enim a Florentina Synodo: « Supremo Ecclesiae capiti, i. e. Romano Pontifici, pascendi, regendi et gubernandi universam Ecclesiam a D. N. I. C. plena potestas tradita fuit »; atqui subiectum in quo residet plena potestas gubernandi societatem perfectam debet pollere iure leges quascumque ferendi, prout postulat societatis finis; ergo: *b*) Potestas Romani Pontificis in universam Ecclesiam est potestas vere coactiva et suprema, h. e. obligans in conscientia contumaces et invitos omnes: atqui haec involvit potestatem legiferam. Ergo.

206. *Probatur 2m.* **Ius dispensandi in generalibus Ecclesiae legibus.** Regula namque est legislatorem vel eius successorem in sua lege, vel in lege antecessoris sui posse dispensare, cum eius sit solvere cuius est ligare, quod praeter Sacras Scripturas et Patrum traditionem probatur ex Innocentio III, qui de sua auctoritate ita sententiam profert: « *Qui secundum plenitudinem potestatis de iure possumus supra ius dispensare* ». *C. Proposuit, de concess. praebend.*

207. *Probatur 3m.* Scilicet **Ius approbandi ordines regulares.** Nam, *a*) si praesertim fideles Ecclesiae iudicium requirunt, huic ius est per constitutas normas ac leges efficaciter dirigere cooperationem hominum ad sanctificationem obtinendam atque omnigenam, quo fieri potest, sanctitatem promovendam: atqui ad sanctitatem pertinet professio perfectionis procurandi per tria vota in communitate degendo; sed omne ius Ecclesiae docentis et regentis residet in uno Romano Pontifice ut in capite et in fonte: ergo. Et merito fideles Regulares nonnisi ab Ecclesia hanc approbationem expectare possunt, quia absque tali approbatione ordines regulares neque securitatem neque immobilitatem nanciscerentur.

b) Ad Summum Pontificem spectat insuper quod ad rectam Ecclesiae administrationem conducit, uti ius approbandi ordines regulares: ad ipsum dirigere pertinet illum statum, quem Christus instituit et moderandum reliquerit Ecclesiae suae, sicut omnia instituta a Christo Domino. Idque eo vel maxime, quod activitatem suam exercere debuissent eiusmodi Regularium Instituta in universo terrarum orbe.

c) Hinc ius aliud consequitur modificandi vel supprimendi eiusmodi ordines, concedendi privilegia et exemptiones ad uniformitatem stabilitatemque disciplinae servandam, ad existentiam, activitatemque tuendam: et tandem ius solvendi religiosos a votis, quamvis non statum ipsum religiosum, de cuius essentia sunt ipsa vota. *Cf. infra de Reg.* Iure ergo meritoque Concilium Lateranense IV. et Lugdunense II. decreverunt, ne deinceps *sine Apostolicae Sedis approbatione ullus existeret ordo. Cap. fin. de Relig. dom. et C. un. eod. tit. in 6.*

208. *Probatur 4^m^.* **Ius tuendi custodiam sacrorum Canonum**: sicut enim in qualibet recte ordinata societate qui curam universam illius habet, habet ius non tantum condendi leges, sed eas tuendi, applicandi, atque executioni mandandi, ita Romanus Pontifex officium habet et ius naviter curandi, ut sacri canones ab omnibus serventur. Hinc Bonifacius I. *ep. V. ad Hilar. Arelat.* ait: « Convenit Papas paternarum sanctionum diligentes esse custodes ». Nec tantum custodes, sed vindices, h. e. cum iure in eorum violatores animadvertendi. « Quisquis conatus fuerit, *ait Caelestinus I. ep. ad Episc. per Apuliam et Calabriam,* tentare prohibita, sentiat censuram Apostolicae Sedis minime defuturam. Quae enim sola admonitione auctoritatis non corrigimus, necesse est per severitatem congruentem regulis vindicemus ». Et *Leo M. ep. ad Episc. per Campaniam, Picenum et Tusciam:* « Omnia Decretalia constituta tam beatae memoriae Innocentii, quam omnium Decessorum nostrorum, quae de ecclesiasticis ordinibus et canonum promulgata sunt disciplinis, ita a vestra dilectione custodiri debere mandamus, ut si quis in illa commiserit veniam, sibi deinceps noverit denegari ».

Assertum. IV.

Inter celebriora iura primatus Romani, sicut antecedentia ita et sequentia competunt, videlicet ius 1) exercendi potestatem ordinariam et immediatam; 2) erigendi novas et supprimendi veteres dioeceses; 3) creandi Episcopos; 4) reservandi sibi beneficia; 5) concedendi exemptiones; 6) recipiendi a singulis Episcopis relationes status suarum dioeceseon; 7) recipiendi appellationes; 8) ius reservandi sibi causas maiores; 9) ius tandem convocandi, moderandi, confirmandi Concilia oecumenica.

209. *Declaratur et prob.* I^m. *Ius exercendi potestatem ordinariam et immediatam Romano Pontifici competit:* quia hanc habet illimitatam et inimpedibilem a quacumque humana auctoritate, prout definivit Concilium Vaticanum. Ergo cum facultas propter actum, potest, et, si necessitas aut utilitas exigit, potest et debet exercere.

II^m. *Erigendi novos Episcopatus* et Hierarchiam ecclesiasticam, vel eos supprimendi, e. g. ad aliquod atrox crimen puniendum, uniendi, seiungendi ius habet is, qui ordinariam et immediatam iurisdictionem obtinet in universam Ecclesiam, et in dioeceses omnium Episcoporum.

III^m. *Romano Pontifici competit creatio Episcoporum;* secus ab ipso constituti Episcopi non essent veri et legitimi Episcopi et Pastores: atqui Tridentinum *Sess. 23. can. 8.* decrevit: « Si quis dixerit Episcopos, qui auctoritate Romani Pontificis assumuntur, non esse legitimos et veros Episcopos, sed figmentum humanum, anathema sit ». Illi uni competit ius constituendi legitimos Episcopos, qui potest dare legitimam missionem, et sine quo nullus Episcopus potest iurisdictionem suam exercere, qui est Romanus Pontifex; a Tridentino autem *Sess. 23. can. 7.* requiritur legitima missio.

IV^m. *Reservandi sibi beneficia* ius habet Romanus Pontifex, cum ex iure communi ius habeat amplissimam potestatem conferendi beneficia ecclesiastica et quidem omnia per totum mundum, licet hac potestate uti non semper soleat, *C. 2. de Praeb. in 6:* est autem Ordinarius Ordinariorum et universali iurisdictione potitur. *Clem. I.*

V^m. *Ius concedendi exemptiones* pariter habet, quia ipse unus potest subtrahere alicui dioecesi partem aliquam gregis, eamque alteri subiicere, vel tantum sibi immediate subiectam relinquere.

VI^m. *Ius recipiendi a singulis Episcopis relationes status* suarum dioeceseon habet Romanus Pontifex, quia habet plenitudinem potestatis pro regenda et gubernanda universa Ecclesia: secus enim non posset satisfacere tanto officio supremi Rectoris et Pastoris universalis ac particularium Ecclesiarum; quod patet etiam ex praxi constanti.

VII^m. *Ius recipiendi appellationes* habet ex natura Primatus. Iure enim naturae sancitum est, ut in societate ille, qui suprema, immediata et plena gaudet potestate, sit supremus iudex, qui omnium causas iudicare potest, et a quo ceterorum iudicum potestas sit dependens; a quorum proinde iudicum iudicio possit ad eius iudicium provocari. Potestas enim iudicandi est pars iurisdictionis socialis; ergo, qui plenam potestatem habet, eamque immediatam in omnes, et cum potestas plena non sit nisi una, ceteri habent derivatam et dependentem ab ipso; ipse potest de omnibus iudicare.

VIII^m. *Ius reservandi causas maiores* habet Romanus Pontifex. Nam *causae maiores* dicuntur quae supremo Principi reservantur, minores quae a ceteris pastoribus expediuntur. Porro sicut quaedam causae maiores, cum sint delegabiles, facta delegatione fiunt ceu minores; ita quaedam causae de se minores, si Summus Princeps sibi reservet, fiunt maiores. Potest eiusmodi causas sibi reservare Romanus Pontifex ex suprema potestate legifera, iudiciaria, coactiva, qua plenissime pollet ipse in omnes fideles eorumque pastores, sive seorsim sive collective sumptos.

IX^m. *Ius convocandi, moderandi et confirmandi Concilia oecumenica* habet Romanus Pontifex, in quibus actio est communis, et *conciliaris* dicitur: 1°. *Convocandi* convocatione scilicet coactiva; illius est enim iubere Episcopos omnes convenire, qui in eos omnes iurisdictionem habet, et praesertim convenire ad ferendas leges obligantes omnes fideles, ille cui universa Ecclesia est commissa; 2°. *moderandi*, scilicet praesidendi conventibus Episcoporum potestate iurisdictionis, qua tum Epi-

scopos ipsos valeat regere communi actione in Concilio agentes, tum materiam determinare, circa quam deliberandum sit pro universa Ecclesia. Sed hanc unus Romanus Pontifex obtinet pro universa Ecclesia. Ergo; 3°. *confirmandi,* quia ut lex aliqua obliget universam Ecclesiam requiritur consensus expressus vel tacitus illius, qui unus totius Ecclesiae curam habet, cum plena potestate legifera, iudiciaria, coactiva; atqui: ergo.

Summarium. — Supradicta et cetera eiusmodi iura, quae sive pro rei natura ad Romanum Pontificem pertineant, sive in praesenti Ecclesiae disciplina eidem reservata sint, ad tria capita revocari atque ordinari possunt, quorum scilicet 1) continet ea, quae involvunt supremam potestatem eiusque necessario propria sunt; 2) ea omnia in quibus unitatem in Ecclesia servari necesse est; 3) continet ea in quibus eamdem servare unitatem saltem decet aut expedit.

210. *Declaratur 1m.* Iura Romani Pontificis ordinari possunt sic, ut 1°. ea contineant, quae supremam potestatem involvunt, eiusque necessario propria sunt, i. e. *a) quae pertinent ad ius commune* vel statuendum vel mutandum, *C. 6. ca. 16. q. 1. et c. 1. de Const. in 6,* vel declarandum vel dispensatione relaxandum, *C. 4. de Concess. Praeb. Prop. 8. inter damn. Petri Oxomensis; Cf. Zaccaria Antifebr. P. 2. l. 2. et Antif. vindic. dissert. 6. c. 1. 2. 3; b) ius recipiendi appellationes* a quovis ecclesiastico tribunali, *Cf. Zaccaria l. c. Antif. P. 2. l. 3. et Antif. vind. Dissert. 8. c. 5. et 6; c) ius in supremo gradu iudicandi* ita, ut a Romani Pontificis sententia appellari ad aliud tribunal non possit, *Bonif. I. ep. 15. apud Const.; Pius II. Const. Execrabilis 1 Feb. 1459; Iulius II. Const. Suscepti regiminis 1 Iulii 1509; Bulla coenae* § *2; Zaccaria Antif. P. 2. l. 4. c. 5;* idque sub poena excommunicationis ipso facto incurrendae, interdicti vero, si de universitatibus agatur; itaque insuper ut appellantes veri schismatici et de fide male sentientes iudicari debeant, *Pius II. et Iulius II. Const. cit. Giraldi P. 1. Sect. 308. nota; d) Ius episcopatus constituendi, can. 1. dist. 22; Zaccaria Antif. P. 2. l. 1. c. 7,* eosve uniendi, vel dividendi, *C. 8. de Excessib. Prael. ibique Glossa v. Pertinere,* atque ipsos Episcopos

creandi vel confirmandi, *C. 16. de Elect. in 6; Zaccaria Antif. P. 2. l. 1. c. 4. et Antifeb. vind. Dissert. 8. c. 2,* eosque transferendi, *C. 2. et 4. de Transl. Episc.; Zaccaria l. c. c. 6. et Antif. vind. dissert. 8. c. 4,* vel deponendi; *e) Ius mittendi legatos,* sive ordinarios sive extraordinarios, in quamlibet Ecclesiae partem cum ea iurisdictione, quam ipse Romanus Pontifex opportunam existimaverit. *Pius VI. in Brevi de Nunciaturis Apost. 16 Nov. 1789. c. 8.*

211. Qua de re animadvertenda sunt seqq.: 1°. Haec omnia nativo iure ad supremam Primatus auctoritatem per se pertinent, praesertim cum Episcopi ex divina Ecclesiae constitutione (Patriarchis scilicet et Metropolitis ecclesiastica adeoque pontificia auctoritate et consensione deinceps institutis) Romano Pontifici immediate subiiciantur, *Barb. de Off. et pot Episc. P. 1. pag. 18. n. 4;* nihilominus aliquando eorumdem Romanorum Pontificum approbatione et consensu per Metropolitas aut Patriarchas fuerunt exercita, deinde iterum a Romanis Pontificibus, praesertim in Occidente, ad se iure reservationis merito revocata sunt.

2°. Dignitas ipsa Patriarcharum tota quanta est, subest Romano Pontifici: multoque magis iura, quae ad ipsos delata fuerint. Etiam ex nativis iuribus, quae ex iure divino Episcoporum sunt propria, si Romanus Pontifex potest sibi reservare, quae opportuna iudicaverit (cum haec delata Episcopis sint sub ea conditione ut dependeant a Romano Pontifice); multo magis quae sint ex iure ecclesiastico.

Tandem 3°. Haec circa Episcopatus et Episcopos Pontificii Primatus iura, quae sub literis *d* et *e* modo indicata sunt, parcius exercita sunt, atque exercentur in Oriente; ita ut Orientalis hac de re oeconomia a consensu potius atque approbatione Romanorum Pontificum, quam a directa eorumdem auctoritate vim habeat. Nihilominus hanc ipsam auctoritatem identidem etiam in Oriente Romani Pontifices exercuere. *Bianchi dell' esterior polizia della Chiesa l. 3. c. 4. § 4. n. 3.* Huc etiam referri potest communior et vera catholicorum doctrina, quae statuit, Episcopos iurisdictionem suam a Pontifice Romano habere. Animadverti etiam debet, spectata institutione divina, Episcopos esse indiscriminatim primos Pastores post Romanum

Pontificem, quandoquidem gradus qui constituti sunt inter Episcopos, ecclesiasticae, uti diximus, sunt institutionis.

212. *Declaratur 2^m. Hoc secundum caput complectitur* **ea, in quibus servari unitatem est necesse.** Itaque sub hoc respectu Romano Pontifici competunt ipso iure *causae maiores, c. 3. de Bapt.,* cuiusmodi praecipue sunt *causae fidei, C. Quoties 12. ca. 24. q. 1,* de quibus scilicet aliqua sit dubietas, *Glossa in d. C. Quoties v. Nisi ad Petrum;* quo proinde in casu Episcopi, qui etsi iudices fidei sint, non sunt tamen supremi, neque independentes, neque infallibiles, nisi quatenus Romano Pontifici adhaerent; rem nequeunt definire, sed tantum in foro externo provisorio iudicio ea possunt indicere, quae submovendis scandalis necessaria sunt; *Cf. Zaccaria Antif. vind. Diss. 5. c. 1;* quo etiam faciunt, quae habet Benedictus XIV. *de Synod. dioec. l. 7. c. 8.*

Dixi inter *causas maiores,* quae in genere ad Romanum Pontificem pertinent, eas *praecipue,* quae de fide sunt recenseri. Etenim praeter eas, aliae sunt, quae item maiores dicuntur, adeoque foro Romani Pontificis omnino competunt: nimirum 1°. causae *difficiliores,* ad quas scilicet recte dirimendas declaratio Principis necessaria est, *Bonif. 1. ep. 15. n. 6. apud Constant.; Charlas de libert. Eccl. gal. l. 6. c. 5. n. 2,* quando praesertim habetur obscuritas iuris; 2°. causae *difficilioris executionis,* quae nimirum absque vi et auctoritate supremi in Ecclesia Principis expediri nequeunt, *Cf. Charlas l. c.;* 3°. *causae* quaedam *graviores,* quae scilicet vel ad statum Ecclesiae pertinent, ut quidam loquuntur, vel quae intersunt ad totam Ecclesiam quaeque iurisdictionem in totam Ecclesiam quodammodo involvunt, e. g. Canonizatio Sanctorum, qua scilicet eorum cultus per totam Ecclesiam praecipitur: haec omnia proinde ipso iure pertinent ad Romanum Pontificem. *De Canonizat. Cf. Fagn. C. Cum ob Eccles. de Off. Ord. n. 57.* Sanctorum Beatificatio olim ab Episcopis intra proprias tantum dioeceses decernebatur: *iure* tantum reservationis ad Romanum Pontificem iam nunc spectat. *Bened. XIV. de Canoniz. SS. l. 1. c. 10. n. 6. seqq.* Quae tamen omnes, licet maiores causae dicantur, non ex hoc tantum principio, de quo heic agimus, ad Romanum Pontificem deferuntur, quod centrum sit fidei,

et communionis; sed ex altero superius posito, quod supremus in Ecclesia Princeps est.

213. *Declaratur 3^m.* At **ratione unitatis**, quam servare sin minus necesse sit, **saltem decet atque expedit,** competit Romano Pontifici iure reservationis *Ius mutandi* et corrigendi missale et breviarium. *Trid. Continuat. Sess. 25. Decr. 3; Pius V. Constit. Quod a nobis 9 Iul. 1568. et Constit. Quo primum 14 Iul. 1570.* Item ius approbandi, reformandi, supprimendi ordines religiosos, deque eorum causis iudicandis. *Zaccaria Antif. P. 2. l. 5. c. 1. et Antifeb. vind. Dissert. 10. c. 4; aliique complures.*

III. DE PARTICULARI ROMANI PONTIFICIS POTESTATE QUAM IN CERTAS ECCLESIAE PARTES IPSE EXERCET.

Summarium. — Praeter generalem potestatem, quam in totam Ecclesiam habet Romanus Pontifex, particularem in certas Ecclesiae partes exercet, quae Episcopalis in Urbe Roma, Metropolitica et Primatialis in Italia, et Patriarchalis in Occidente audit.

214. *Declaratur.* Quadruplici praecipua distinguitur species particularis potestatis, quam in certis Ecclesiae partibus exercet Romanus Pontifex: I^a. *Episcopalis,* quam habet in urbem Romam, quaeque est illa dignitas, cuius vi idem Pontifex successor est Petri, adeoque in universam Ecclesiam Primatum habet ita, ut duo haec nulla unquam possint auctoritate humana separari. *Bened. XIV. De Syn. dioec. l. 2. c. 1; confer quae diximus in Iure publico Ecclesiastico.*

II^a. *Metropolitica,* quae episcopatus complectitur, qui sunt inter Provinciam Pisanam et Capuanam, *Bened. XIII. Const. Redemptor noster 24. Dec. 1724,* ita tamen, ut *a*) excipi ab eo tractu debeant archiepiscopatus seu Provinciae, quae intra eumdem constitutae sunt, i. e. Ravennatensis, Florentina, Senensis, Urbinatensis, Firmana, Bononiensis, *Bened. XIV. de Syn. l. 2. c. 2. n. 3,* et Camerinensis, cui scilicet Episcopatum Treiensem a se restitutum Pius VII. *an. 1816.* suffraganeum fecit. *b*) Contra addi (improprie tamen) possint 1°. omnes episcopatus, quos S. Sedes sibi immediate subiecit; 2°. archiepisco-

patus, qui nullas habent Ecclesias suffraganeas. *Cf. cit. Const. Redemptor noster 24 Dec. 1724.*

III^a. *Primatialis*, quae ad totam Italiam extenditur, *Bened. XIV. l. c. n. 1;* unde plures a Romanis Pontificibus scriptae reperiuntur Constitutiones pro sola Italia atque insulis adiacentibus.

IV^a. *Patriarchalis*, quae Occidentem totum complectitur. *Bened. XIV. l. c. et Devoti Inst. can. l. 1. tit. 3. § 34. nota.* Ceteri enim qui patriarchali nomine in Occidente ornati reperiuntur, ut Episcopus Venetus et Ulyssiponensis, ii Patriarchae minores sunt, quorum proinde dignitas infra patriarchalem proprie dictam statuenda est, ac Primatiali fere aequiparanda. *Devoti l. c. § 37.*

215. *Appendix I^a.* Has vero quatuor *praecipuas* dixi species particularis potestatis Romani Pontificis, quia illis recte addi potest *quinta*, i. e. *politica*, quam a vetustissimis temporibus in terris, quae Ditio Pontificia audit, Romanae Sedi attributam idem Summus Pontifex exercere debet. Licet enim natura sua ea non sit ecclesiastica, talis nihilominus facta est vi donationum, quibus praedictae regiones Ecclesiae Romanae addictae sunt, non secus ac cetera bona, quae Deo dicantur. De qua quidem potestate hoc nunc monuisse operae pretium est, erroneam, ut *minimum* dicam, esse propositionem, quae a nonnullis asseritur, eam cum potestate spirituali incompatibilem esse. Id non modo re et facto, sed etiam disertis expressisque verbis Romani Pontifices ac praesertim Pius IX. et Leo XIII. declararunt, nempe earumdem potestatum coniunctionem opportunissimam in eo esse ac divina Providentia institutam, ut ipsa spiritualis potestas facilius atque liberius exerceatur, quemadmodum videre est ex eiusdem Pii IX. et omnium Episcoporum ad ipsum literis, quas pluribus voluminibus collectas edidit *La Civiltà Cattolica an. 1861.*

Appendix II^a. Ad supradictam potestatem et dignitatem consequuntur iura honorifica, e. g. I. Ius praecedentiae, quoad omnes semper, ubique. II. Inter eius dignitatis insignia recensentur speciatim 1°. Crux, quae semper ante ipsum praefertur; 2°. *triregnum* sic dictum, vulgo *Tiara*, cuius origo iuxta quamdam antiquam traditionem a Clodoveo vel Constantino re-

petenda videtur. Nicolaus II. duplici (1064), Clemens vero V. triplici (1314) usus est corona; 3°. Pallium, quod semper et ubique gerit cum ipsi libuerit; 4°. fanon vel favon, flabella, gestatoria sella; 5°. Pedum rectum, quod vocant quidam, est parvus baculus crucem in sublimi exhibens, quem raro gerit Romanus Pontifex, qui numquam baculo pastorali utitur. *C. un. de Sacra Unct.* Compellatur nomine *Sanctissimi Patris,* vocatur *Sanctitas, Beatitudo, Pontifex maximus* vel *summus Christi Vicarius* vel communius *Papa.* Usitatissimo vocabulo quod a Gregorio M. ortum habuit Romanus Pontifex semetipsum vocat *servum servorum Dei.* Ab Imperatoribus Iustino et Iustiniano usum, Byzantinis communem...., pedes Pontificis osculandi repetunt.

TITULUS XV.

DE S. R. E. CARDINALIBUS.

I. DE ORIGINE, SUBSTANTIA, SUBIECTO, ONERIBUS CARDINALATUS DEQUE EIUS RITU ACCIDENTALI.

Summarium. — Ad Cardinalium creationis substantiam sufficit 1) **una Romani Pontificis voluntas,** 2) **cui praerequiritur capacitas subiecti, et adiiciuntur, ceu** 3) **ritus, bireti et galeri rubri impositio, quaeque audit occlusio et aperitio oris;** 4) **obligationes vero illorum versantur circa officii proprii executionem ac specialem vitae honestatem.**

Praenotandum.

216. A Romano Pontifice ad eius adiutores praesertim collaterales descendamus. Adiutores Romani Pontificis, qui simul eius administri recte dici queant, ii sunt, qui eiusdem Curiae sunt adnexi. Eiusmodi autem praecipuam in Curia partem obtinent Cardinales, *Fagn. C. Bonae memoriae de Postul. n. 34. et C. Ex gestis de Cler. non resid'n. n. 12.* Agunt *de Cardinalibus* Canonistae in *l. 1. tit. 31.,* tum *Cohellius Iacob., Platus* seu *Piatti Hieron., Manfredus Hieronymus; Tamagna, Origini e prerogative dei Cardinali; Germanius, de Indultis Card.; Albitius, de Iurisd. Cardinal.; Brancatius, de Privilegiis Cardin. in propriis Cappellis; De optione seu Episcopatu Card.....* aliique. Nos hic

tum ad doctrinae integritatem, tum, ut tantae dignitati honorem debitum exhibeamus, breviter hoc in titulo percurremus, quae pertinent ad eorum creationem, obligationes, potestatem, privilegia : sed prius ipsorum historica origine breviter indicata, nec non Collegii Cardinalium notione tradita.

Ad **historiam** quod spectat sciendum est 1°. quod Cardinalium nomen iis dabatur iam antiquitus per plura saecula, qui Ecclesiarum Cathedralium clerum constituebant, Presbyterium illarum dictum, uti ostenditur etiam ex titulis presbyteralibus, qui cum munere parochiali, praesertim Romae, prius coniungebantur, ut etiam ex diaconis, quibus officia quaedam determinatis locis circa egenos atque infirmos incumbebant. Porro in Ecclesia Romana Presbyterium erat, ut in ceteris Episcopatibus, Collegium sacerdotum seu Presbyterorum, qui dicebantur senatus, quique adiutores erant Episcopi, hoc tamen discrimine inter Romanam et alias Ecclesias, ut Romanus Pontifex, pro rerum gravitate et dignitate sua, aliquos etiam Episcopos eligeret, non solum ad Romanae, sed etiam ad universalis Ecclesiae negotia administranda una cum ipso Pontifice.

2°. Propagata magis magisque Ecclesia, auctisque Ecclesiae negotiis, incommodum erat, et fortasse perniciosum, evocare tam saepe Episcopos e suis sedibus. Hinc aucta ac prope fundata Clericorum Romanae Ecclesiae dignitas et auctoritas, qui ex eo tempore tamquam in unum coaluit corpus, ac verus senatus effectus.

3°. Aucta vero potestate atque auctoritate, naturale erat augeri honores, opes, titulos. Hinc in suis titulis, qui primum fere parochis aequiparari solent, aequiparati sunt Episcopis, tum dignitate Episcopis ipsis praelati ita, ut ad hanc, qua modo fruuntur, dignitatis pervenerint amplitudinem.

4°. Itaque Collegium Cardinalium « est sacer Ecclesiae Ro-« manae senatus septuaginta viris ad summum constans, et tres « in ordines distributus ita, ut quatuordecim diaconi habeantur, « quinquaginta presbyteri sex autem viciniorum Episcopatuum, « qui suburbicarii dicuntur, sint Episcopi, quorum proinde of-« ficium in eo est, ut Romano Pontifici in regimine Ecclesiae « universae consilio suo opem ferant, *Trid. Sess. 25. C. 1;* adeo-« que fit, ut unum corpus cum eo efficiant, *Syxtus V. Const. Post-*

quam 8 Dec. 1586; Manfredi de Cardinalatu Dec. 381; Fagn. in C. Ex gestis de Cleric. non residen.; adeoque etiam Episcopis dignitate antecellant, licet iisdem sint ordine inferiores. *Eugen. IV. Const. Non mediocri 1438.* Sex viciniores Episcopatus sunt 1. Hostiensis, cui additus Veliternus; 2. Portuensis, cui additus S. Rufinae seu Silvae candidae; 3. Albanensis; 4. Praenestinus; 5. Sabinae; 6. Tusculanus.

217. *Declaratur 1m.* **Ad Cardinalium creationis substantiam sufficit** Romani Pontificis voluntas. Scilicet creatio quoad rei substantiam fit sola Romani Pontificis voluntate sufficienter declarata, quae quidem de plenitudine potestatis solo nudoque verbo exprimi potest, *Card. Petra Comment. in Const. Apostol. Sedis ad Const. 1. Eugen. IV. n. 4:* de iure autem ordinario denuntiari solet in Consistorio seu conventu Cardinalium secreto, requisito eorumdem consilio per consueta verba: « *Quid vobis videtur* » ac deinde facto promotionis decreto. *Petra l. c. n. 15.*

Unde sequitur effectus notabilis in iure *a*) Cardinalem ita renunciatum verum esse Cardinalem, adeoque, si Apostolica Sedes interim vacet, posse in electione Romani Pontificis suffragium ferre, etiamsi Cardinalatus insignia nondum acceperit. *Pius V. Const. Quia aliquando 26 Ian. 1571, apud Card. Petra l. c. n. 9. b*) Eiusmodi Cardinalium offensores, incidere in poenas, quae adversus offensores Cardinalium latae sunt. *Petra l. c. n. 7.* Sicut autem Romani Pontificis voluntate creari, ita eiusdem Pontificis una voluntate deponi possunt Cardinales, uti depositi fuerunt Iacobus et Petrus de Columna a Bonifacio VIII, *C. un. de Schism. in 6,* Carolus de Lomenie de Brienne a Pio VI. 1791.

218. *Declaratur 2m.* **De legitimo Cardinalatus subiecto,** seu de personis, quas ad hanc dignitatem evehi decet, hoc in primis animadvertendum est, leges ea de re latas proprie tales dici non posse, quia ne Romanus quidem Pontifex potest successoribus suis legem imponere, sed iisdem tantum indicare, quid honestum sit sequi. *C. ult. de Rescrip. in 6. ibique Glossa v. Iudicamus; Cohell. de Cardinalatu c. 9. § Verum.* Hoc sedulo animadvertatur. Nam saepe fit ut contra S. Sedem viri praecipue potentes audeant insurgere, afferentes aliquam legem seu

constitutionem, quam in eorum favore aliquis e Romanis Pontificibus, retroactis temporibus, concessit; quia 1) non potuit restringere potestatem successorum; par enim in parem nullum imperium habet; 2) successores nec debent quidem sequi, si Ecclesiae bonum secus exigat; 3) imo ne ii quidem Pontifices, qui concesserunt, si circumstantiae, iis adhuc viventibus, mutentur, possunt permanere in concessione. Iura Romani Pontificis alienari nequeunt, quia sunt connexa cum onere iisdem divina adeoque ineluctabili auctoritate imposito.

Potestas autem in aedificationem non in destructionem acceperunt a Christo Domino Romani Pontifices, adeoque non habent liberam facultatem cum detrimento Ecclesiae. Hisce praemonitis, sciendum est complures a Sixto V. *Constit. Postquam 3 Dec. 1586,* Cardinalatus incapaces dictos esse: *a*) Quicumque defectu aliquo laborant, quo promoveri ad ordines non possint; *b*) illegitimi, licet deinceps legitimati fuerint, etiam per subsequens matrimonium; *c*) qui filios aut nepotes etiam ex legitimo matrimonio habent; *d*) qui Cardinali adhuc viventi 1°. vel 2°. consanguinitatis gradu coniuncti sunt. *Cf. Cohell. de Card. c. 9.*

219. *Declaratur 3^m^.* Licet autem ad substantiam actus non pertineant, nihilominus adiiciuntur creationi **quidam ritus,** quorum praecipui sunt: *a*) **Impositio bireti rubri,** quod quidem in Curia praesentibus ab ipso Romano Pontifice, absque ulla solemnitate, imponitur; absentibus mittitur per aliquem Romani Pontificis familiarem, *Petra l. c. 19;* quo tempore iurare iidem debeant, se intra annum ad Urbem accessuros, sub poena privationis dignitatis eiusmodi ipso facto incurrenda, *Syxt. V. Constit. Postquam* § *19. 3 Dec. 1586; b*) **impositio galeri rubri,** in quo est Cardinalatus insigne, quique solemniter coram ceteris Cardinalibus ab eodem imponitur Romano Pontifice, *Petra l. c. n. 16; c*) **occlusio oris,** quae fit in sequenti Consistorio, qua scilicet novus Cardinalis inhibetur a Romano Pontifice in Consistorio loqui, donec ei os aperiatur, *Petra l. c. n. 17; d*) **aperitio oris,** quae in altero aut in tertio Consistorio fit, quaque facultas eidem fit in Consistorio loquendi, quo etiam tempore annulus ei traditur, et titulus assignatur, i. e. aliqua ex illis

Ecclesiis, quibus in Urbe titulus Cardinalatus est adnexus. *Petra l. c. n. 17.*

220. *Declaratur 4^m^.* Quod vero attinet ad **obligationes et onera,** eaedem ample exponuntur et inducuntur a Leone X. *Const. Supernae 5 Maii 1514,* quarum praecipuae ad tria haec capita revocari possunt:

I. *Ad officii proprii executionem:* quo pertinet *a*) consilio suo Romanum Pontificem iuvare sive in sacris Congregationibus, quibus ab eodem adscripti sint, sive quotiescumque ab eo fuerint requisiti, cit. *Const. Supernae n. 28; b*) tituli sui loca eorumque personas singulis saltem annis visitare atque in earum vitam inquirere. *d. Const. n. 19. et Syxtus V. Const. Religiosa 13 April. 1587. § 12.*

II. *Ad leges, quae rectae officii executioni sunt necessariae:* quo pertinet α) Onus in Romana Curia residendi ita, ut sine Romani Pontificis venia non possint ab Urbe recedere, multoque minus a statu ecclesiastico, *Innoc. X. Constitut. Cum iuxta 19 Febr. 1646; Fagn. in C. Ex gestis de Cler. non resident. n. 12. seqq.,* iis tamen exceptis, qui episcopatum (qui e sex suburbicariis non sit) obtinent. *Urban. VIII. Const. S. Synodus 12 Dec. 1634; Fagn. in C. Qualiter 9. de Cler. non resid. n. 22. et in C. Bonae memoriae de Postul. Prael. n. 27. et 38.* β) Lex silentii servanda quoad Collegarum suffragia in Consistorio emissa. *d. Const. Supernae n. 30.* Summum Pontificem adiuvant Cardinales, praesertim in Consistorio, quo nomine venit Cardinalium consessus, cui summus Pontifex praeest. Consistorium sic dicitur, quia simul consistit Papa cum Cardinalibus, et duplex est ordinarium scilicet et extraordinarium. Ordinario, quod dicitur etiam *secretum,* intersunt Cardinales tantum; extraordinario vero, quod est publicum, et magis solemne, praeter Cardinales assistunt alii Praelati et Ministri. In Consistoriis graviores Ecclesiae causae tractantur, et quaedam maiora beneficia conferuntur, quae ideo consistorialia appellantur.

III. *Ad vitae honestatem,* quo pertinet modestia ac frugalitas a fastu abhorrens, tum comitas in excipiendis omnibus, praesertim vero Episcopis, quos honorifice haberi decet, atque alia eiusmodi. *d. Const. Supernae n. 16. seq.*

Ad haec confirmanda sufficiat referre Tridentini verba *Sess. XXIV. c. 1. de Ref.*: « Ea vero omnia et singula, quae de Episcoporum praeficiendorum vita, aetate, doctrina et ceteris qualitatibus in eadem synodo constituta sunt; decernit eadem etiam in creatione S. R. E. Cardinalium, etiam si diaconi sint, exigenda, quos SSmus Romanus Pontifex ex omnibus Christianitatis nationibus, quantum commode fieri poterit, prout idoneos repererit, assumet. Postremo eadem s. Synodus tot gravissimis Ecclesiae incommodis commota, non potest non commemorare, nihil magis Ecclesiae Dei esse necessarium, quam ut beatissimus Romanus Pontifex, quam sollicitudinem universae Ecclesiae ex muneris sui officio debet, eam hic potissimum impendat, ut lectissimos tantum sibi Cardinales adsciscat et bonos maxime atque idoneos Pastores singulis Ecclesiis praeficiat: idque eo magis, quod ovium Christi sanguinem, quae ex malo negligentium et sui officii immemorum pastorum regimine peribunt, Dominus N. I. Christus de manibus eius sit requisiturus ».

II. DE CARDINALIUM POTESTATE.

Summarium. — Breviter 1) exponitur Cardinalium potestas, sive propria muneris singularis, quod cuique delatum est, sive communis, quam habent suis in titulis, aut quam exercent Sede vacante. Porro 2) recensentur privilegia quibus fruuntur Cardinales, tam communia cum Episcopis, quam ipsorum propria.

221. *Declaratur 1m.* **Potestas Cardinalium** duplex distingui potest, alia particularis, alia communis: particularis est propria singularis muneris, quod cuique delatum est, ut Vice-Cancellarii, Camerarii, Poenitentiarii, Vicarii Generalis, Prodatarii, a Secretis Brevium, a Secretis Memoralium, Praefecti alicuius S. Congregationis, Archipresbyteri alicuius e tribus maioribus Urbis Basilicis, Decani totius S. Collegii etc., de quibus consuli possunt *Cohell., Plettenberg, Notitia Congregationum et Tribunalium Curiae Romanae,* aliique. Quoad Cardinalem Poenitentiarium consulenda omnino est Constitutio Benedicti XIV. *Pastor bonus 13 Apr. 1744.* Quoad Datarium et

Secretarium Brevium *Const. eiusd. Gravissimum 1 Dec. 1745 et Amydenus de Off. et iurisd. Datariae.* Quoad Cardinalem Vicarium *cf. Petra Comment. Const. Apost. ad Const. I. Pauli II.* Et ut brevissima notio horum officiorum nominis tradatur; *Vice-Cancellarius* est iudex in iis, quae spectant ad expeditiones iuridicas Bullarum, omniumque literarum Apostolicarum (exceptis Brevibus). Ad haec traduntur Vicecancellario decreta in Consistoriis Cardinalium facta. *Camerarius* curat redditus Camerae Apostolicae, quod tamen hodie fit per alios, quibus ipse praeest; habet curam studii Universitatis Romanae. *Poenitentiarius* constitutus est pro foro conscientiae. *Datarius,* quia ponit rescriptis supplicationum *datam,* unde prioritas..., praeest iis omnibus, quae pertinent ad Datariam sive circa Collationes beneficiorum, sive circa dispensationes matrimoniales. *Secretarius Brevium* praeest expeditionibus Brevium, quae revidere debet et subsignare annulo piscatoris. *Secretarius Memorialium,* cuius est referre Romano Pontifici supplices libellos, eosque in compendium contrahere, atque in eorum dorso responsa Pontificis adnotare.

Communis autem potestas duplici capite comprehendi potest; quorum alterum ad potestatem, quam habent in propriis titulis, alterum ad illam pertinet, quam exercent sede vacante. Ad potestatem quod attinet, quam habent in suis titulis, ita distinguendum est: I. *Si titulus constitutus est in Ecclesia Regularium,* ea potestas coarctatur; *a*) ad Ecclesiam materialem, *De Luca de Iurisd. disc. 34. tot.; b*) ad signa honoris, i. e. ut incedant cum insignibus honoris sui, ut habeant baldachinum erectum, ut in throno sedeant, etiam cum circulo et subordinata assistentia Praelatorum, *Girald. Ius Pont. univ. P. 1. Sess. 194.* § *Respectu vero; c*) ad certas voluntariae iurisdictionis partes, i. e. ut indulgentiam 100 dierum publicare ac solemnem benedictionem impertiri possint. *Giraldi l. c.*

II. Si constitutus est *in Ecclesia saeculari,* Cardinalis in eo potestas, licet aliquando amplior esset, nunc tamen praeter ea, quae mox dicta sunt, complectitur tantum: *a*) ea omnia, quae pertinent ad servitium Ecclesiae et *loca pia,* circa tamen disciplinam ecclesiasticam et morum correctionem dumtaxat curandum oeconomice atque extraiudicialiter. *Piton. de Contr.*

Patr. alleg. 41. n. 51. Hinc *excluditur* α) iurisdictio in populum et parochianos; β) potestas parochialis proprie dicta ita, ut sine strepitu et figura iudicii agere debeant, poenis adhibitis extraiudicialibus ac domesticis, v. g. subtractionis vocis in Capitulo, subtractionis fructuum et distributionum. Includitur autem potestas oeconomica ac domestica, quae scilicet competit omnibus Capitulis Ecclesiarum, faciendo ordinationes et statuta circa disciplinam ecclesiasticam et contravenientes puniendo dictis poenis. *b*) Collationem beneficiorum, quae in ipsis Titulis instituta sunt, dummodo tamen Cardinalis titularis in Curia resideat, *Rigan. in Reg. Cancell. ad reg. 8. § 1. n. 50. seq. et ibi Decret. Alex. VII. an. 1655;* etiamsi absit ex iusta causa et iussu Romani Pontificis, non potest conferre.

III. Utrobivis sit constitutus titulus, est insuper Cardinali in eodem potestas conferendi, praeter tonsuram, ordines etiam minores: quod proinde nequeunt in Urbe ii Cardinales, qui sunt Episcopi suburbicarii, quia degunt extra titulos suos, licet in Cappella Palatii sui primam Tonsuram conferre possint. *Bened. XIV. Const. Ad Audientiam 13 Feb. 1743.* Sed *Honorante* bonis rationibus hoc ius Cardinalium non amplius vigere censet. *Praxis secret. Trib. Urbis Vicar.*

Iamvero de potestate, quam Cardinales exercere possunt sede vacante, distinguenda est ea, quae toti coetui competit, ab ea, quae singulorum propria est pro suo particulari munere. I. Potestas seu iurisdictio totius coetus praeter ius eligendi Pontificem, ad casum tantum urgentis necessitatis extenditur ex regula generali: *Ne sede vacante quidpiam innovetur,* sive agatur de terris Ecclesiae Romanae defendendis, sive de alio urgenti et grandi periculo; quod duabus eiusdem s. Collegii partibus tale videatur. *Pius IV. Const. In Eligendis 9 Oct. 1562; Fagn. in C. Cum olim de Mai. et obed. n. 3. ad 62; Clem. XII. Const. Apostolatus 4 Octob. 1732.*

II. De singulorum potestate varia regula est pro vario munere, nimirum *a*) *Camerarii, Poenitentiarii* et *Vicarii* Urbis potestas ita manet, ut si in conclavi decedant, duobus prioribus successores a s. Collegio pro tempore Sedis vacantis dandi sint, tertii potestas ad Vicesgerentem devolvatur. *Clem. XII. d. Const. b*) *Iurisdictio Congregationum* licet, Sede vacante, non

expiret, suspensa nihilominus manet, exceptis levioribus negotiis, quae a solo secretario expediri solent; quaeque ab eodem, etiam sede vacante, expediuntur. *Fagn. in C. Cum olim de Mai. et obed. n. 63. c*) *Ceterorum munera* quiescunt. *Datarii* autem etiam extinguitur, quippe qui mortuo Romano Pontifice resignare illud tenetur. *Pius IV. Const. In eligendis 9 Oct. 1562.*

222. *Declaratur 2m.* Reliquum est ut **de Cardinalium privilegiis** dicamus, de quibus ait Andreucci *in Opusculo De Cardinalibus n. 20,* usque ad ducenta enumerata a nonnullis fuisse, licet non omnia recepta esse affirmet. Quapropter, quae sunt insigniora et communius admissa commemorasse satis sit, quorum quidem alia cum Episcopis communia, alia Cardinalium sunt propria.

I. **Communia cum Episcopis** Cardinales haec habent: 1°. Ius ferendi suffragium in Conciliis et ita, ut etiam ante Patriarchas sedeant. *Eugen. IV. Const. Non mediocris 1438;* 2°. Privilegium altaris viatici etiam in domibus laicorum, si Sedis Apostolicae venia aut etiam in casibus a iure permissis absentes a propria domo sint, *Ex decl. Bened. XIII. in Concil. Rom. t. 15. c. 3,* qui scilicet ita declaravit Decretum Clementis XI, qui anno 1703 prohibuit Episcopis, ne extra proprias domos altari portatili uterentur: quod autem declaravit, hinc fit ut eiusmodi Constitutio vim habeat in tota Ecclesia, etsi in Concilio provinciali fuerit edita. 3°. Privilegium celebrandi vel indicendi Cappellanis suis ut in domestico sacello celebrent pro suo vel familiae commodo missam ante auroram, vel post meridiem. *Platus De Card. dign. in Synopsi Privileg. addita a Nicolao Tria n. 66. seqq.* 4°. Privilegium sibi eligendi Confessarium, qui tamen vel subditus sibi sit, vel approbatus a proprio Ordinario fuerit ita, ut vi huius privilegii possit Cardinalis sacerdoti confiteri, qui extra Urbem in quo Cardinalis commoratur ab Ordinario loci fuerit approbatus, etsi confessiones excipiendi licentiam actu non habet, etsi reperiatur extra dioecesim in qua fuerit approbatus. *Platus in Tria n. 55. seqq.* Andreucci censet approbationem esse oportere eius ordinarii in cuius dioecesi fit confessio, vi Constitutionis Benedicti XIV *Apostolica Indulta 1744,* sed ibi non facta fuit expressa mentio

de Cardinalibus, adeoque eorum privilegium non mutavit. 5°. Privilegium exemptionis a generalis legis dispositione, quae odiosa sit, itemque a censuris ecclesiasticis, nisi expressa mentio de iis habeatur. *Platus in Tria n. 58. seqq.*

II. **Propria autem Cardinalium** haec sunt: 1°. *Ius eligendi summum Pontificem.*

2°. *Ius optandi* seu mutandi titulum in alium meliorem habita ratione tum ordinis, tum antiquitatis, hisce insuper legibus: *a*) ut optantes in actu optionis seu vacationis tituli, praesentes in curia aut in eius districtu, i. e. intra XL milliaria reperiantur; *b*) ut Cardinales Diaconi Episcopalem titulum optare nequeant; presbyteralem vero, nisi decem in diaconatus ordine remaneant, ipseque optans *decennium* in eo ordine *exegerit;* admissi autem ad optionem, etiam ius praecedentiae obtineant, supra presbyteros post ipsos ad Cardinalatum promotos; *c*) ut Cardinales presbyteri Episcopalem titulum optare nequeant, si ad pontificales functiones exercendas sint inhabiles; ad Episcopalem vero titulum semel translati, alium titulum episcopalem nonnisi una vice optare queant, nisi forte agatur de episcopatu Hostiensi; *d*) ut Cardinales Episcopi in aliis Titulis optandis antiquitate, quam in ordine suo non in Cardinalatu habent, vincere debeant. *Platus in Tria l. c. n. 25. ad 34; Rigant. Comment. in Reg. Cancell. ad Reg. VIII. § 2.*

3°. *Ius faciendi fidem* in asserendo vivae vocis oraculo quoad ea negotia, quae ad officium suum pertinent. *Urb. VIII. Const. Alias felicis 11 Apr. 1635; Tria l. c. 145.*

4°. *Privilegium fori* ita, ut conveniri non possint in criminalibus nisi coram Summo Pontifice et in civilibus coram eodem vel auditore Camerae, tamquam Summi Pontificis Officiali. *Tria l. c. n. 27. seqq.*

5°. *Privilegium peculiare canonis,* quo scilicet gravioribus poenis, qui eos offendunt, mulctantur.

6°. *Immunitas a reservatione Regulae IX. Cancellariae,* quoad beneficiorum collationem, quae iis competit sive in suis Titulis, sive in Monasteriis aut Ecclesiis in Commendam aut administrationem iisdem traditis, sive in tribus maioribus Urbis Basilicis, ubi Archipresbyteratum obtinent, sive denique (vi

specialis indulti quod ordinario habent) in Ecclesia Cathedrali quam dimiserint, et quidem in postrema, si ad plures successive translati fuerint, quoad ea scilicet beneficia, quae in mensibus Apostolicis vacent. *Tria l. c. n. 93. ad 133. ubi cf. Constit. Bened. XIV. Sicut accepimus April. 1741.*

7°. *Privilegium transferendi in alios suas pensiones* usque ad numerum scutatorum mille, etiam in mortis articulo, idque etiam nutu et signis, exceptis, quae constitutae sunt, super distributionibus quotidianis proprie talibus, hisque insuper legibus: *a*) ut pensio, quae transfertur, non excedat dimidiam fructuum partem beneficii, cui imposita est; *b*) ut translatio non sit contra alium Cardinalem. *Tria l. c. 85.*

8°. *Indultum testandi* (si tamen petatur) de illis bonis, de quibus alias testari non possent, i. e. de bonis occasione Cardinalatus acquisitis, aut intuitu eiusdem dignitatis (non quidem personae) donatis: tum in specie (quod item in specie petendum est) de supellectili ac paramentis ecclesiasticis, quibus sive in Cappella pontificia, sive in propria uti consueverunt. Hisce autem indultis tria haec animadvertenda sunt: *a*) quod a priori bonorum classe annulus cardinalitius excipi solet, seu, loco illius, certa pecuniae summa; *b*) quod de posteriori testari Cardinales debent favore alicuius Ecclesiae vel loci pii, oratoriis privatis exclusis; *c*) quod eorum testamenta etiam sine ulla solemnitate valent, dummodo de veritate eorum, ac voluntate Cardinalium sufficienter constet. *Platus n. 134. 139; Card. De Luca de Testam. disc. 6. et seqq.,* ubi schedula (in forma probante) derogare priori testamento; et *S. C. Liboniannum* locum non habere dicitur.

9°. Denique quod in humanis extremum est *honores ad Cardinalium funus spectantes,* si quis nosse cupiat adeat Benedicti XIV. Constitutionem *Praecipuum 1 Dec. 1741,* scilicet summo mane ordines mendicantium canant officium defunctorum in Ecclesia ubi expositum est cadaver. Tum Cappella pontificia ibidem habetur, interveniente Summo Pontifice et S. Cardinalium coetu: Cardinalis camerarius missam celebrat; Summus Pontifex absolutionem facit super cadaver.

TITULUS XVI.

DE CONGREGATIONIBUS ROMANIS ALIISQUE SUMMI PONTIFICIS IN CURIA ADMINISTRIS.

Praenotandum.

223. A Romano Pontifice, atque ab eius senatu, qui est s. Cardinalium Collegium, ad reliquam eius Curiam descendimus. *Curiae* vocabulo designari solent personae, quae cum et sub Principe rempublicam regunt atque administrant. Hinc *Curiae romanae* nomine generatim sumpto venit multiplex consiliariorum, dicasteriorum, et Officialium species, quibus in regenda Ecclesia universa utitur Romanus Pontifex. Et quoniam inter Romani Pontificis consiliarios, adiutores, et administros principem locum obtinent S. R. E. Cardinales, hos spectamus nunc, quatenus tam in Consistorio, quam in aliis Romanis Congregationibus quoad universam christianam rempublicam administrandam Romano Pontifici navant operam. Praeter Cardinales alii sunt administri in Romana Curia, qui in Ecclesiae universalis negotiis gerundis Romano Pontifici praesto sunt. Porro eorum, quorum opera in universa Ecclesia gubernanda, vel eius negotiis expediendis, sive per simplicem Officii commissionem, sive per pontificiae potestatis participationem Petri successor utitur, duplex est classis, prout vel Romae ipsum adiuvent vel extra Romam. Si 1^m^. habentur Congregationes Romanae, quarum pars magna sunt Cardinales, et pontificiae Curiae ceteri administri, de quibus omnibus in hoc titulo. Si 2^m^. habentur Legati, Patriarchae, Primates, Metropolitae, quibus communicatur pars aliqua pontificiae potestatis, quae omnia titulo sequenti exponemus.

Agunt DD. de hac materia in tit. *De Off. iudicis Ord.*: speciales tractatus *de Congregat. Romanis* edidere *Plettemberg; Bouix, de Curia Romana; Card. De Luca, Relat. Curiae Rom.; Andreucci, Hierarchia.*

I. DE CONGREGATIONIBUS ROMANIS.

Summarium. — Notio et institutio, negotia in genere et quaedam alia propria indicantur Romanarum Congregationum, quarum praecipuae recensentur: I. Consistorium et Congregatio consistorialis; II. Congregatio S. Officii; III. Indicis; IV. Concilii; V. Congregatio SS. Rituum; VI. Congregatio super disciplina et statu Regularium; VII. Episcoporum et Regularium; VIII. Congregatio de Propaganda Fide; IX. super negotiis ecclesiasticis extraordinariis; X. Congregatio Indulgentiarum et SS. Reliquiarum; XI. Congregatio super residentia Episcoporum; XII. Congregatio Immunitatis ecclesiasticae.

224. I. **Consistorium et Congregatio consistorialis.** « Consistorium a consistendo est Congregatio seu adunatio, quae per Papam cum Collegio Cardinalium in forma Senatus in eius apostolico Palatio fit ». In hoc, cum nondum plures aliae congregationes extarent, solebat Romanus Pontifex dirimere omnes alias causas, quae propriae factae sunt ceterarum Congregationum et Tribunalium. De hoc senatu sic asserit Catalanus, *Caerem. Rom. l. 1. tit. 1. § 9:* « Senatus autem Romanae Ecclesiae a Petro inspiratione divina institutus est, cum quo omnia ardua Ecclesiae negotia explicaret ».

Triplex est Consistorium, scilicet *Ordinarium* seu *secretum, publicum* seu *solemne* et *semipublicum:* illud constat solis Cardinalibus, Praefecto Summo Pontifice; ad istud interesse solent etiam non Cardinales, e. g. alii Episcopi, qui Romae tunc degunt, cum quibusdam aliis Praelatis inferioribus, nec non officialibus Romanae Curiae; Legati Principum. *In publico Consistorio,* solemnes, ut aiunt, audientias concedit Romanus Pontifex, excipit Legatos a latere et Principes, galerum rubrum neo Cardinalibus imponit, et canonizationis processum concludit. *In secreto seu privato et ordinario* deliberatur de novis Cardinalibus creandis, nec non novis Episcopis reliquisque inferioribus Praelatis eligendis, de episcoporum renuntiatione, translatione, depositione, de pallii concessione, de novis erigendis, deque veteribus coarctandis dilatandisve episcopatibus. Generatim in hoc consistorio expediri solent cetera negotia ecclesiastica magni momenti, quae cum saecularibus Princi-

pibus componenda forte sint. Denique in hoc secreto consistorio, quod frequentius est, habentur Romani Pontificis ad S. Collegium directae allocutiones, quibus de statu totius Ecclesiae vel de exorta in alicuius regionis Ecclesiae procella, edoceat, aut circa novos irrepentes errores, periculosas doctrinas, morumve corruptelas, quid ab omnibus dolendum, reiiciendum et damnandum sit, aperiat. *Semipublicum* celebratur pro causis canonizationum: atque in eo eiusmodi canonizationes praeparantur. Ei autem interesse et votum dare permittuntur Episcopi et Archiepiscopi, quotquot in Curia, i. e. Romae reperiuntur; ita ut imaginem quamdam referat et figuram generalis Concilii, ac veluti universalis Ecclesiae repraesentationem. *Card. De Luca, Il Dottore Volgare.*

Huius Consistorii veluti praeparatio, **Consistorialis Congregatio** dicta quorumdam Cardinalium, a Sixto V., *Constit. Immensa 22 Ian. 1588,* instituta est, cuius officium sit negotia, de quibus in Consistorio pronuntiandum sit, examinare et discutere, atque de iisdem ad Romanum Pontificem referre. Ex dictis patent huius Congregationis attributiones, quas citata Constitutione Sixtus V. determinavit, scilicet cognoscere de earum dote, Clero, Capitulo, populo ad normam Tridentinae Synodi; omnes examinare difficultates hac de re incidentes, dioeceseon vel monasteriorum uniones, dismembrationes, cessiones, permutationes, translationes, pensionum super illarum reditibus assignationes, monasteriorum pluralitatem, dignitatum incompatibilitatem, praesentationes et nominationes, electionum sive postulationum confirmationes sive admissiones, suffraganeorum coadiutorumque deputationes cum vel absque futura successione, curamque adhibeant solertem circa aetatem et qualitatem promovendorum, eaque discussa et examinata ad Pontificem referant.

Particularem adhuc **Congregationem super promovendis ad Episcopatum** instituit Benedictus XIV, *Const. Ad Apostolicae 17 Oct. 1740,* constantem quinque Cardinalibus, quorum officium esset perquirere quinam ad Episcopatum vel Archiepiscopatum promoveri possint, suisque Romanum Pontificem iuvare consiliis ad digniores dignoscendos promoven-

dosque etc.: cuius Congregationis Secretarium constituit idem Pontifex Auditorem Camerae Apostolicae.

225. II. Distinguenda per se est **S. Inquisitio** seu **S. Officium** a *Congregatione S. Officii:* per illud enim habetur non inquisitor natus, qualis est Episcopus; sed iudex seu institutio iudicum a Sede Apostolica ad id deputatorum, ut in variis mundi partibus contra reos pravitatis procedant. In Hispaniis ab anno circiter 1486 invalescere coepit quaedam specialis S. Officii forma, nempe: « Ferdinando V, *Plettemberg notitia Congreg. pag. 595. ed. Hildesii 1693,* sic postulante, abdicavit se dominicanorum familia inquisitorum officio: et auctoritate Pontificis commissum id est clericis saecularibus canonum et legum peritis. Quare iussu Regis et ex permissione Pontificis, instituit Card. Mendotius officium S. Inquisitionis eique, adhibito doctorum virorum consilio, leges et ordinem praescripsit in tota Hispania ac provinciis Regi Catholico subiectis observandum ». Quorum Inquisitorum potestas delegata non expirat morte delegantis. *C. Ne aliqui 10. de Haeret in 6.* Porro S. Congregatio S. Officii seu Inquisitionis Universalis Romae instituta est an. 1542; scilicet cum sub initium saec. XV. Luterana haeresis totam fere Germaniam infecisset, et alias etiam Italiae partes affiasset, ne virus hoc longius serperet, sed eo iam infecti opportunis remediis curarentur, erexit Paulus III, *an. 1542. Const. 34. Licet ab initio,* Congregationem S. Officii seu tribunal universalis inquisitionis, quam deinde Congregationem.... illius successores approbarunt pluribusque privilegiis auxerunt Pius IV. *Const. Cum nos;* Pius V. *Const. Sanctissimus* et *Const. Inter, Const. Cum felicis;* Sixtus V. *Const. Omnes.* Haec autem Congregatio *constat Praefecto,* qui est ipse Summus Pontifex, tum eo, quem opportunum idem Pontifex iudicaverit, numero Cardinalium, qui generales inquisitores audiunt, et tandem secretario, qui est semper S. Collegii Decanus. Cui Congregationi adlaborant Officiales, *commissarius* qui ordinarii iudicis partes explet, *assessor* quem Commissarius pro consiliario habet, *Fiscalis, notarius* et alii. Sunt autem et *Consultores* e clero tam saeculari, quam regulari assumpti, et *Qualificatores,* qui a S. Congregatione iussi, censuram de scripto aliquo ferunt. *Bened. XIV. Const. Sollicita* § *3. 9 Iul. 1753.* Of-

ficiales porro omnes et Consultores secretum sub excommunicationis poena ipso facto incurrenda servare tenentur.

Materia, circa quam versatur haec S. Congregatio sunt omnes causae et materiae haereticam pravitatem, schismata, apostasiam a fide, magiam, sortilegia, divinationes, sacramentorum abusus concernentes. Unde eius competentia est supremam habere de religione cognitionem, ut iudicet et puniat delicta contra fidem; de appellationibus cognoscere; recursus excipere, si in ferendis sententiis inquisitores cum Episcopis non concordent. Iurisdictionem exercere cumulative, quam habet Magister S. Palatii aut S. Indicis Congregatio. Iurisdictionem, quam habent, exercent etiam supra Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos et Inquisitores, quacumque praefulgeant dignitate. *Ad modum procedendi* quod attinet: antequam aliquod grave negotium huius Congregationis proprium decidatur ultimatim, atque expediatur, praemitti solent duae Congregationes praeparatoriae: in quarum prima, quae singulis feriis secundis in palatio S. Officii prope Vaticanum locum habet, coguntur consultores cum Commissario, Assessore... sine Cardinalibus: praeparantur negotia, leguntur processus, Episcoporum vel Inquisitorum localium litterae et relationes aperiuntur, iuxta quas bene instruatur Assessor, qui totum negotium relaturus est ad secundam Congregationem praeparatoriam. In hanc autem secundam Congregationem, quae locum habet singulis feriis IV., conveniunt soli Cardinales: quos edocet Assessor prius negotia, processus, litteras, informationes. Deinde ad eorum votum expetendum consultores admittuntur. Eorum, quae ab hac Congregatione decernuntur, relatio eadem die fit Romano Pontifici; et tandem editur decretum sic: *Feria IV. die.... mensis.... S. C. Episcoporum et S. R. Ecclesiae Cardinalium Inquisitorum, habita in conventu S. Mariae supra Minervam, post examen Theologorum ad id deputatorum, facta relatione ad SS. praesenti decreto declarat.* Denique feria V. tertia habentur comitia seu celebratur proprie dicta et definitiva Congregatio Cardinalium coram Papa in Palatio Apostolico: ubi nova fit causae relatio, saepe admittuntur Consultores, qui denuo relata et discussa causa recedunt, et Cardinales sua edicunt suffragia: quibus ponderatis Summus Pontifex ultimam dat sententiam, atque ita fertur

Decretum: *Feria V. die.... mensis.... in Generali Congregatione S. R. et U. Inquisitionis, habita in Palatio Apostolico coram SS. D. N. ac EE. et RR. S. R. E. Cardinalibus in tota Republica christiana contra haereticam pravitatem inquisitoribus, SS. Pater, auditis votis eorumdem, statuit ac decrevit:* etc.

Speciatim quoad valorem Decretorum, quae ex hac Congregatione emanant; eius resolutiones habere vim legis docent quidem Albitius *de Inconst. in fide cap. 36. n. 64. et 65;* Rodriguez *quaest. regul. T. 1. q. 11. art. 12;* Garzias *de Benef. p. 1. c. 5. n. 138;* Bened. XIV. *Quaest. Can. q. 6. n. 8;* Salas *de Legib. Disp. 21. Sect. 12;* Lazar. *de Blasph. q. 10. n. 39;* Mirand. *in Man. T. 2. oper. moral. Disp. 4. C. 4. dub. 12. n. 168;* Zerola *in praxi part. 1. § auctoritas in fine et p. 2. § Absolutio;* Transmiera *Lib. 3. q. 1. n. 12;* ipsa S. Congregatio apud Zerola *l. c. etc.* Ratio est, aiunt, quia sacrae Congregationes faciunt huiusmodi declarationes auctoritate accepta a Papa. Imo declarationes quae fiunt a S. Congregatione Supremae et Universalis Inquisitionis fiunt ab ipso Papa, cum ipse qualibet feria V. adsit eidem Congregationi, et non sunt tantum declarationes doctrinales, sed authenticae et iuridicae. Sed animadvertendum est iuxta *De Angelis l. 1. tit. 31. n. 10,* earum decreta non esse infallibilia et irreformabilia. Nam infallibilitas uni Romano Pontifici promissa est: responsa autem haec non sunt actus papales, et quamvis Romanus Pontifex ea probet, semper tamen decisionis S. Congr. naturam habent, et uti talia Romanus Pontifex probat et vulgari iubet. Aliter dicendum foret si Romanus Pontifex decisionem S. Officii faceret suam, eamque per Constitutionem solemniter publicaret, cum decreto, ut servetur ab omnibus etc.

226. III. **S. Congregatio Indicis.** Pius IV. *Const. Dominici gregis* probavit et in tota Ecclesia servandum edixit Indicem librorum prohibitorum, quem Tridentinum confecerat: at cum magis magisque in dies novi ederentur libri, pravis quoad mores et fidem doctrinis referti, idem index insufficiens omnino apparuit, ac novae Congregationi committenda videbatur cura novos omnes libros, praesertim suspectos examinandi, atque nominali damnatione improbandi; ut sic efficacius periculo omnium occurreretur. Et primitus quidem eiusmodi

cura Congregationi S. Officii commissa fuit, ast postea ob nimia eaque gravissima negotia, quibus detinetur haec Congregatio, nova ipsi submissa fuit sub nomine Indicis, quae dicto operi intenderet: de qua sic *Bened. XIV. Const. Sollicita 9 Iulii 1753:* « Certum est S. Pium V. primum fuisse Congregationis Indicis institutorem; quam subsequentes deinde Pontifices Gregorius XIII., Sixtus V. et Clemens VIII. confirmarunt, variisque privilegiis et facultatibus auxerunt ». Eiusque proprium ac fere unicum officium est, in examen libros vocare, de quorum proscriptione, emendatione, vel permissione capienda est deliberatio, vel melius huius S. C. officium est *a*) catalogum edere librorum prohibitorum; *b*) libros ei delatos, libros scilicet fidei, pietati, bonis moribus, Ecclesiae potestati et libertati contrarios, facto verbo cum SSmo prohibere. *c*) Definit etiam dubia super Indice librorum prohibitorum.

« Plures complectitur Cardinales ipsi a Pontifice adscriptos... Ex eis unus eiusdem Congregationis *Praefectus* existit. Assistens vero perpetuus est Magister S. Palatii. Secretarius autem a prima Congregationis institutione usque in praesentem diem ex Ordine Fratrum Praedicatorum a Summo Pontifice eligi consuevit. Sunt praeterea ex utroque clero saeculari et regulari eiusdem Congregationis Consultores et Relatores selecti ». Talis autem inest valor Congregationis decretis, ut obligent sub gravi universam Ecclesiam, uti constat *a*) ex fine Tridentini et Congregationis Indicis; *b*) ex Pio IV., qui promulgando Romae Indicem 24 Mart. 1564, clausulam inseruit: « Nos... per... hanc publicationem, omnes et singulos qui his litteris comprehenduntur post tres menses a die publicationis... earum numerandos, volumus perinde adstrictos et obligatos esse ac si ipsismet illae lectae fuissent ». *Cf. et Bened. XIV. Const. Quae ad Catholicos.* Hic porro in reimpressione Indicis prout servatur et in sequenti editione clausulam apposuit: « Non obstantibus quibuscumque statutis, decretis, usibus etiam immemorialibus, ceterisque in contrarium facientibus quibuscumque »; *c*) est enim abusus et corruptela morum quaecumque contraria consuetudo; *d*) licentia legendi libros prohibitos, nonnisi a S. Sede per organum huius S. Congregationis aut Congregationis S. Officii concedi solet.

Attendenda maxime est Leon. XIII. *Constit. Officiorum ac munerum* nuper edita scilicet VII. Kalendas Februarias 1897, qua decem Indicis regulae Tridentinae abolitae sunt: et in qua patet *a*) quid prohibeatur per decreta generalia, quae poenae maneant horum decretorum violatores: *b*) accurate determinatur quoad denuntiationem pravorum librorum; quoad censuram librorum et cetera praeclare disposita. Interim conferatur *Commentarium in hanc Leonis XIII. Constit. apud Acta S. Sedis vv. 29 et 30.* Cf. et *Arthurus Vermeerschin suis comm. in cit. Constit. Lovanii 1897.*

227. IV. **S. Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum** *origo et institutio.* Idem Pontifex Pius IV., qui *Const. Benedictus Deus VI. Kal. Febr. 1564,* confirmans acta Concilii Tridentini prohibuerat, quominus commentarii et generatim interpretationes vulgarentur, eodem anno *Const. Alias nonnullas* Cardinalium Congregationem instituit, cuius esset decretorum Tridentinorum observantiam curare. Hanc porro Congregationem Pius V. et Sixtus V. in perpetuum confirmarunt dicti Tridentini decreta authentice in rebus dubiis interpretandi, officium et potestatem tribuendo circa rem disciplinarem dumtaxat. Qua in re duo animadvertantur: 1^{m}. legitimam hanc facultatem interpretandi dubia et difficultates occurrentes de his, quae de morum reformatione et disciplina in Concilio Tridentino statuta sunt, intelligendam esse, *Summo tamen Pontifice consulto,* iis, quae ad fidem pertinent sibi reservatis. *Const. Immensa 23 Mart. 1587:* 2^{m}. facultatem interpretandi diversam esse a facultate exequendi, quae ei communis est cum Congregatione super Negotiis Episc. et Reg.

Materia si spectetur amplissima est; plurima enim sunt, quae cum decretis Concilii Tridentini disciplinaribus nexum habent: hinc 1) agit de residentia Episcoporum et beneficiorum, ex iusta causa licentiam absentiae concedit, fructuum praebendae perceptionem et quandoque etiam quotidianas distributiones indulget; 2) facultatem concedit reducendi onera antiqua Missarum; 3) causas matrimonii pertractat quoad vinculi valorem, et quoad dispensationem a matrimonii rati ligamine; 4) circa irregularitates quaestionem agitat, quaeque ab his ad dispensationem conducant, exhibet Romano Pontifici; 5) ad hanc item

recurrendum excardinationis ex una et incardinationis causa in aliam dioecesim; 6) ad hanc spectat pariter cognoscere de causa restitutionis in integrum in ordine ad valorem professionis religiosae contra lapsum quinquennii a Tridentino statuti ad reclamandum pro invaliditate professionis; 7) tandem in materia beneficiali haec Congregatio cognoscit etiam et definit quoad illa negotia, quae relationem ad tridentina decreta forte habent.

Organismum eius si quis inquirat, constat haec ex pluribus Cardinalibus a Romano Pontifice electis, quorum unus est Praefectus: secretarius autem assumitur ex Praelatis.

Est autem ei adnexa specialis Congregatio Praelatorum Romanae Curiae ab eadem dependens, quam Benedictus XIV. *Const. Decret. Rom. Pontif.* instituit tum pro recipiendis Episcoporum super statu dioeceseos relationibus occasione visitationis ad sacra limina, tum pro responsione danda dubiis et consultationibus Episcoporum eadem occasione propositis.

Congregationi Concilii altera pariter unita est congregatio specialis et subsidiaria constans nonnullis Cardinalibus et consultoribus ex utroque clero, quae sub eodem praefecto et eodem usa secretario, quo Congregatio Concilii, *intendit revisioni Conciliorum Provincialium.*

Ad valorem quod attinet responsionum huius Sacrae Congregationis post ea, quae in libro isagogico diximus, revocasse in mentem sufficiat ea hinc uti authentica habentur, cum subscripta se a Praefecto et Secretario atque eiusdem Congregationis sigillo munita exhibent: atque vim legis universalis habent, si vere declarationes sunt, comprehensivae scilicet interpretationes: at si resolutiones merae sunt casuum particularium, praeiudicii valorem non excedunt.

228. V. **Sacra Rituum Congregatio,** de qua praeter originem indicandus *organismus, munus, decretorum valor.*

1°. *Originem et institutionem* habet a Sixto V., qui ait *Const. Immensa (Bullar. Roman. a Cochelines ed. l. 4. p. 4. pag. 365):* « *Quinque itidem Card. delegimus,* quibus haec praecipua cura incumbere debeat, ut veteres ritus sacri ubivis locorum, in omnibus Urbis Orbisque Ecclesiis, etiam in Cappella nostra pontificia, in missis, divinis officiis, sacramentorum admini-

stratione, ceterisque ad divinum cultum pertinentibus, a quibusvis personis diligenter observentur; caeremoniae si exoleverint restituantur, si depravatae fuerint reformentur; libros de sacris ritibus et caeremoniis, imprimis Pontificale, Rituale, Caeremoniale, prout opus fuerit, reforment et emendent; officia divina de sanctis Patronis examinent, et nobis desuper consultis, concedant; diligentem quoque curam adhibeant circa Sanctorum Canonizationem, festorumque dierum celebrationem, ut omnia rite et recte et ex Patrum institutione fiant ».

2°. Hinc patet *duplex eius munus praecipuum*, quorum alterum ordinarium est, et absolvitur in ordine ad sacros ritus eisque cohaerentia iura, alterum extraordinarium, in ordine ad causas Beatificationis et Canonizationis Sanctorum. Et quoad primum quidem illud duplex est *contentiosum* de praeeminentiis, pacificum de iis, quae pertinent ad ritus et cultum divinum: scilicet *a*) *in via gratiosa*, ut aiunt, et pacifica advigilandum est ei, ut ritus omnes ubique ab omnibus adamussim serventur, caeremoniae inolitae restituantur, depravatae reformentur, libri hisce de rebus agentes, si opus sit, emendentur, atque omnes dies festi rite celebrentur. Ad eam insuper spectat officia et Missas proprias Sanctorum approbare, atque horum officium sub simplici vel altiori ritu celebrandi aut transferendi facultatem concedere, atque civitatibus vel communitatibus alicuius sancti in celestem Patronum electionem examinare et confirmare. Declarat praeterea dubia caeremonialia. *b*) *In via autem contentiosa* seu iudiciali, summarie acceptis Ordinariorum vel respective superiorum Regularium informationibus, inter partes contendentes cognoscit et definit quoad materiam praecedentiae in processionibus, aliisque sacris functionibus atque in ceteris actibus honorificis, limites iurium inter Parochos et Confraternitates signat, nec non supra harum confraternitatum, piarumque Congregationum novis erectionibus obortas quaestiones dissolvit.

Quoad alterum munus, sufficiat nunc animadvertere S. R. C. in re tanti momenti maxima cum cautela et valde rigido examine procedere ceu iudicialiter iuxta l. II. Decretalium: conficitur enim processus apostolicus, testes examinantur coram iudicibus delegatis et Notario atque etiam coram Promotore

fidei, qui fiscali munere fungitur, interrogatoria disponit, et advigilat ut omnia rite fiant et processus recte compleatur, quique etiam diligentissime difficultates perquirere et argumenta contraria undique petere et proponere; quibus donec plenissime satisfactum non sit, actorum series suspenditur. Exquirenda sunt etiam a viris peritis consilia, qui utrum certo existiment, e. g. miraculo attributas operationes esse supernaturales excedentes totius naturae vires nec ne, iuramento deponant. Iuramentum etiam calumniae emittere debet Postulator causae, qui instar actoris habetur. Quid vero peragendum sit, completo processu, sicut cetera, videbimus infra, ubi de canonizatione Sanctorum.

3°. Constat Congregatio eo numero Cardinalium, quem modo maiorem, modo minorem Romanus Pontifex reputaverit esse: nominantur ab eodem Romano Pontifice e Cardinalibus dictis, qui Praefectum gerat, ex inferioribus autem Praelatis, qui officii secretarii exerceat, qui Promotoris fiscalis munere fungatur et vocatur Promotor fidei, cui Assessor vel sub fidei Promotor adiungitur, et plurimi Consultores.

4°. Si valor eius decretorum spectetur, revocanda sunt eiusdem Sacrae Congregationis responsa: I. 23 Maii 1846. « An decreta a Sacra Congregatione emanata et responsiones quaecumque ab ipsa propositis dubiis scripto formaliter editae, eamdem habeant auctoritatem ac si immediate ab ipso Pontifice promanarent, quamvis nulla facta fuerit de iisdem relatio sanctitati suae »; S. R. C. respondit *affirmative*. Quod vim legis habere debeant eius declarationes refert Barbosa *Summa Apostol. Decis. v. Congreg.*, ipsam S. Congregationem 11 Augusti 1632, iussu Urbani VIII. *praecepisse* suis declarationibus, nisi sint in authentica forma, fidem non esse adhibendam. Ergo a contrario... II. Porro inveterata quaelibet consuetudo non potest derogare legi ab hac Sacra Congregatione praescriptae, *S. C. R. 3 Aug. 1839. in causa Triventina*. Imo eadem decreta contrariae consuetudini derogant. *S. R. C. 11 Sept. 1847. in Angelopolitana*.

229. VI. **De Sacris Congregationibus super disciplina et statu Regularium** breve est dicere: *Congregationem super statu Regularium* erectam fuisse ab Innocentio X. et a

Clemente IX., qui *Const. Iniuncti 11 Apr. 1668* ait: « Cum Innocentius Papa X. praedecessor noster Congregationem nonnullorum S. R. E. Cardinalium ac Romanae Curiae Praelatorum *super statu Regularium* instituerit: ipsique Congregationi sic institutae intra fines Italiae et insularum adiacentium designandi ac deputandi, pro novitiatibus et professoriis conventus, monasteria, Collegia, ac domos quorumcumque Monachorum cuiusvis ordinis mendicantium.... et huiusmodi Novitiatus et professoria mutandi, transferendi, suspendendi et supprimendi, dandi licentiam recipiendi novitios ad habitum et professionem sub regulis et formulis.... praefigendi et taxandi numerum Religiosorum in singulis conventibus... exequendi Constitutionem eiusdem Innocentii, quae incipit *Instauranda*... nos motu proprio praedictam Congregationem confirmamus ».

b) Ast Innocentius XII. Congregationem super statu Regularium suppressit: quae mansit extincta usque ad Pium IX. Hic autem novam S. Congregationem super statu Regularium instituit, non suppressa, sed aliquatenus immutata S. Congregatione *super disciplina Regulari,* instituta iam ab Innocentio XII. Nam Pius IX. encycl. sua *Ubi primum 17 Iun. 1847,* alloquens superiores Regularium Ordinum ait: « Has igitur ad vos dilecti filii, qui eorumdem ordinum moderatores estis, litteras damus...., quibus consilium a nobis de regulari disciplina instauranda susceptum significamus. Quod quidem consilium eo omnino contendit, ut Deo bene iuvante illa omnia statuere et perficere valeamus, quae ad cuiusque religiosae familiae incolumitatem.... tuendam.... ut autem tanti momenti negotium.... optatum exitum obtineat.... peculiarem fratrum venerabilium nostrorum S. R. E. Cardinalium Congregationem instituimus, quam de statu Regularium Ordinum nominavimus ». Etsi non fuerit a Pio IX. suppressa Congregatio *super disciplina regulari,* immutata tamen fuit cum statuerit eiusdem scilicet Congregationis super disciplina regulari praefecturam gerendam esse ab Episcoporum et Regularium Congregationis Praefecto; ab eaque in novam a se institutam transtulit officium Romano Pontifici opportuna suggerendi pro fovenda et reparanda Regularium disciplina. Cf. apud *Bouix* plura documenta iam ema-

nata ab hac Pii IX. Constitutione *de statu Regularium Ordinum, de Curia Rom. P. 2. c. 6. § 4.*

230. VII. **De Congregatione super negotiis Episcoporum et Regularium** breviter innuenda *Institutio, Negotia, Organismus, Modus procedendi.*

1°. Quamvis origo prima a Pio V. sit repetenda, tamen institutio, prout habet Card. De Luca *De Relat. ad Curiam P. 2. disc. 16. n. 1,* Sixto V., qui officia eidem tribuit, *Const. Immensa,* solet adscribi. Et ab initio quidem duplex erat Congregatio altera Episcoporum, altera Regularium negotiis explicandisque intendens, nihilominus, an. 1601, ex duabus una S. Congregatio conflata est, *cf. Card. Bizzarri ad suam Collectaneam p. XXVIII,* tum propter uniformitatem in regimine utriusque Cleri saecularis et regularis, tum propter eiusdem efficaciorem conspirationem ad maius Ecclesiae bonum obtinendum. Haec enim pro fine habet cognoscere ac decidere inter Episcopos, nec non Praelatos regulares et ipsorum subditos negotia etiam circa varia monasteria inter se ac praesertim quaestiones terminare circa varias iurium collisiones, quae has inter personas atque instituta forte obortae fuerint.

2°. Hinc in specie negotia patent, quibus operatur haec S. Congregatio, quod spectat ad Episcopos horumque subditos: excipere nempe petitiones Episcoporum et Praelatorum nullius vel quasi nullius dioeceseos, horumque difficultates solvere, quaestiones dirimere, Ecclesiarum causas, praesertim iurisdictionem attingentes, summarie cognoscere, atque ex officio vel pro petitione componere: nec non, exceptis iis, quae Concilii Tridentini decretorum interpretationem spectant, causas in rebus ecclesiasticis Capitula inter et alias singulares personas, finire: visitatores insuper mittere aut vicarios apostolicos in dioeceses, ubi Episcopi suo munere pastorali, defungi amplius nequeant; atque de removendis ab officio Episcopis vel Vicariis Capitularibus agere; alienationis bonorum ecclesiasticorum negotia conficere iuxta Extravagantem *Ambitiosae de Rebus Eccl. non alienandis.* Ad hanc Congregationem appellationes nominatim in causis criminalibus detulit Pius VII. *Const. Post diuturnas.* Tandem haec Congregatio a Card. De Luca *occupatissima dicitur, atque in negotiorum multitudine omnium*

maior. Praestat referre, quae idem Auctor habet *l. c. disc. 16. n. 24:* « Habet ista Congregatio latas habenas agendi etiam de illis negotiis, quae aliarum Congregationum peculiaria sunt, unde propterea (ut Urbanus VIII. dicere solebat) ista videtur Congregatio quodammodo universalis, exceptis causis, quae directe fidei quaestiones concernunt, sive formalem interpretationem Concilii Tridentini; in reliquis licet adsit Congregatio Concilii, attamen de iis, quae concernunt executionem vel observantiam eiusdem Concilii eiusque decretorum cognoscit. Prout etiam licet adsit Congregatio Rituum, cuius peculiare munus est cognoscere ac decidere controversias super praecedentiis aliisque ecclesiasticis praeeminentiis inter clericos saeculares et regulares, ac etiam super his, quae praetendantur per laicos in functionibus ecclesiasticis; adhuc tamen ista Congregatio (Episcoporum et Regularium) istas causas cognoscit. Ideoque privativa singularis dictae Congregationis Rituum versatur in praescribendo ritu super divinis officiis, ac etiam super canonizatione Sanctorum ». Haec porro nostra quatenus est Congregatio Regularium, *ex c. Sixti V. Const. Immensa,* illarum querelis respondet, controversias dirimit, licentiam transeundi ad strictiorem religionem concedit: de apostatis et eiectis nec non de fugitivis a Religione iudicat: apostolicarum Constitutionum atque regularum singulorum Ordinum ac Congregationum Religiosarum observantiam procurat: rem agit de monialium clausura, monasteriorum erectionem, atque suppressionem decernit atque tandem omnia peragit, quae Religionum et Regularium bonum regimen et directionem concernunt, ait Card. De Luca *l. c. n. 26.*

3°. Constat autem haec Congregatio ex pluribus Cardinalibus a Summo Pontifice electis, quorum unus est ipsius Praefectus. Ei secretarius assumitur ex Praelatis urbanis, nec non substitutus et auditor. Distinguendum est autem inter minora atque ordinaria negotia ab iis, quae maiora sunt, ea praecipue quae circa iuris quaestiones versantur: haec ad Generalem Congregationem Cardinalium decidenda remittuntur: illa disponunt atque expediunt postquam coram Card. Praefecto coadunati sunt secretarius, substitutus et auditor.

4°. Quod spectat ad *procedendi modum,* distinguas oportet

inter causas contentiosas et alia negotia. Si agatur de primis, scilicet iis, quae iuris ordine servato, agitantur, fiet prius contestatio litis coram Card. Ponente, ab ipsis videlicet litigantibus partibus eorumve procuratoribus dubia concordantur circa rem disputatam et iuris punctum decidendum. Si agatur de aliis negotiis, haec summarie et in forma extraiudiciali pertractat. Haberi prius debent informationes ab Ordinario loci vel Praelato regulari, prouti res est ad dioecesim, aut ad personam religiosam vel monasterium pertinens. Si omnia adiuncta rem in lucem ponant, datur resolutio quae Episcopo vel superiori Regularium per epistolam vel rescriptum dirigitur.

231. VIII. **Congregationis de Propaganda Fide** consideranda veniunt institutio et finis, negotia et personae ad ipsam pertinentes, aut ab ea dependentes in ordine ad finem suum, auctoritas et modus procedendi.

Et 1°. quidem instituta fuit a Gregorio XV. *Const. Inscrutabili divinae provid. arcano X. Kal. Iul. 1622,* ut inter infideles et haereticos latius in diem Christianum nomen propagaretur, atque magis magisque fides catholica in neoconversis regionibus firmaretur. Hinc praecipuum eius patet officium, instituendi scilicet sacras expeditiones, missionarios mittendi in regiones longinquas, facultatibus amplissimis auctos, adsignando singulis missionibus proprium territorium, quod vicariatum apostolicum appellant, in quo qui ceteris praeficitur, ornari et appellari solet titulo et auctoritate *Vicarii Apostolici,* nec non Episcopali charactere insigniri. Horum missionariorum veluti Seminarium, praeter Ordines religiosos quorum alumni in sacras expeditiones mitti solent, in pluribus locis erectum est, sed praesertim Romae, *Urb. VIII. Const. Romanus Pontifex,* Collegium Urbanum nuncupatum, in quod adleguntur optimae spei adolescentes ex iis missionum locis, quo melius vera doctrina ac disciplina instituantur et aptiores fiant ad populos Christo Domino, qui pro omnibus passus est, lucri faciendos.

2°. Porro negotia quae ad Congregationem spectant, dicta Gregorii XV. Constitutione *Inscrutabili* indicantur: « Volentes ut (Cardinales) omnia et singula negotia ad fidem in universum mundum propagandam pertinentia cognoscant et tractent, et graviora.... quae tractaverint ad nos referant; alia vero per

seipsos decidant et expediant pro eorum prudentia. Missionibus omnibus ad praedicandum et docendum Evangelium et Catholicam doctrinam superintendant, ministros necessarios constituant et mutent. Nos enim eis tam praemissa quam omnia et singula alia desuper necessaria et opportuna, etiam si talia fuerint, quae specialem, specificam et expressam requirunt mentionem faciendi, gerendi, tractandi, agendi et exequendi plenam, liberam et amplam facultatem, auctoritatem et potestatem Apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus et impertimur ». Ad hunc finem atque ad haec expedienda negotia constat Congregatio pluribus Cardinalibus, quorum unus est Praefectus, cui adsistunt secretarius e Praelatis accitus et plures ex utroque Clero consultores. Pius IX. *Const. Romani Pontifices 6 Ian. 1862.* hanc Congregationem in duas divisit partes, quarum altera est pro Latino, altera pro Orientali ritu, vel potius novam quamdam Congregationi de Prop. F. adiunxit pro expediendis Ecclesiarum et Missionum Orientalium rituum negotiis, quae licet alia videatur ab ea, quae negotiis latini ritus intendit, cum suum habeat secretarium suosque consultores et officiales, tamen eumdem habet Cardinalem Praefectum. Praeter has personas Constituentes hanc Sacram Congregationem aliae sunt, in quas suam exercet iurisdictionem; quales sunt praeter Collegium Urbanum, omnes missionarii, Vicariatus Apostolici, Ecclesiae Angliae, Hiberniae, statuum foederatorum Americae, licet ibidem fundatae iam fixaeque sint cum suis titulis et Episcopis et Clero una cum plebe christiana Episcopales Sedes, seu, ut aiunt, etsi iam sit ecclesiastica hierarchia constituta ; quarum si quae et quatenus ab hac Sacra Congregatione eximantur, indicabunt litterae Apostolicae, quibus erectio novae Cathedralis Ecclesiae decernitur.

Hinc 3°. patet *auctoritas,* quae amplissima exercetur; ipsa enim non de uno genere, sed de pluribus variisque negotiorum generibus, praesertim quae exsurgere possent inter variorum ordinum Missionarios et Ordinarios locorum: ipsa quaestiones omnes vel casus conscientiae, qui a missionariis proponuntur, resolvit.... ad eosque mittit instructiones, ordinationes prout bona rerum administratio exigit. Nec ea solum iurisdictione utitur, quae a ceteris Congregationibus Romanis in aliis regio-

nibus exercetur: sed maiori, cum tractet de deputandis Vicariis Apostolicis, in locis missionum, vel de electione Episcoporum in iam constitutis atque a se dependentibus dioecesibus. Oeconomice autem et extraiudicialiter sua negotia Sacra Congregatio expedit quidem in genere: at propter obortas controversias inter missiones diversorum ordinum, negotia etiam contentiosa aggreditur ad normam iuris communis decidenda, atque omnes quaestiones collitigantium, servata iudicii summarii forma, resolvit.

232. IX. **Congregationis super negotiis ecclesiasticis extraordinariis** origo, institutio et generatim officia innuuntur, quae ipsa obire debet. Distinguenda est velut duplex eiusmodi Congregatio vetus a nova. De veteri sic Card. De Luca, *Relat. Rom. Cur. disc. V. n. 23. 24:* « In Consistorio Papa cum Cardinalibus agit de gravioribus Sedis Apostolicae et Ecclesiae universalis vel Principum spiritualibus ac temporalibus negotiis iuxta eorum qualitatem et circumstantias, cumque non semper expediat de illis publice et coram omnibus Cardinalibus loqui, hinc isto casu Papa pro eorumdem negotiorum consultatione et directione aliquorum Cardinalium congregationem deputare solet, quae *status* dicitur; istaque proinde non est Congregatio fixa et continua sicut sunt aliae.... sed in singulis occurrentiis particulariter deputari solet, variando in qualibet Cardinales aliosque ministros pro negotiorum qualitate vel temporum opportunitate ».

Ast haec vetus obtinuit usque ad Pium VI. qui, tum ob excrescentes in diem difficultates inter sanctam Sedem et civilia gubernia, tum ob miserrimam, praesertim in Gallia sub fine superioris aevi et initio labentis, rerum ecclesiasticarum conditionem, tum quia graviora negotia iam amplius in Consistorio expedire e re non videretur; fixam et ordinariam Congregationem, circa an. 1793, instituit *super negotiis ecclesiasticis* Regni Galliarum, quae postea ex Pii VII. dispositione ad aliorum etiam regnorum eiusmodi curam et negotia instituitur atque *a negotiis ecclesiasticis extraordinariis* nuncupatur. Et quamvis sub eiusdem Pontificis captivitate suspensa fuerit, restituta tamen est ab eodem hucusque perseverans; constat autem ex aliquibus S. R. E. Cardinalibus a Summo Pontifice

electis, Secretario et pluribus Consultoribus, qui ecclesiastica doctrina et peritia in negotiis gerundis excellunt.

Ob connexionem quamdam qua eiusmodi Congregationis officia cum secretaria Status gaudent, utraque distincta quidem frequentia seu celebratione, sed eamdem sedem habent. Et quamvis congregationi celebrandae fixus dies non sit; tamen illud affirmari potest eam frequenter haberi, praesertim tum cum vel nova graviora emergunt negotia, vel circa iam discussa et definita sit executio urgenda. Nec Summus Pontifex adstringitur quodam ordinario iure ad numerum fixum Cardinalium, qui ad hanc spectent Congregationem, istorum enim modo hos, modo illos, modo omnes pro negotii qualitate convocare solet. Ex dictis apparet quaenam negotia ad hanc Congregationem pertineant, quae inter recensentur solemnes conventiones, vulgo *concordata,* cum summis Principibus et guberniis, antequam ineantur, examinandae. Tandem haec Congregatio quoad regiones sive Imperio Russiaco subiectas, sive in Meridionali America sitas, concedit facultates et indulta in rebus ecclesiasticis; ideo quia ad hanc Congregationem earum regionum negotia pertractanda exclusive spectant eodem prorsus modo, quo pro locis Missionum S. C. de Progaganda Fide, negotia curat.

233. X. **Congregatio Indulgentiarum et SS. Reliquiarum** instituta est per Clem. IX. *Const. In ipsis Pontificatus nostri, 6 Iulii 1669.* Constat pluribus Cardinalibus, quorum unus Praefectum agit, Secretario et Consultoribus. Ad hanc Congregationem spectare accuratum examen de authenticitate ss. Reliquiarum, quaestiones et dubia circa indulgentias resolvere, novas concedere (quamvis concessio novarum indulgentiarum cumulative pertineat etiam ad secretariam Brevium et secretariam Memorialium) atque alia eiusmodi officia patet ex citata Clementis IX. Constitutione: « Nos autem eumdem inaestimabilem thesaurum (indulgentias) fideli dispensatione erogare et omnia, quae sacras reliquias contingunt, recte atque ordine disponere cupientes, nonnullos ex Cardinalibus ac aliquos (romanae) Curiae Praelatos, aliosque viros religione, pietate, doctrina et rerum usu eximie praeditos selegimus, quorum consilio, opera et industria tam gravem mu-

neris nostri partem ad Omnipotentis Dei gloriam, Ecclesiae honorem ac spiritualem Christi fidelium aedificationem facilius implere valeremus... Quapropter motu proprio ac certa scientia Congregationem S. R. E. Cardinalium ac Praelatorum et aliorum virorum praedictorum a Nobis, ut praefertur, electorum et deputatorum, ac in futurum tam a Nobis quam a successoribus nostris eligendorum et deputandorum *cum facultate* omnem difficultatem ac dubietatem in ss. Reliquiis aut indulgentiis emergentem, quae ad fidei dogma non pertineat (Nobis et Romano Pontifice pro tempore existente circa graviora distinctioraque consultis) expediendi; ac si qui abusus in eis irrepserint, illos, iudicii forma plane postposita, corrigendi et emendandi; causas vero iudicialem formam requirentes ad proprios iudices remittendi; falsas, apocryphas indiscretasque indulgentias typis imprimi vetandi, impressas recognoscendi et examinandi ac, ubi Nobis seu Romano Pontifici, pro tempore existenti, retulerit, nostra seu illius auctoritate reiiciendi; reliquias de novo inventas, quas fel. mem. Innocentius Papa III. praedecessor Noster, in generali Concilio Lateranensi publica veneratione coli, nisi prius auctoritate Romani Pontificis approbatas, prohibuit, recognoscendi quoque et examinandi; ac in concedendis indulgentiis, Sanctorumque Reliquiis donandis moderationem adhiberi, omniaque pie, sancte et incorrupte fieri curandi tenore praesentium perpetuo erigimus et instituimus».

234. XI. **De S. Congregatione supra Residentia Episcoporum** dixisse sufficiat, 1°. eam *institutam esse ab Urbano VIII. Const. S. Synodus 12. Dec. 1634;* qui eidem Cardinalem Urbis Vicarium pro tempore, praefecit, atque ad Secretarii munus obeundum addidit ipsum sacrae Congregationis Concilii Secretarium, *Bened. XIV. Const. Ad universae diei 3. Sept. 1746.*

2°. Finem vero esse urgere Tridentinam, *Sess. 6. c. 1. et Sess. 23. c. 1. de Ref.,* residentiae legem: hinc eiusmodi Congregationis proprium est circa eiusdem legis observantiam invigilare, contra delinquentes procedere, petitiones Episcoporum, nec non ab his propositas examinare rationes, pro absentiae indulto obtinendo ultra conciliares menses. *Trid. Sess. 23. c. 1. de Ref.*

3°. Ipsam denique ad hanc usque aetatem sex Cardinalibus

constitisse; in praesentiarum vero unum eius Praefectum, qui semper est Cardinalis Urbis Vicarius, atque secretarium eumdem, qui tale munus obit in S. Congregatione Concilii, de negotiis agere, quae ad hanc Congregationem super residentia Episcoporum spectant.

235. XII. **S. Congregatio Immunitatis ecclesiasticae** ab Urbano VIII. pariter instituta fuit: non convenit autem utrum vivae vocis oraculo, vel decreto Consistoriali, vel literis in forma Brevis *(cf. Cardinalis de Luca de Relat. Cur. P. 2. Disc. 17. n. 1),* in ordine ad negotia tractanda quaestionesque decidendas, quae circa realem, personalem et localem immunitatem, praesertim circa ius asyli versari possunt. Quamvis anteacto tempore pertractaret gravissima negotia, atque ad id bis in mense cogeretur; nihilominus hodie ob sane lugendas conditiones, quibus sive catholicae sive acatholicae nationes reperiuntur, opus imminutum valde est. Hinc factum est ut huius Congregationis officia non aliis conferantur, atque pertractentur, sed a S. C. C. pertractentur.

Summarium. — Appendicis instar ac subsidium antecedentium sunt 1) **Congregatio Caeremonialis;** 2) **Congregatio super examine Episcoporum;** 3) **Congregatio de eligendis Episcopis;** 4) **Congregatio Fabricae S. Petri;** 5) **Congregatio Visitationis Apostolicae pro Urbe;** 6) **Peculiaris Congregatio studiorum.**

236. Appendix. *SS. Congregationes quaedam addendae* heic sunt appendicis instar et subsidium antecedentium.

Et I. quidem **S. Congregationem Caeremonialem** veluti appendicem S. Congregationis Rituum instituit Sixtus V. *Const. Immensa;* cuius Congregationis, quae constat ex aliquibus Cardinalibus, Praefectum agit S. Collegii Decanus, Secretarium unus ex magistris Caeremoniarum, qui omnes magistri obeunt consultorum officium. Ad hoc autem fuit instituta, ut ritus caeremoniasque tam sacras, quam civiles curet: nec non de iuribus personarum cognoscat relate ad easdem caeremonias, quae in Romana Curia vigent. Hinc curat ut leges Sacrae liturgiae in publicis functionibus papalibus serventur adamussim; quaestiones resolvit circa praeeminentiam

inter Cardinales Praelatos, aliasque personas iure adsistendi in papalibus functionibus gaudentes. Regulas insuper statuit servandas in solemni praesentatione seu accessu Principum civilium eorumque legatorum ad Romanum Pontificem: ac proinde secretarius α) semper adest in palatio Apostolico, advigilans ut omnia rite peragantur; β) novos Cardinales instruit quoad actus solemnes proprios Cardinalatus, formulasque in litteris ad alios Cardinales et Principes adhibendas; γ) instructiones item ritus caeremoniasque servandas tam a novis Cardinalibus, qui extra Curiam degunt atque insignia Cardinalatus recipiunt, quam ab iis, qui e familia pontificia ad hos eadem insignia laturi mittuntur. *Cf. Lunadoro Relazione della Corte di Roma t. 2.*

II. *Congregatio super examine Episcoporum* instituta est a Clemente VIII. pro Italia et insulis adiacentibus, cuius esset de electo Episcopo, periculo facto, tam in theologica quam in canonica disciplina experimentum sumere, an ille scientiam Episcopatui, *iuxta Trid. Sess. 22. c. 2,* competentem iam possideat: constat autem haec Congregatio duplici Cardinalium et examinatorum classe, quarum altera in re theologica, altera in re canonica Candidatum Episcopum examini subiicit. Quamvis iure haec S. C. vigeat, facto tamen silere videtur.

III. Interdum Leo XIII, a Benedicto XIV. *Constit. ad Apostolicae 16. Oct. 1740, in pristinum restitutam* **Congregationem de eligendis Episcopis,** constantem ex quinque Cardinalibus et Praelato auditore Romani Pontificis pro tempore, qui secretarii munus obiret, et paulo post tacere coactam, denuo restituit, praeter quinque Cardinales et Auditorem secretarium addens duos alios officiales Coadiutores sub lege secreti, nec non practicas regulas ad inquisitionem circa personas et qualitates eligendorum tutius perficiendam. Eius, quem elegerit Romanus Pontifex, processum de more conficit Praelatus secretarius iuxta Urbani VIII. decretum *Si Processus an. 1627.* Dixi *restitutam* prius a Benedicto XIV, quia hanc primus instituit Innocentius XI., *cf. Card. De Luca Il Cardinale pratico, c. 34,* eaque postea cessavit.

IV. **Congregatio Fabricae S. Petri.** Quamvis ceu collegium pluribus Praelatis atque ecclesiasticis viris constans iam

a Iulio II. originem suam repetat, cui Sixtus V. Archipresbyterum S. Petri praefecit; tamen uti *Congregatio* instituta est a Clemente VIII, composita ex aliquibus S. R. E. Cardinalibus habens coadiutores, auditorem Camerae Apostolicae, Thesaurarium generalem, pontificiae Domus praefectum, unum ex auditoribus S. Rotae, unum ex Clericis Camerae, et Oeconomum Fabricae, qui secretarium ageret. Cuius Congregationis est: *a*) curare ut dispositiones ad pias causas (sive inter vivos sive mortis causa factae) executioni dentur, et *b*) applicare Fabricae S. Petri fructus decursos, qui in pium opus erogandi fuissent, nec non dispositiones incertas et pro incerto opere factas; *c*) eidem applicare legata ad pium opus determinatum, quae effectu carent ob insufficientiam bonorum; *d*) item applicare bona relicta vel attributa Ecclesiis, locis piis vel personis, quae ex suo Instituto, incapaces sint acquirendi et possidendi; *e*) cognoscere et decernere de causis nullitatis contractuum, alienationis bonorum ad quaelibet pia loca pertinentium, et quoties initi sint contractus sine beneplacito Apostolicae Sedis, fabricae fructus male perceptos applicare. *Card. De Luca Relat. Cur. disc. 20. n. 1. seq.*

Speciatim vero ad praxim hodiernam quod spectat huius S. Congregationis, dicendum est, ipsam procedere in via gratiosa quoad sua negotia expedienda. Haec autem negotia sunt in duplici genere: altero, quo oratores, piorum legatorum oneribus gravatos, ex iustis causis; tum quoad praeteritum absolvit ab omissionibus, imposita ipsis discretae pecuniae solutione pro Fabrica S. Petri, tum quoad futurum ex parte liberat ab oneribus, quatenus haec onera reducit, vel facultatem reducendi onera ad tempus Episcopis concedit: transfert insuper onera ab una Ecclesia ad aliam, ab uno ad aliud altare, nec non ultra duos menses conciliares missarum manualium celebrationem differt. Altero genere negotiorum haec S. Cong. ipsorum legatorum piorum redemptionem admittere et probare solet, praevia tamen Capitalis summae solutione in manibus Ordinarii: hanc autem summam Episcopus fructiferam facere, eius titulum custodire, atque ex reditibus satisfactionem legati pii quotannis curare debet. *Cf. De Luca disc. cit*

V. **Sacra Congregatio Visitationis Apostolicae pro regimine Urbis** Romae eiusque districtus instituta est ab Urbano VIII, constans ex aliquibus Cardinalibus, ex Secretario, ex Praelatis electo, atque ex consultoribus, quae munere episcopali in Urbem fungatur vice Romani Pontificis, qui licet huius Congregationis Praefecturam sibi soleat reservare, tamen Cardinali Urbis Vicario eidem praeesse nomine et officio Praesidis concessit. Ut omittamus quomodo hoc munus et officium executa sit haec S. C., hodie personas, Ecclesias, loca pia non visitat per delegatas personas, ut antea usque ad Leonem XII, cuius iussu ultima localis visitatio in Urbe facta est; curat tamen, 1) ut praesertim opera pia adamussim adimpleantur; quia et exigit a rectoribus Ecclesiarum quotannis libros onerum missarum et Cappellaniarum, examinat atque de iis decernit; curat, 2) ut legatorum piorum et Cappellaniarum dos conservetur, atque recte administretur, deque fundationibus, quas fideles noviter instituere velint, prospicit; 3) eleemosynae Missarum taxam dioecesanam in Urbe figit; onera antiqua ob redituum imminutionem reducit, atque de thesauro Ecclesiae supplens pro omissionibus praeteritis, iusta ex causa sanationem concedit; 4) quaestiones tandem resolvit, quae a collitigantibus circa Urbis Cappellanias et Legata pia agitantur, ita tamen ut in prima instantia de iis decernatur in Congregatione Consultorum una cum Cardinali Praeside, atque in casu appellationis a generali Cardinalium Congregatione resolvantur.

Tandem VI. **Peculiaris Congregatio studiorum ceu competens et ordinarium Tribunal pro studiis** rite moderandis a Sixto V. *Const. Immensa* instituta est, constans ex aliquibus S. R. E. Cardinalibus, quorum unus praefecti officium exercet, et secretario ex Praelatis assumpto, et suos etiam habet consultores. Huius Congregationis proprium est expendere et approbare novarum universitatum Catholicarum erectiones, eisque determinare leges pro cathedris constituendis, gradibusque academicis conferendis; nec non obortas inter iam erectas Universitates circa iura et privilegia quaestiones dirimere. In territorio Principatus civilis Romani Pontificis iuxta Leonis XII Constitutionem *Quod divina sapientia,* magna huic

Congregationi auctoritas est, ita ut ab ea omnes ditionis Pontificiae Universitates dependere debeant: quod ius, sicut plura alia, per summum nefas suspensum manet quoad exercitium.

II. DE CETERIS ADMINISTRIS ROMANAE CURIAE.

Summarium. — Ceteri administri Romanae Curiae constituunt sic dicta Tribunalia romana, i. e. partiales Curias, sive gratiae sive iustitiae. Porro 1) ad curiam gratiae pertinet Cancellaria Apostolica, Dataria et S. Poenitentiaria romana, reverenda Camera Apostolica et secretaria Brevium vel supplicum libellorum et status. 2) Ad curiam vero iustitiae pertinet Rota romana; signatura iustitiae et signatura gratiae. 3) Praeter hos alii denique recensentur administri, qui aliquo honoris gradu in Romani Pontificis Curiam cooptantur.

237. *Declaratur 1^m^*. Tribunalia sic dicta romana differunt a Congregationibus romanis, quatenus ad ius dicendum sint dumtaxat constituta: dum Congregationes tam iudiciariam, quam administrativam potestatem exercent. Porro ministrorum qui in negotiis gerendis Romano Pontifici praesto sint, triplex solet ordo distingui, prout vel iustitiam vel gratiam vel simplicem expeditionem proprie pro munere habent. Nos duplicem distinguimus, eorum scilicet qui ad Curiam gratiae et eorum, qui ad curiam iustitiae spectant: haec tribunalia, illa vero potius officia sunt. In 3. p. addimus eos, qui aliquo honoris gradu ad Romani Pontificis Curiam pertinent, e. g. Praelati domestici, Protonotarii Apostolici.

Ad Curiam gratiae pertinet I. *Cancellaria Apostolica,* quae edit atque executioni mandat seu expedit negotia in Consistoriis determinata: supremum dicitur esse dicasterium Ecclesiae unde Bullae prodeunt, praeterquam quod cetera dicasteria antiquitate praecellit; ipsi autem praeest Cardinalis vice-Cancellarius, cui subest regens Cancellariae et magnus Officialium numerus.

II. *Dataria* instituta est *a*) *generatim* ad *privata* expedienda negotia pro foro externo; *b*) ad omnes dispensationes concedendas in foro item externo quoad matrimonii impedimenta,

quoad irregularitates, vota, et iuramenta; *c*) ad ipsam insuper pertinet collatio beneficiorum reservatorum, confirmationes, indultorum et privilegiorum iam antea concessorum. Constat autem Cardinali Pro Datario, Ex Datario, qui tempus datae gratiae adnotat, atque ex aliis pluribus officialibus.

III. *S. Poenitentiaria* concedit absolutiones a casibus reservatis Romano Pontifici, dispensationes ab impedimentis matrimonii, *occultis* quidem, semper pro foro dumtaxat interno, *notoriis* autem in casu paupertatis oratorum; concedit etiam absolutiones ab irregularitatibus ex homicidio, nec non a simoniacis beneficiorum collationibus. *Cf. Bened. XIV. Const. Pastor bonus an. 1744,* ubi officia huius Tribunalis determinat; et eiusdem Constitutio *In Apostolica,* eodem anno, ubi melius statuit, ex quibus et quot personis illud constare debet. Poenitentiarius maior praeest, cui subsunt Praelati plurimi profunda doctrina insignes.

IV. *Reverenda Camera Apostolica,* quae aerario utriusque principatus ecclesiastici et civilis praeest, iurisdictionem in quasdam causas, praesertim fiscales habet. Olim eiusmodi officium ad Archidiaconum primum spectabat, tum ad Cardinalem Camerarium (Camerlengum) qui titulum habet, cum de facto administratio thesauri ad Thesaurarium atque auditorem Camerae spectat. Ex universa Ecclesia vel ad Cameram Apostolicam vel ad eius auditorem deferri possunt lites, quae inter fiscum ecclesiasticum et privatos pendent, in vim appellationis pro causae diversitate: in praesentiarum tamen fere hoc officium exercet pro universa Ecclesia. Cardinalis Camerarius, cui praeter auditorem alii subsunt iudices, eiusdem camerae Clerici dicti, inter cetera ius habet regimen status suscipiendi a morte Pontificis.

V. *Secretaria brevium* erecta est pro expediendis brevibus, continentibus dispensationes quoad aetatem, illegitimitatem; saepe concurrit cum Dataria; praeficitur ipsi Cardinalis, qui dicitur Cardinalis nepos. Interdum officium secretariae Brevium unitum est cum officio secretariae Status. Secretaria autem Status est ministerium Status Pontificii pro rebus extraneis, atque organum, quo Papa cum Principibus saecularibus commu-

nicat, nec non conclave, quo a Summo Principe, i. e. Romano Pontifice, imperii arcana tractantur.

Tertia Secretaria est supplicum libellorum vulgo *Memorialium,* quae scilicet recipit supplices libellos eosque Principi offert, atque huius responsiones extendit ac expedit.

238. *Declaratur 2^m^.* **Ad Curiam iustitiae pertinet.** I. **Rota Romana,** quae summum dici solet in Ecclesia 1) tribunal ad cognoscendas decidendasque in forma iudiciali contentiosas causas a Ioanne XXII constitutum an. 1326. 2) Appellatur autem ea ratione, quod Auditores controversias rotant et examinant. Vocantur auditores ab antiquo officio audiendi causas et ad Romanum Pontificem referendi. 3) Sixtus IV. sancivit, ut non plures nec pauciores essent, quam duodecim, qui simul cappellani et subdiaconi sint Romani Pontificis, quibus omnibus Decani nomine antiquior ex duodecim praeest. Ita porro tribunal cognoscit tantum de causis, quas ipsi iudicandas tradit Romanus Pontifex, quae non criminales, sed civiles esse solent, atque illud habet speciale, ut causae in prima seu ulteriori instantia in illa terminatae, in gradu appellationis in tertia, ulterioribus instantiis in eadem iterum committi debeant. 4) Statuit etiam Sixtus IV, ut auditores ex primariis nationibus assumerentur: scilicet tres ex Urbe, unus ex Tuscia, unus e civitate Bononiensi, unus a ducatu Ferrariensi, ex imperio austriaco unus, unus e Gallia, unus ex Veneta Republica, et unus tandem ex ducatu Mediolanensi. 5) Horum porro iurisdictio delegata ne, an ordinaria dicenda sit, communis opinio tenet in cognoscendo ordinariam, in pronuntiando delegatam esse.

Advertendum porro est; *a*) Congregationes supra numeratas et alia Tribunalia eamdem personam et idem tribunal facere cum Romano Pontifice in iis, quae ipsis sunt attributa, unde non licet ab eorum sententiis ad Papam appellare: at S. Rotam esse Tribunal a S. Sede distinctum, hinc a S. Rota ad Romanum Pontificem posse appellari; *b*) Congregationes posse quandoque, si id expedire iudicaverint, a rigore iuris declinare; S. Rotam sententias iuri conformes reddere semper teneri.

6) Id autem proprium est huius S. Rotae Tribunalis, α) ut

nulla causa *per se* et seclusa speciali commissione Romani Pontificis, eius iurisdictioni subiaceat; β) ut eas solas causas iudicet, quae ex toto mundo ad S. Sedem Apostolicam perlatae per specialem Romani Pontificis commissionem ipsi cognoscendae et terminandae assignantur: ergo huius Tribunalis iudices non ad instantiam partium procedunt, nec audiunt publice advocatos et procuratores, sed scriptas probationes defensionesque recipiunt, et partes singillatim eorumque advocatos privatim voce audiunt, ad celerius expedienda negotia, ad cavillis viam occludendam. γ) Ad hoc tribunal referuntur appellationes causarum spiritualium terrarum Orbis universi, causarum vero civilium praesertim ex statu ecclesiastico. Et quamvis huius Tribunalis auditorum sententiae vim Papalem non habeant, tamen ob scientiam legum et integritatem iudicum magnam habent auctoritatem magnamque in toto Orbe assecutae sunt celebritatem. *Cf. De Luca Relat. Cur. p. 2. disc. 22.*

II. **Signatura iustitiae** est quoddam supremum Tribunal, in quo contentiosa, quae ad administrandam iustitiam spectant, institutum ad quaestiones de rebus ecclesiasticis exortas, et de profanis etiam, in statu pontificio saltem decidendas, constans Cardinali, qui Praefectus signaturae audit, pluribus Praelatis, qui dicuntur *votantes signaturae,* referendariis aliisque.

III. **Signatura gratiae** est tribunal ipsius Romani Pontificis per quod gratiae extraordinariae conceduntur, sive pure tales, sive in rebus contentiosis, quae ab aliis iudicibus finiri nequeunt, et suprema atque extraordinaria Romani Pontificis potestate indigent, qui cum decreta propria manu signet, propterea *signatura* appellatum; *gratiae* autem ideo, quia in iis causis decisio ex gratia Pontificis postulatur, e. g. si quis petat ut a causa non appellabili appellare concedatur vel e converso; ut liceat aliquam causam appellabilem in iudicium adducere cum clausula: *appellatione remota.* Huic tribunali praest ipse Romanus Pontifex, qui adiuvatur a pluribus ex Praelatis a se electis: quos inter est Card. Poenitentiarius Maior, Praefectus signaturae iustitiae, Card. Vicarius aliique Cardinales, quique olim haud pauciores esse solebant, quam duodecim. His accedunt duodecim Praelati iidem, qui ad signa-

turam pertinent iusticiae, et cum in utraque signatura suffragia ferunt, *votantes* dicuntur.

239. *Declaratur 3^m^.* Ad eorum classem, qui aliquo honoris gradu in Romani Pontificis Curiam cooptantur, prae ceteris pertinent Praelati domestici, Protonotarii Apostolici, sive participantes, sive ad instar participantium, sive titulares, Cubicularii intimi, sive participantes, sive honorarii, Cubicularii honoris extra Urbem etc. Nam et ii omnes, quamvis alio modo quam antecedentes, sub generali Curiae Romanae seu Pontificiae appellatione comprehenduntur.

APPENDIX DE CARDINALI URBIS VICARIO, HUIUSQUE OFFICIALIBUS.

1. Ab adiutoribus Papae pro regimine universae Ecclesiae operae pretium est veluti in appendicem descendere, quae exhibeat paucis horum Romani Pontificis adiutorum in gubernanda dioecesi romana, quique sunt Cardinalis Urbis Vicarius, eius Vicesgerens, ordine episcopali insignitus, atque officiales ceteri, quibus Curia Romanae dioecesis constat. Iam enim antiquitus Romani Pontifices sueti erant in sua absentia suum sibi constituere Romae Vicarium, quandoque in civilibus et ecclesiasticis negotiis, quandoque in ecclesiasticis dumtaxat, eumque amplissima augere potestate. At praeter hos vicarios habere solebant et habent etiam nunc constanter Vicarium, qui Pontificem Romanum non quoad regimen universalis Ecclesiae, iuvant, sed qua Episcopum Romanum repraesentat cum plena iurisdictione episcopali exercenda, sive absente sive praesente eodem Romano Pontifice.

2. Post Pauli IV. decretum editum in consistorio 18 Novembris 1558, praxis est eo decreto statuta, ut hoc munus alicui S. R. E. Cardinalium semper conferatur. Dixi post Pauli IV. decretum, quia antiquitus tale munus committebatur etiam alicui Episcopo. Huius Cardinalis Urbis Vicarii, veluti generalis Vicarius est Vicesgerens pro causis universis ad quas tamen expediendas praesto sunt et alii particulares vicarii. « Habet, *ait Card. De Luca in Relat. Curiae Rom. disc. 13. n. 17*, tres alios Vicarios particulares; unum scilicet pro cognitione causarum civilium, sub quarum genere iuxta communem usum loquendi

veniunt tam temporales quam spirituales, quae non sint criminales.... et alterum pro cognitione causarum criminalium..., et iste *locum tenens* dicitur; et alterum Vicarium pro regimine monasteriorum, monialiumque *deputatus* dicitur ». Praeter Vicesgerentem est Secretarius Vicariatus sic dictus, ut distinguatur a ceteris officialibus, notariis et actuariis. Idem Secretarius etiam Cancellarii munere fungitur. In hoc tribunali seu curia non habetur distinctus specialis Procurator fiscalis, sed huiusmodi munere fungitur qui est advocatus et Procurator fiscalis Papae, quique est advocatus et Procurator generalis pauperum pro causarum diversitate.

3. Natura potestatis Cardinalis Urbis Vicarii est, ut non tantum iurisdictionis sit, sed etiam in divinis habeatur Vicarius, ita ut etiam munia episcopalia exerceat.

4. Ad cuius iurisdictionis indolem quod spectat, eam omnino ordinariam esse dicendam tenet communis Canonistarum sententia. Unde, licet vicario nomine, tamen ad instar Ordinarii dioecesani ea omnia Cardinalis Urbis Vicarius gerit, sive quoad potestatem ordinis sive quoad potestatem iurisdictionis, quae Episcopus gerit in sua dioecesi: *a*) visitatione pastorali excepta, quae speciali Congregationi commissa est, de qua supra; *b*) item excepta beneficiorum collatione, quae reservata est Apostolicae Sedi vel Cardinalibus in suis titulis.

5. Item potest Cardinalis Vicarius cum Clero Romano synodum dioeceseos Romanae convocare et celebrare. *Paul. III. Const. an. 1542. in Bullario apud Cherubini n. 36. § 10.*

6. Si extensio huius potestatis quoad personas spectetur, 1) iurisdictio Cardinalis Vicarii extensa est ad totam Urbem, praesertim tunc cum iurisdictio Cardinalium in suis titulis ad merum Ecclesiae servitium fuerit restricta atque ad internam ecclesiasticam disciplinam, unde tituli Cardinalitii populo separato carerent. *Bened. XIV. Const. Romanae Curiae 22 Dec. 1755; Innoc. XI. Romanus Pontifex 17 Sept. 1692.* 2) Insuper Card. Vicarii iurisdictio, licet ex *cap. 5. de Officio Vicar.* videatur concludi inter moenia Urbis, tamen de iure protenditur ad quadragesimum ab Urbe lapidem. Sed ab hac iurisdictione excipiuntur personae illae, quae intra dictum ambitum subiectae reperiantur dioecesibus hoc perimetro quadragesimi lapidis existentibus.

Nam Benedictus XIV. *Const. Romanae Curiae n. 21.* ait: « Item decernimus nullam in prima instantia Vicario competere iurisdictionem in dioecesibus et territoriis aliorum Episcoporum sive Ordinariorum in praedicto districtu Urbis existentibus, nimirum intra quadragesimum lapidem, sed solum in dictis dioecesibus et territoriis pro causis ad eum spectantibus citare et praecedere posse contra Clericos Romanos, ut supra, ratione originis vel beneficii, qui ibi commorantur; nec non exequi posse mandata tam realiter quam personaliter per eum contra ipsos expedita. Et hoc ipso servari volumus in dioecesibus sex Episcoporum S. R. E. Cardinalium, qui Episcopi suburbicarii vocari solent. Nam, sive Episcopatus isti habeantur pro distinctis et diversis ab Episcopatu Romano, sive dicti Cardinales censeantur in hisce Dioecesibus tamquam Coadiutores Romani Episcopi, neutro casu decet Cardinalem Urbis Vicarium cumulative cum ipsis iurisdictionem in prima instantia habere ». Intra has tamen Dioeceses existentes in dicto Romano districtu potest Cardinalis Urbis Vicarius executioni mandare sua decreta etiam realia, scilicet manus iniiciendo in personas suae iurisdictioni subiectas, seu Romanos Clericos.

7. Item Benedictus XIV., *cit. Const.* § *20,* aiebat: « In causis super matrimoniis contractis in Urbe vel aliquo alio quocunque loco intra eius districtum, in quo ordinaria seu episcopalis iurisdictio nulli alteri competat, prout etiam in causis super institutione in beneficiis ecclesiasticis in dicta Urbe et in iisdem locis existentibus statuimus, competere iurisdictionem Cardinali Vicario, *privative* ad Auditorem Camerae et quaecumque alia Urbis Tribunalia. In aliis vero causis spectantibus ad eius Tribunal contra Clericos non exemptos, videlicet eos, qui sint Clerici Romani ratione originis vel beneficii, vel contra Loca Pia existentia in Urbe aliisque locis praefatis, declaramus eidem competere in Civilibus iurisdictionem cumulative cum solo Auditore Camerae, et consequenter inter eos locum esse praeventioni ».

Sequitur autem in § 22: « Item statuimus Cardinali Vicario privative ad Auditorem Camerae et quoscumque alios com-

petere facultatem interponendi decreta in renunciationibus et aliis quibuscumque contractibus Regularium utriusque sexus, in coenobiis et monasteriis Urbis aut praefatorum locorum tempore probationis degentium ».

TITULUS XVII.

DE PATRIARCHIS, PRIMATIBUS, METROPOLITIS, LEGATIS, ETC.

I. IN GENERE QUO IURE HI GRADUS EXISTANT.

Assertum. — Nonnisi 1) **iure ecclesiastico existunt in Ecclesia Christi varii iique sublimioris gradus Episcopatus, qui Patriarchatus audiunt, Primatus et Archiepiscopatus;** 2) **merito autem Romanus Pontifex eosdem gradus in Ecclesia constituit.**

Praenotandum.

240. Ab iis, qui Romani Pontificis iurisdictionem in Curia participant ad eos qui eidem communicent extra Curiam seu Urbem gradum facimus. Et quoniam aliquam pontificiae iurisdictionis partem communicatam alii habent modo permanente atque inhaerente Sedi Episcopali quam occupant, quales sunt Patriarchae, Primates, Metropolitae, alii vero modo extraordinario et fere transeunte, quales sunt varii Legati Romanae Sedis; hinc prius dicere erit de illis, tum de his. Sed in antecessum praesenti asserto, solvitur quaestio *quo iure et merito Episcopi et Praelati distincti appareant in Patriarchas, Exarchas seu Primates, in Archiepiscopos seu Metropolitas, in Legatos et Vicarios Apostolicos:* et respondetur iure ecclesiastico. Agunt de hac materia Canonistae in *l. 1. Decr. tit. XXXI.* in specie autem *Barbosa, I. E. U. l. 1. c. 6. et 7; et de Offic. et pot. Episc. P. 1. t. 1. c. 6. tit. 3. et 4; Ventriglia, de Iurisdictione Archiepisc.*, aliique.

241. *Demonstratur 1^m^.* **Patriarchatuum, Primatuum et Archiepiscopatuum iuridicam originem repetendam esse ex institutione Ecclesiae** patet. Nam quidquid de

distinctione graduum iurisdictionis in Ecclesia Christi statutum est, id immediate repetendum vel a divino Fundatore, sive iure divino, vel a iure ecclesiastico: atqui non ex iure divino.

Ex sacris enim litteris *a*) *Luc. VI. 13; Matth. XVIII. 18; Io. XX. 22,* institutione Apostolatus facta a Christo Domino ac promissione perennitatis ministerii Apostolorum penes *Matth.*, probatur tantum voluisse Christum ut, praeter unum Petrum eiusque successores, essent alii potestatem habentes regendi, docendi, sanctificandi, quae potestas perpetuo propagaretur in alios.

b) Ex sacris item litteris probatur adsignandos esse limites Episcopis, h. e. ut, uno Romano Pontifice excepto, iurisdictionem in omnes Christifideles tam collective, quam distributive sumptos obtinente, ceteri Episcopi nequeant singuli quoslibet fideles aut universam regere Ecclesiam, sed ad certam dumtaxat huius portionem iure divino, *tit. I. 5. 7,* sint designati. Nam Titus ibidem iubetur a Paulo, ut constituat per singulas civitates Presbyteros. Petrus autem, *I. ep. c. 5,* monet Episcopos ut pascant gregem, qui in ipsis est. Hi porro limites adsignandi sunt nominatim a Summo Pontifice, qui universam actu iurisdictionem in omnes Christifideles obtinet supremam, immediatam, ordinariam. Ergo non probatur esse gradus Patriarchatus.... distinctos ex iure divino.

Et re quidem vera omnes Episcopi ex aequo censentur Apostolorum successores: *a*) haec sane praerogativa in omnibus ecclesiasticis monumentis asseritur ex aequo omnibus Episcopis, nullo discrimine facto inter simplices Episcopos et Patriarchas, aut Exarchas....; ergo cum iure divino Apostoli pares essent excepto Petro, et Episcopi pares erunt uno divino iure spectato; *b*) omnes Episcopi ex aequo illud dumtaxat obtinent, per quod ad regimen Ecclesiarum destinantur, h. e. characterem episcopalem. Atqui id quod a iure divino non est, ab ecclesiastico repetendum est: ergo. Vel probabiliter dici potest hanc distinctionem ab iure apostolico ecclesiastico originem ducere; quia α) Petrus fundavit tres Patriarchatus, Romanum, Antiochenum, Alexandrinum, et β) quia leve aliquod vestigium institutionis Metropolitani signasse videtur Paulus, cum

Titum iusserit consecrare Episcopos Cretae civitatum, quod tamen ius collatum Tito non constat fuisse permanens.

242. *Declaratur 2^m.*, i. e. **merito hos gradus Romanus Pontifex in Ecclesia constituit.** Nam Romanus Pontifex Episcopus Episcoporum et Ordinarius Ordinariorum ius habet, si ipsi videbitur, constituendi atque auferendi dignitates, prout necessitas aut utilitas gubernationis exigere possit. Porro post priora Ecclesiae saecula id necessarium erat pro aucto numero fidelium proque Ecclesiae amplitudine, quae totum Orbem complexa est. Hinc cum divino iure Romanus Pontifex totius Ecclesiae singulis fidelibus praesit, ad hanc exercendam in omnes potestatem, visum est iure ecclesiastico constituere quasdam in ipsa Ecclesia partitiones, ut primum in quasdam veluti provincias, deinde in altiores alias Praefecturas distribueretur Ecclesia.

Itaque licet singulis Episcopis sua manserit dioecesis, tamen ex iis, qui in una essent provincia, aliquis assumi coepit, qui ceteris praeficeretur; ex certo autem provinciarum numero alius constitutus est, qui in omnes illas provincias partem aliquam Summi Pontificis potestatem exerceret. Ut hac scilicet ratione in iis saltem negotiis, quae vel frequentiora vel urgentiora essent, nulla particularis Ecclesia per Summi Capitis absentiam detrimentum pateretur: praesertim tunc temporis, cum ceterorum Episcoporum communicatio cum universae Ecclesiae Capite minus facilis ob distantiam et cetera incommoda videretur. Illud proin accedebat, quod per eiusmodi praesules eminentiori potestate fulgentes, totius corporis Ecclesiae connexio fieret arctior, atque Episcopi, tum inter se, tum Romano Pontifici capiti suo strictius uniretur: ad quam strictiorem unitatem obtinendam ius primarium habet Romanus Pontifex. Ergo merito Romanus Pontifex in sollicitudinis partem ut officio Primatus fungeretur, vocare debuit ad superiorem iurisdictionis gradum, quem ipsa Episcopatus dignitas per se non ferebat.

Cum igitur nonnisi ex Romani Pontificis auctoritate constituti sint eiusmodi iurisdictionis gradus, sequitur: 1) hac institutione humana et non divina Pontifices sua se potestate non abdicasse; sed semper ea iura retinuisse, quorum participes fecere Episcopos; 2) quod Praelatura, quae hisce gra-

dibus a Romanis Pontificibus constitutis continetur, varia et mutabilis esse possit quoad loca, tempus, intensitatem et personas: prout hac de re disciplinam ex ecclesiastica historia mutatam esse luculenter constat.

II. SPECIATIM DE PATRIARCHIS ET PRIMATIBUS.

Summarium. — Tam 1) Patriarcharum 2) quam Primatum nomen, origo, officia et iura, sive praeterita sive praesentia, breviter innuuntur.

243. *Declaratur 1^m^.* **Patriarcharum** nomen I. sonat summum aut summos sive Principes Patrum. *C. 1. dist. 1.* In publicis monumentis nomen istud primum usurpatum reperimus in Concilio Chalcedonensi an. 451, ubi Dioeceseon Exarchae, nomine Patriarcharum compellantur, et nominatim Leoni Romano Pontifici tribuitur elogium Patriarchae, tum in acclamationibus Patrum, tum in epistolis Alexandrinorum Theodori et Sophronii Christiani, quorum literae inscribuntur: « SSmo ac Dei amantissimo universali Archiepiscopo et Patriarchae magnae Romae Leoni ».

II. Si res spectetur, videtur **originem** duxisse *a*) a S. Petro, quia hic scilicet fundaverat Ecclesiam Romanam et Antiochenam per seipsum, Alexandrinam per suum discipulum Marcum, ut loquitur S. Gregor. M.; *b*) in actis Concilii Chalcedonensis refertur plures tribuere voluisse Constantinopolitanae Urbi ius Patriarchatus, eo quod esset nova Roma, alios vero, praesertim Leonem M., contrá, renisos fuisse. Alexandrinam atque Antiochenam Ecclesiam non esse dignitate Patriarchatus constitutas ob politicam conditionem, licet haec potuisset esse quaedam occasio, quae ratio in *can. VI. Chalced.* a neutris afferri potuisset, si institutio esset ex iure divino. Dixi, licet potuisset esse quaedam occasio, ita ut non quidem ex urbium splendore Episcopi sibi dignitatem accrescere iudicaverint, sed cum aliqua iurisdictionis differentia ad sublevandas curas Primatus Romani Pontificis inter Episcopos esset instituenda, convenienter hae dignitates seu Primariae Sedes affigebantur iis civitatibus, ex quibus ob ipsam locorum celebritatem lux evangelica in

alias provincias facilius diffunderetur, atque a Patriarchis ordinati Episcopi deinceps maiori cum decore ad has Sedes recurrere potuissent.

III. Tandem **ad officia et iura** quod attinet Patriarcharum, prout antiquitus vigebant, praecipua erant: 1°. conservare *unitatem in fide* per mutuam concordiam atque unanimem de orthodoxa doctrina consensum: quem fovebant per litteras communicationis ad invicem, praesertim post ordinationem; 2°. decidere graviora Ecclesiae negotia pro regionis provinciis dilationem non admittentia, ad scandala removenda, ad pericula ex tot Religionis hostibus imminentia avertenda; 3°. ordinare omnes Metropolitas et Episcopos ditionis suae, sive per se sive per legatos; 4°. iudicare Metropolitas, atque ab istorum nec non ab aliorum suae ditionis Episcoporum iudicio quascumque appellationes recipere; 5°. tueri disciplinam ecclesiasticam in unitate totius Regionis et Provinciae; unde etiam subtrahere per *ius stauropegii*, quae voluissent monasteria; 6°. convocare concilia provincialia et plenaria, iis praesidere ac leges totum Patriarchatum obligantes ferre.

IV. Sed in praesens huiusmodi Patriarchae, qui **maiores** dicuntur, nonnisi titulum et quasdam honoris praeeminentias habent absque ulla iurisdictione. Qui vero Patriarchae **minores** audiunt, praeter titulum meri honoris, ea generatim gaudent iurisdictione, quae Metropolitis competit. Dixi maiores et minores, quia triplex genus Patriarcharum a pluribus distingui solet. Ad 1^m. pertinent *maiores*, scilicet antiquissimi et nobilissimi, i. e. Romanus, Alexandrinus, Antiochenus, quibus additus est Hierosolymitanus et Constantinopolitanus; 2^m. genus est eorum in Occidente, qui *minores* dicuntur, et hodie sunt Venetus, Ulyssiponensis et Indiarum Occidentalium, quo titulo Cappellanus Maior Regis Hispaniarum decorari solet; 3^m. genus est eorum in Oriente, qui cum Ecclesia Romana communionem habent, e. g. Maronitae, Melchitae, Syri, Armeni, et Chaldaei in Babylonia, qui omnes ab Episcopis et Archiepiscopis ritus respectivi Romano Pontifici praesentantur, ab eoque ad dignitatem patriarchicam elevantur, palliumque cum actuali iurisdictione in Metropolitas et Episcopos suae nationis accipiunt.

244. *Declaratur 2^m.* I. Patriarchis inferiores, aliis tamen dignitate superiores iam saec. IV. erant **Exarchae,** qui Dioecesibus praeerant. Dioecesis enim erat, quae plures provincias in unum velut corpus coadunabat: quae autem nunc dioecesis dicitur, scilicet ditio uni Episcopo subiecta, tunc paroecia vocabatur. Dioeceseon partitio in civilibus prius usurpata est: vox namque dioecesis per se significat administrationem, gubernationem, regimen, et translate penes Ciceronem est territorium, in quo iurisdictio et gubernatio exercetur: tempore Constantini M. dioecesis certum numerum Provinciarum complectebatur, quae simul collectae parebant Vicario praefecturae Praetorianae. Haec porro partitio translata est postea in imperio ecclesiastico ad Episcoporum fines distinguendos. Exarchae valent latino sermone *Primates,* utpote qui primas Sedes episcopales in aliqua regione obtineant.

II. Porro ad *originem* Primatis gradus quod spectat, repetenda illa est omnino ex apostolica concessione. Vicarios enim suos Romani Pontifices hos Primates in diversis provinciis constituebant; unde pro diversitate potestatis communicatae, varia erat eorum auctoritas: maxima olim concedi solebat Primati Thessalonicensi. Quod Primatis dignitas affigi soleret uni Sedi potius quam alteri, id ab arbitrio Romani Pontificis pendebat, qui vel ratione *loci,* quia erat urbs insignior et aptior ad maius Ecclesiae bonum procurandum, vel ratione *personae,* ob nempe praeclara in Ecclesiam merita alicuius Episcopi, huius Sedi vel in perpetuum, vel pro tempore affigebatur Primatis dignitas. Iamvero Primates erant magni Episcopi Ephesi, Eracleae, Caesareae, Palestinae: nunc vero ceu Primates habentur in Germania Archiepiscopus Salisburgensis; in Hispania Toletanus; in Gallia Bituricensis, Lugdunensis, Arelatensis, Viennensis; in Italia Pisanus; in Polonia Gnesnensis; in Hungaria Strigoniensis; in Anglia Cantuariensis; in Scotia Archiepiscopus S. Andreae; in Hibernia Armacanus; in Indiis Goanus....

III. Porro speciali iurisdictione, si excipiatur Episcopus Lugdunensis, cui adhuc competit ius appellationis, ceteri omnes Primates non gaudent praeter honoris praerogativam. De antiqua Primatum dignitate et potestate inter eruditos disputatur.

Sunt enim qui eos Patriarchas, sunt qui metropolitas, sunt qui ab utrisque distinguunt. Certe plures rationes faciunt pro illis qui *fere* Patriarchis Primates aequiparant, propterea quod utrique possent: 1°. confirmare Episcopos non immediate subiectos Romano Pontifici; 2°. recipere appellationes a iudicio Metropolitanorum; 3°. conferre beneficia totius Provinciae vel nationis iure devolutionis ab Archiepiscopo ad ipsos pro negligentia supplenda; 4°. excipere querelas delatas ad ipsos contra Archiepiscopum non exemptos; 5°. adde ius inspectionis totius nationis ut Metropolitae in suis Provinciis rite officio suo fungerentur; 6°. denique iisdem potissimum extraordinaria negotia a Romano Pontifice committebantur, ut ipsius nomine in suis Provinciis executioni mandarent. Sed non desunt rationes ab aliarum sententiarum patronis allatae, quas *cf. penes Devoti Inst. can. l. 1. heic § 38. nota 1,* atque omnino distinguenda varia tempora iuxta cit. notam, atque asserendum tum re tum nomine Primates distinctos esse a Patriarchis, et utrosque a Metropolitis.

Sed iam nunc circa Patriarchas et Primates non est cur diutius immoremur. Patriarchae enim, qui antiquo iure tales sunt et dicuntur maiores, i. e. ut taceam de Patriarchatu totius Occidentis Romani Pontificis proprio, de quo *cf. Devoti Inst. can. l. 1. tit. 3. § 34. nota 4,* Alexandrinus, Antiochenus, quique his deinde accesserunt Constantinopolitanus et Hierosolymitanus, occupatis ab Infidelibus et a Schismaticis detentis eorum Ecclesiis, meri titulares effecti sunt. *Giraldi P. 1. Sect. 881.* Qui autem recentiori aetate privilegio apostolico, eo nomine sunt insigniti, ii haud secus habentur ac potentiores quidam Metropolitae, *Schmalz. l. c. n. 20,* et si quid proprii iuris habent, huc illud fere recidit, ut ea possint in metropolitas sibi subiectos, quae metropolitae in suos suffraganeos. Primates vero aequiparantur Patriarchis minoribus, nomine et titulo ad ‚summum distinctis iuxta complures Auctores. Porro diximus Patriarchas minores haud secus esse ac potentiores metropolitas. Sed de his agit seq.

III. DE ARCHIEPISCOPIS SEU METROPOLITIS.

Summarium. — Indicatis breviter 1) tam nomine et origine Archiepiscopi, 2) quam lege erectionis Archiepiscopatus, 3) iura Archiepiscopi, quae olim ampliora fuerunt, 4) nunc generali hac regula includuntur: " Archiepiscopum esse iudicem ordinarium suorum suffraganeorum in iis tantum, quae a iure ei sunt permissa; ceterum nullam habere iurisdictionem, neque in loca, quae intra eorum dioecesim sunt, neque in eorumdem subditos, nisi in casu iurisdictionis devolutae, vel in re, quae ad totam provinciam pertineat „.

245. *Declaratur 1^m^.* **Metropolita est Episcopus, qui ceteris Episcopis praeest,** qui intra limites suae provinciae suas habent dioeceses, unde *Archiepiscopus* appellatur; *Metropolita* autem dicitur, quia in metropoli Cathedram habet (quo sensu non omnes Archiepiscopi sunt Metropolitae, cum civiliter nunc non omnes sedes archiepiscopales sunt etiam Metropoles). Qui vero eidem subiecti sunt Episcopi, dicuntur respectu eius *suffraganei:* quia nimirum in Concilio provinciali ius suffragii habent circa provinciae negotia, quamvis Episcopus alio sensu possit dici suffraganeus, scilicet a suffragando, i. e. adiuvando, et tunc proprie dicitur Coadiutor alicui Episcopo. Archiepiscopus graece, valet latine summus Episcoporum: et hic gradus alius a Primate totius Ecclesiae i. e. Romano Pontificatu, cum ex dictis repeti nequeat ex insito iure, non aliunde oriri potuit, quam ex Apostolica Sede; adeoque pars est communicatae universalis et ordinariae iurisdictionis, qua gaudet Romanus Pontifex in singulos et universos Catholicae Ecclesiae Episcopos, ad quem gradum alicui Sedi alligandum occasio non vero causa esse potuit civilis alicuius urbis conditio.

246. *Declaratur 2^m^.* **De erectione novi cuiuspiam archiepiscopatus** generales regulae duae sunt: eam scilicet faciendam esse, I. auctoritate Romani Pontificis, *cf. Petra Comment. ad Const. 3. Pii II. i. e. t. V. p. 188. n. 10. seq., ordinario* quidem, re prius mature discussa in S. Congregatione Consistoriali per congruum praemissum examen, vel *extraordinario,* scilicet motu proprio ipsius Romani Pontificis.

II. Legitimis accedentibus conditionibus, i. e. 1) cognita causa, quae est in genere *utilitas* vel Ecclesiae *necessitas*, in specie autem esse potest etiam *nobilitas* atque *antiquitas* Ecclesiae, de qua agitur, dignitas urbis in ordine civili, quippe quae sit Sedes vel supremi Principis vel Praesidum primi Ordinis; 2) auditis interesse habentibus, cuiusmodi sunt Metropolita a cuius iurisdictione nova metropolis subtrahenda est, et Episcopi, qui eidem subiiciendi sunt, *Petra l. c. n. 19;* 3) addictis (saltem ex regula ordinaria; aliquando enim contrarium factum est) novae Metropolis nonnullis Episcopis, qui eiusdem suffraganei sint. *Petra l. c. n. 22. seq. praesertim a 23. § Elicitur.*

Ad primam conditionem facit, quod *Petra l. c. n. 16. et 32. seq., destructio* veteris metropolis; si archiepiscopatus nimis esset amplus; si valde difficilis factus sit aditus ad veterem metropolim. E contra Graecis, qui inter Latinos vivebant et proprios habebant Episcopos, petentibus proprium Archiepiscopum gratia quandoque denegata est, ne facilius ad schisma aperiretur aditus.

247. *Declaratur 3^m^.* **Iura Archiepiscopi olim ampliora fuerunt.** Nam, 1. Ecclesiarum Cathedralium vacantium cura et officium ad ipsos spectabat, nec non bonorum in illis administratio, aut ad eas ius visitatores mittendi. 2. Ius praesidendi electioni novorum Episcoporum, in quos Cleri et populi suffragia concurrerent, hos examinandi, confirmandi et consecrandi recepta ab iis promissione canonicae obedientiae. 3. Ius convocandi et praesidendi Conciliis provincialibus, quae bis prius, dein semel in annum cogebantur. 3. Ius exigendi a suffraganeis relationes suarum dioeceseon, et gravibus quibusdam in casibus ad coercendos abusus ius dioeceses visitandi. 4. Iubere suffraganeos regi liturgia Ecclesiae metropolitanae, determinare tempus paschatis celebrandi. 5. Iurisdictionem exercere in prima instantia quoad suffraganeos per se in materia civili, et in concilio provinciali quoad res criminales: at post Sardicense Concilium nullus potuit Episcopus deponi absque Romanae Sedis consensu; promulgare leges ecclesiasticas ac civiles atque eius executioni mandandae insistere, concedere Episcopis petentibus et itinerantibus extra provinciam litteras, quae *formatae* audiunt.

248. *Declaratur 4^m^.* Generalis regula est, quoad 1^am^. p. « **Archiepiscopum esse iudicem ordinarium suorum suffraganeorum in iis tantum, quae a iure ei sunt permissa** », ideo quia Archiepiscopalis iurisdictio non est iuris divini, sed ecclesiastici, *C. 15. de Temp. ord.; C. ult. de Filiis Presbyt.,* quod etiam insinuatur *C. 1. de Suppl. neglig. Prael. in 6 ; C. 4. de Iureiur.; C. 8. de Reb. Eccl. alien.* Non ergo fieri potest argumentum a simili, aut a minori ad maius, nisi necessaria sit connexio. E contra cum episcopalis auctoritas propria et originaria censeatur, ex iure divino non humano procedens, ad regendam et gubernandam dioecesim directa, limites non admittit, nisi qui determinantur ex natura causae, qua de agitur, utpote maiori *per se* reservata supremo Principi in Ecclesia, aut qui praefigantur ab auctoritate suprema, a qua potestas episcopalis ex vi eiusdem divinae institutionis dependet et coarctari potest. Unde patet 2^a^. pars regulae. « Ceterum nullam habere iurisdictionem neque in locis, quae intra suffraganeorum dioecesim sunt, certis quibusdam actibus exceptis, neque in eorumdem subditos, nisi in casu iurisdictionis devolutae, vel in re quae ad totam provinciam pertineat ». *Cf. Petra l. c. Const. 2. Leon. IX. Sect. 5. n. 8. 20 ; Barbosa de Off. et pot. Episcopi l. 1. tit. 4. n. 31.*

Hinc archiepiscopi iurisdictio facile determinatur. Et primo quidem *quod iudex est suffraganeorum in casibus a iure expressis sequitur ad eum pertinere:* I. suffraganeos cogere, *Hilar. Papa ad Ascan. Tarracon. t. IV. Collect. Labb. p. 1037,* et contumaces etiam censuris coercere, *C. Venerab. de Sent. Excom.,* duplici tamen sub conditione : 1^a^. ut servetur ordo, *C. 2. de Off. Iud. deleg. in 6,* ut primum interdicto, deinde suspensioni, denique excommunicationi subiiciantur, nisi contumaciae aut culpae gravitas aliud suadeat; 2^a^. ut consulatur sin minus ex iuris necessitate saltem de congruentia, Apostolica Sedes, *Petra l. c. 60–91,* ubi etiam monet eadem posse Vicarium Archiepiscopi generalem, absente tamen archiepiscopo.

II. Eorumdem negligentiam supplere ita tamen, ut prius assignetur suffraganeo terminus, nisi forte ab ipso iure assignatus sit (e. g. fit in institutione ad beneficia praesentatis concedenda) ad munus suum implendum, *Barb. de Off. et pot. Epi-*

scopi n. 19, qui ab ea necessitate assignandi terminum non bene fortasse excipit crimina notiora, cum eiusmodi exceptio in actu tantummodo visitationis provinciae habere locum videatur. *Fagn. in C. 27. de Rescrip. n. 39.*

III. Appellationes a suffraganeorum sententiis recipere, *C. 11. de Off. Iud. Ord. et C. 13. de Appell. in 6,* quod scilicet intelligendum est de appellatione proprie dicta, quae nimirum fiat post sententiam definitivam, vel interloquutoriam definitivae vim habentem (cum forma iudiciali agitur): cuius videlicet gravamen per appellationem a definitiva reparari nequeat. *Trid. Sess. 24. c. 20. de Ref.; Bened. XIV. Const. Ad Militantis 30 Mart. 1742. § 42; Barb. l. c. n. 61. seq.*

IV. Convocare suffraganeos ad Concilium provinciale. *Trid. Sess. 24. c. 2. de Ref.*

V. Adigere negligentes Episcopos ad Seminarii erectionem. *Trid. Sess. 23. c. 18. de Ref.*

VI. Ius devolutionis quoad nominationem Vicarii Capitularis et rarius quoad beneficia.

Contra autem ex eodem principio sequitur *non posse* I. ob aliam causam suffraganeos cogere ut Curiam Metropolitanam adeant, ne Episcopi cum praeiudicio dignitatis suae vagari cogantur sive personaliter sive per procuratorem. *Petra in Const. un. Hon. II. n. 126.* II. *Iudicem se* constituere de causis civilibus suffraganeorum, licet ii non actores sed rei sint, *Petra in Const. II. Leon. IX. Sect. V. n. 8. seq. praesertim n. 15-18,* salva tamen consuetudine. *Petra l. c.* In Concilio autem provinciali posse tamquam praesidem eiusdem Concilii. III. Ne ea quidem exercere, quae de suffraganeorum confirmatione aut consecratione aut de cognitione causae eorum absentiae e dioecesi iisdem in iure attributa leguntur: quandoquidem reservata haec iam sunt Apostolicae Sedi. Cf. quoad 1^m. *Giraldi P. 1. Sect. 44. 77;* quoad 2^m. *Bened. XIV. Const. In Postremo 20 Oct. 1756. § 16;* quoad 3^m. *Bened. XIV. Const. ad Universae 3 Sept. 1746.*

Ex eo quod in ipsa Dioecesi atque in subditos suffraganeorum iurisdictionem non habet, nisi in casu devolutionis aut in re ad totam provinciam pertinente, sequitur: I. Non posse in suffraganeorum Dioecesibus actum

verae iurisdictionis exercere, adeoque ne officialem quidem ibidem constituere pro futuris causis ad eum per appellationem devolvendis. *C. 1. de Off. Iud. Ord. in 6.*

Nonnulla tamen excipiuntur utpote indicia habitualis iurisdictionis. *Petra Const. III. Pii II. sect. un. n. 48.* Sunt autem: *a*) Etiam in locis exceptis dummodo intra provinciam sint, iura 1°. praeferendi crucem; 2°. benedicendi populo; 3°. divina officia privatim vel publice etiam in pontificalibus celebrandi; 4°. iubendi ut ea, se praesenti, sine pontificalibus celebrentur, *Clem. 2. de privil.; Barb. de Off. et pot. Episcopi tit. 3. c. 1. n. 24. seq. tit. 4. n. 39. seq.; b*) exceptis locis exemptis ius indulgentias 40 saltem dierum concedendi. *C. 4. et. 5. de Poen. et remiss.; Barb. l. c. t. 4. n. 44; Ferraris v. Indulg. a. 2. n. 6. seq.*

II. Ex regula sequitur non posse dioeceses suffraganeorum visitare, nisi ex causa cognita et probata, *Conc. Trid. Sess. 24. c. 3. de Ref.;* quo quidem in casu haec tantum Archiepiscopo licent, scilicet praeter ea, quae natura sua exigit visitatio, *cf. Barb. l. c. n. 46, a*) confessiones subditorum suffraganeorum audire, eosque absolvere etiam a casibus et censuris reservatis Episcopo, idque tum per se tum per alios, *b*) iurisdictionem fori contentiosi in duobus tantum casibus exercere, i. e. 1°. in criminibus notoriis; 2°. contra impedientes eius iurisdictionem.

III. Contra posse iurisdictionem in suffraganeorum subditos exercere in duobus casibus ab initio iam dictis, adeoque posse, ut animadvertit *Barbosa l. c. tit. 4, a*) mittere edictum per totam provinciam de rebus ad suam iurisdictionem pertinentibus, *b*) pravam consuetudinem per totam provinciam inolitam prohibere; *c*) aliquem in dioecesi sua delinquentem exulem facere a tota provincia; *d*) praedicationis officium per totam provinciam alicui interdicere, et siquid aliud est huiusmodi.

IV. DE INSIGNIBUS ARCHIEPISCOPI.

Summarium. — Duo sunt Archiepiscopi insignia: 1) Pallium et Crux, quae ante eum deferri solet. Pallii tradita 2) notione, ad ipsum dicimus 3) requiri concessionem, petitionem, traditionem; 4) consequi auctoritatem seu exercitium archiepiscopalis muneris quoad iurisdictionem et ordinis potestatem, 5) nec non usum pallii quoad locum et tempus.

249. *Declaratur 1^m^.* Supradictam Archiepiscopalem potestatem significant insignia quaedam, quae proprie duo sunt: *Pallium* et *Crux*, quae scilicet ante Archiepiscopos deferri solet. De *Cruce* satis est adnotasse, eam formae communis esse, cum contra patriarchalis duplex lignum transversum habeat: eiusque praelationis iure Archiepiscopum in sua tantum provincia uti posse, cum patriarchae id valeant ubique, excepta urbe romana, eoque loco ubi Summus Pontifex aut eius legatus praesens sit. *C. Antiqua de Privileg.; Petra in Const. 3^m^. Pii. II. Sect. unica n. 41.*

250. *Declaratur 2^m^.* At de *pallio* paullo fusius. Est *tit. VIII. l. 1. Decr., De usu et auctoritate pallii;* ex quo patet non merum usum, sed iurisdictionis alicuius symbolum contineri in pallio: hinc nil mirum, si plures reperiantur in iure de pallii usu atque auctoritate sanctiones. Solet autem describi pallium: « *Pallium est fascia lanea, tres circiter digitos lata, circuli habens formam, quae inserta capiti, humeris insideat, duplicique linea aucta, quarum altera ante pectus, altera post tergum descendit, sexque sericis nigrique coloris crucibus distincta (Devoti Inst. can. l. 1. tit. 3. § 42.): texitur ea fascia ex lana duorum agnorum, qui in die S. Agnetis Romano Pontifici offerri solent, cui alia adiungitur, quae munda sit: in formam autem pallii contexta, a Summo Pontifice, vel a Cardinali, qui, eo absente, pontificalia agit, in vigilia SS. Apostolorum Petri et Pauli benedicitur, ac postea in arcula argentea prope Corpus S. Petri deponitur, petitionibus Archiepiscoporum eam reservando (Bened. XIV. Const.* Rerum ecclesiasticarum *12 Aug. 1748) cuius traditione defertur iurisdictio archiepiscopalis in certam quamdam provinciam* ».

Hac descriptione indicatur etiam ritus benedicendi pallium, scilicet antiquitus ipsa die martyrii, in praesens pervigilio S. Petri Principis Apostolorum post vesperas pallia benedicit ipse Romanus Pontifex, eaque per suos Cappellanos deponit in confessione Basilicae prope corpus S. Petri; ideo quia hac Apostoli solemnitate B. Petrus deposuit pallium suum suscipiendum a successoribus et transmittendum personis in Ecclesiastica Dignitate supra episcopali fulgentibus: et propterea dicitur pallium sumi de corpore B. Petri, quod agnoscatur ab omnibus, potestatem metropoliticam nonnisi ex potestate Petri seu Romani Pontificis procedere.

Hinc definitio alia spectat pallium materialiter seu physice, cum dicitur « *est fascia lanea candidas tres circiter digitos lata, in modum circuli contexta, quae humeros cingit, habetque ab utraque parte lineas in pectus et in humeros impendentes cum sex sericis nigrisque crucibus intextis, tribusque aciculis aureis consuitur, et alligatur* » ; alia vero iuridice seu formaliter in Ecclesia spectatur, cum penes Doctores audis: « *Pallium est insigne ornamentum desumptum ex corpore S. Petri et a Summo Pontifice Archiepiscopis datum, designans plenitudinem pastoralis potestatis et Archiepiscopalis officii, quo Archiepiscopi certis tantum diebus et intra Ecclesiam uti possunt* ». *Ferrari Ioseph. Inst. can. n. 145.*

Mittimus quaestionem de origine pallii historica quoad usum civilem, tam apud Hebraeos, quam apud ethnicos; cf. interea *Vespasiani de's. Pallii origine Romae 1856,* et *Santi Praelect. in h. t.*

251. *Declaratur 3^m^.* Cum Metropolitae insito iure hoc potestatis insigne non habeant, recipere debent illud a Romano Pontifice, qui tradat ipsis petentibus ab eo. Hinc triplex requisitum distinguitur seu actus ad palli substantiam *Concessio, petitio, traditio. a*) *Concessio* fit *a solo Romano Pontifice;* dico *a solo,* quia sublatum Patriarchis est ius conferendi pallium in Ecclesia Latina; in Ecclesia vero Graeca adhuc tale ius manet Patriarchis pro suis Metropolitis, annuentibus tamen Romanis Pontificibus; *b*) praemitti autem debet ab Archiepiscopo vel Patriarcha eiusdem pallii *petitio* α) intra tres menses a recepta consecratione, vel si consecratus iam fuerat a confirmatione,

Schmalz. l. c. n. 5; Bened. XIV.; β) idque per se si praesens sit, sin autem absens per personam legitimam, h. e. per procuratorem, a quo petitio quidem facienda est enixis precibus, sive, ut in more est, *instanter, instantius, instantissime;* γ) si pallium recipiatur per procuratorem, formula iuramenti debet esse qualis reformata est a Benedicto XIV. *Const. Rerum ecclesiast. 12 Aug. 1748; c) traditio* autem fit a primo Cardinali Diacono, si is, qui pallium obtinuit, in Urbe sit; si vero absens, ab eo ipso Archiepiscopo qui a Romano Pontifice fuerit delegatus, idque sub poena nullitatis, *Petra l. c. n. 16. et seqq.,* additoque insuper per eum, qui pallium recipit, fidelitatis erga Romanum Pontificem iuramento. *Devoti l. c.* § *44.*

252. *Declaratur 4^m^.* **Effectus** necessario consequens est exercitium muneris archiepiscopalis tum quoad iurisdictionem, tum quoad potestatis Ordinis actus maiores. Iste porro effectus adeo iungitur cum causa, i. e. receptione pallii, ut sine ipsa munus archiepiscopale exerceri nulla ratione possit, seu necessitas est eiusmodi, ut eo nondum accepto neque plenitudo pontificalis officii, neque nomen ipsum archiepiscopale quis mereatur. *C. 3. de Usu et auct. pallii.*

Unde sequitur eodem nondum accepto, *a*) Archiepiscopum quoad actus ordinis episcopalis, eos non posse exercere, qui maiores sunt, quique vestes pontificales exigunt, nisi forte in aliena dioecesi, Ordinarii rogatu, peragendi sint, *Schmalz. in h. t. n. 6; b*) quoad actus iurisdictionis, iis tantum fungi posse, qui sunt omnibus Episcopis communes, non autem iis, qui proprii sint muneris archiepiscopalis; *c*) Pallio amisso vel corroso novum peti debere, *Petra l. c. n. 38,* ubi addit, corrosum comburendum esse, eiusque cineres in sacrario reponendos.

Ex quibus probe intelliguntur duae pallii qualitates, i. e. 1^a^. eius necessitas, de qua satis dictum est, et 2^a^. pallii personalitas, quae afficit Archiepiscopum ut talis est, ita ut *a*) pallium commodari nequeat; *b*) ut mutata Ecclesia novum peti debeat; *c*) ut Archiepiscopo mortuo, cum eo debeat sepeliri, sive cadaveri superinductum si in dioecesi decedit, sive capiti sit suppositum, si extra; *d*) ut dimisso archiepiscopatu adhiberi amplius nequeat; ut *e*), si ex dispensatione apostolica

duos archiepiscopatus quis retineat, duplex item pallium habere debeat.

253. *Declaratur 5^m^.* **Usus definitus est tum quoad locum tum quoad tempus:** *a*) Locus est intra fines propriae iurisdictionis, i. e. intra provinciam, *C. 1. et 5. de Usu et auct. pallii;* idque etiam in locis exemptis. *Petra l. c. n. 27. b*) Tempus solemnioribus diebus Ecclesiae archiepiscopalis occurrit intra missarum solemnia, qui dies in ipsa concessione pallii designantur, quibus adnumerandus est dies Missae inchoativae Synodi sive dioecesanae sive provincialis, et quando maiores Ordinis episcopalis actus exercentur, cuiusmodi est Chrisma conficere etc. *C. 4. et 6. de Usu et auct. pallii; Petra l. c. n. 22. seq.*

Animadvertendum denique est, licet pallium insigne sit Archiepiscoporum et Patriarcharum, nihilominus privilegio apostolico aliquando etiam Episcopis concessum esse, *Benedict. XIV. de Syn. l. 2. c. 6; Devoti l. 1. tit. 3. § 45. nota 4;* imo Graecos omnes Episcopos idem sibi generatim a saec. X. usurpasse quemadmodum videre est apud Petra *l. c. n. 4. seq.; Devoti l. c. § 42. nota 6.*

V. DE LEGATIS.

Summarium. — Legatorum 1) specie varia distincta, 2) potestas quamvis delegata sit, quoad originem, quoad exercitium tamen est ordinaria; 3) porro alia est communis omnibus, alia propria legatorum a latere, 4) quae omnis expirat completo termino legationis, Romani Pontificis voluntate, et facto ipsius legati.

254. *Declaratur 1^m^.* **Notio et species variae Legatorum.** Agunt *de Legatis* Canonistae in *l. 1. Decr. t. 30;* tum *Barbosa in ius can. un. l. 1. a. 5; Ferraris, Bibl. can. v. Legatus,* et alii; in specie autem *de Legatis a latere: Turri, De auctoritate Legatorum a latere; Fragosus, Regimen christ. Reipub. P. 2. l. 4. Disp. 10.* aliique.

Heic adhuc de participantibus agimus iurisdictioni pontificiae exercitae plus quam in una dioecesi: *pontificiae,* quia maior est, quam in simplici ordinario Episcopo; tum quia universa-

lior, tum quia efficacior et potentior. Hucusque egimus de iis, qui tali gaudent iurisdictione modo ferme seu *ad instar ordinariae*: nunc vero de iis, qui quovis modo ceu delegatam eam habent, licet quoad ipsius exercitium ordinaria sit, i. e. *potestas legatorum*. Legati seu *Legati Apostolici ii sunt, qui a Romano Pontifice in certam provinciam mittuntur ad ecclesiastica negotia, nomine S. Sedis administranda. Pius VI. in Brevi seu in opere de Nunciaturis c. 8.* Dicitur *in certam Provinciam,* quo Legatus Papae ab eius delegato differt; nam delegatus Pontificis dicitur, cui una tantum vel certae dumtaxat causae committantur terminandae, ut in tit. *de Iud. deleg.* Legato autem competit auctoritas cognoscendi de omnibus causis commissae sibi provinciae tamquam iudici ordinario. *Reiff. in tit. de off. Legati n. 4. seq.*

Sunt autem triplicis speciei: *Nati* scilicet, *Missi,* et *a Latere. Nati* dicti sunt, quorum dignitati legationis officium coniunctum sit: cuiusmodi est Archiepiscopus Pisanus in Italia, Toletanus et Bracarensis in Hispania, Salisburgensis in Germania. *Legati a latere* dicuntur, qui e Cardinalium coetu electi sunt; *Missi* vel *Nuncii,* qui extra; cuiusmodi esse solent, qui ad supremos Principes mittuntur, ut apud eos, eorumque subditos Christifideles Pontificiam explicent iurisdictionem.

255. *Declaratur 2^m^.* **Legatorum potestas naturali origine videtur delegata**, quia per se ad nutum Romani Pontificis non ex officio, quod amovibile in iure est, tamen **quoad exercitium videtur ordinaria** et est respectu provinciae sibi commissae: hinc talis potestas et officium non expirat per mortem Papae, etsi nondum ea uti coeperit, etsi provinciam nondum fuerit ingressus ex *C. Legatos, iuncta Glossa v. Declaramus, h. t. in 6; Layman ibi.* Nam eiusmodi Legati sunt ad instar Proconsulum ceterorumque praesidum, qui ab Imperatore ad regendam provinciam mittuntur: sed Proconsules (quibus aequiparantur Legati a latere), et Praesides quibus ceteri Legati Sedis Apostolicae comparantur, gaudent ordinaria iurisdictione. *L. 4. et seqq. ff. de Off. Procons.;* et *leg. 3. et seqq. de Off. praesid.* Ergo. Insuper dicuntur Legati Sedis Apostolicae, quae numquam moritur....

256. *Declaratur 3^m^.* Porro alia est communis omnibus legatis missis, scilicet et legatis a latere: alia horum propria.

Sed quid **de Legatis natis?** Ut rem totam de legatis natis expediamus, sufficit animadvertisse de iis, nempe si quid superest, id pertinere tantum ad aliquam honoris praerogativam. Nam quoad iurisdictionem desierunt saeculo fere XV; quamvis antiquitus amplissima fuerit eorum iurisdictio modo permanenti adhaerens sedibus ipsorum, et horum officium erat ceu Vicariatus Sedis Apostolicae.

De Legatorum potestate *in genere* dici potest eam definiri apostolicis literis, quibus eiusmodi officium iis commissum est. *Schmalz. in t. de Off. Leg. n. 3.*

In specie autem haec adnotasse satis sit:

I. **Commune est Legatis sive missis, sive a latere** 1°. Ius excipiendi appellationes a sententia definitiva Ordinariorum vel a gravamine, quod sententia definitiva reparari nequeat. *S. C. Episcoporum et Reg. apud Conc. Rom. in Append. n. 13. et apud Girald. Expos. Iur. Pont. sect. 308. n. 2. seq.* Dixi *a definitiva,* non ergo ab interlocutoria, quae dicitur super quaestione inter iudicii cursum incidente, e. g. accessus ad locum; de purgatione spolii, de purgatione attentatorum. Dixi vel *a gravamine,* quod sententia definitiva reparari nequeat, e. g. excommunicationis, carcerationis. 2°. Ius assistendi matrimoniis ita, ut si coram ipsis inita fuerint, valeant. *S. C. C. apud Girald. p. 1. sect. 174. n. 25:* ipse loquitur de Legatis a latere tantum, sed dicendum de omnibus, *Sanchez de Matr. l. 3. Disp. 28.* 3°. Privilegium peculiare canonis, quo scilicet gravioribus poenis, qui eos offendunt, mulctantur. *Cf. Bull. Apost. Sedis Pii IX.* 4°. Privilegium concedendi indulgentias pro quocumque opere pio ad tempus, quod annum non attingat, pro Ecclesiis vero aut Cappellis septem annorum ac totidem quadragenarum, quae scilicet ab iis acquirantur, qui rite confessi et SSma Eucharistia refecti in eodem loco iuxta intentionem Ecclesiae oraverint. *Ferraris Bibl. can. v. Legatus n. 46. et v. Indulg. a. 2. n. 22; Ferrante tit. de Legatis.*

II. **Proprium est Legatorum a latere** *a*) ut ad probandam suam legationem literas apostolicas exhibere non teneantur, *Schmalz. t. de Off. leg. n. 9;* excipe legatos a latere, qui ad gubernandam provinciam status ecclesiastici mittuntur;

b) ut Urbe egressi et Romano Pontifice non praesente, licet Provinciam nondum attigerint, uti possint insignibus legationis suae, *Schmalz. l. c. n. 4; c*) ut ab eadem die possint absolvere quoscumque percussores Clericorum, quod ceteris legatis nonnisi intra Provinciam et quoad subditos tantum licet, *Schmalz. l. c. n. 4; d*) ut eorum adventu ceteri Legati ab insignibus atque ab officio legationis suae abstinere debeant, *Schmalz. l. c.; e*) ut habeant iurisdictionem etiam in exemptos, exceptis casibus Romano Pontifici specialiter reservatis. *Schmalz. l. c.*

f) Tandem ut habeant ius conferendi beneficia eos intra limites, de quibus supra, i. e. 1°. concurrunt α) cum Ordinariis, β) cum patronis in iurepatronatus mere ecclesiastico; 2°. possunt reservare pro certa persona beneficium nondum vacans, ubi primum vacaverit, duplici sub lege: I. ut, respectu eiusdem Ecclesiae vel Collatoris haud plus uno reservent; II. ut si, reservatione adhuc pendente, legatio cesset, etiam reservatio expiret. Haec autem omnia de beneficiis intelligenda sunt, salvis limitibus a S. Sede factis, quae quidem in legationibus ultra montes fieri ut plurimum solent.

Ceterum de tota hac materia conferri potest *Giraldi P. 1. Sect. 308; Ferraris Bibl. Iur. v. Legatus ibiq. S. C. C. Resolut. et Platus seu Tria in Synops. Privil. Card. n. 43. seq.*, qui nonnihil ponit discriminis inter legatos ordinarios et extraordinarios, adeoque adeundus.

257. *Declaratur 4^m^.* **Expirat autem Legatorum potestas** hisce modis. Et I. quidem *Legationis termino expleto,* si ad tempus vel ad certum negotium peragendum commissa fuit. *Schmalz. l. c. n. 10. et seq.*

II. *Legantis,* i. e. *Romani Pontificis voluntate* (nam morte non expirat, *Schmalz. l. c. n. 11*), si scilicet legatum revocaverit isque revocationem suam cognoverit (ergo gesta post revocationem, sed ante scientiam eius valida sunt, immo nisi termini revocationis aliud exigunt etiam revocatione cognita, eius potestas durare videtur donec e Provincia exeat, *Schmalz. l. c. n. 10. Ex aequitate*), vel simpliciter eidem successorem miserit, qui iam in Provinciam ingressus sit. *Turri De auct. Legator. a lat. l. 13.*

III. *Legati facto triplici*, id est eiusdem *a*) renuntiatione,

quae a Romano Pontifice acceptata fuerit, *Turri l. c. et seq.; b*) egressu a Provincia cum animo non redeundi, qui si desit, potestas et quidem contentiosa (ergo voluntaria durat) suspenditur, sed non expirat; *c*) morte Legati, *Schmalz. l. c.,* et non legantis, nisi sub formula ad beneplacitum nostrum legatio data sit.

258. Appendix. Dictum est supra quod legati nati officium adhaereat quibusdam sedibus ceu Vicariatus Sedis Apostolicae: at ab iis Vicariis Apostolicis sedulo distinguendum est aliud duplex genus Vicariorum Apostolicorum: alii enim ab Apostolica Sede mittuntur ad regendam aliquam dioecesim, sede sive plena sive vacante, vel quia Ecclesia iamdiu vacat, vel quia Episcopus est senio confectus, aut aliter inhabilis, vel quia fuit a iurisdictione suspensus: sed ii gaudent iurisdictione Ordinarii eamque exercent nomine Apostolicae Sedis, quamdiu huic placuerit. Alii sunt qui titulum habentes episcopalem ut dicitur in partibus infidelium, seu Episcopi titulares, deputantur a Romano Pontifice vel inter infideles vel inter haereticos, ubi non est constituta proprii nominis hierarchia episcopalis ad regendos fideles, Episcoporum instar, iuxta limites a Romani Pontificis litteris praescriptos. Quamvis hi Vicarii Apostolici non sint Episcopi dioecesani, et delegato iure existant, ordinariam tamen videntur exercere potestatem, quae dioecesanis Episcopis ordinarie inest, et sunt veri Pastores et superiores Cleri et populi sibi commissi, quamvis et ipsi Clerum et populum moderentur nomine Romani Pontificis. Unde horum potestas et officium melius intelligitur titulis sequentibus, in quibus de Episcopis et Praelatis inferioribus.

Dixi Vicarios Apostolicos alios esse titulares Episcopos, scilicet consecratos in Episcopos ad titulum alicuius Ecclesiae in partibus infidelium sitae, quia alii sunt qui charactere episcopali carent, et proprie dicuntur *Praefecti Apostolici.*

Porro **Praefectorum apostolicorum** duplex est species: altera scilicet eorum, qui, cum territorium proprium habeant, veri missionis superiores sunt et loci quasi Ordinarii: quorum auctoritas definitur literis S. C. de Propaganda Fide; altera eorum, quorum praefectura territorio alicui Episcopo subiecto

continetur: et horum pariter auctoritas, habita ratione ad territorialem episcopum, dictae Sacrae Congregationis literis definitur.

Si moriatur Vicarius Apostolicus in regionibus, quae more missionum reguntur, cum non adsit coadiutor cum iure futurae successionis, interim Vicariatus regimen suscipit Vicarius generalis, quem in vita habilem atque idoneum Vicarius Apostolicus constituere sibi debet, ex *Bened. XIV. Constit. Ex sublimi 26 Ian. 1753.* et *Quam ex sublimi 8 Aug. 1755.* Huic porro Vicario generali post obitum Vicarii apostolici tribuuntur omnes facultates, quae Vicariis capitularibus competere solent. Dixi interim, donec a novo Vicario Apostolico Vicariatus possessio ineatur, aut aliud a S. Sede disponatur.

TITULUS XVIII.

DE EPISCOPIS.

NOTIO, ORDO TRACTANDI.

259. Praenota. 1) Iurisdictionis Episcoporum triplex gradus distingui debet, prout scilicet vel simpliciter tales sunt, vel altiorem iurisdictionis gradum adiectum habent, vel denique, sive in Conciliis sunt constituti sive singillatim sumpti, in ordine ad universam Ecclesiam aut provinciam Ecclesiasticam considerantur. Unde triplex caput, de quorum altero iam egimus, de tertio agemus alio in titulo: de primo nunc restat agendum, seu de Episcopis prout simpliciter tales sunt. 2) Agunt *de Episcopis* Canonistae *l. 1. tit. 31. Decret.* peculiares autem tractatus de hac materia edidere *Barbosa de Off. et pot. Episc.*, cui *Giraldius* suas adiecit adnotationes; *Antonelli de Regim. Eccl. episc.; Ugolini de Off. et pot. Episc.; Bouix de Episc.*, aliique. Insuper praestat eadem de re consulere *Benedictum XIV. de Synod. dioec.* et *Ferraris Bibl. can. v. Episcopus.*

Episcopus est « *Praelatus ecclesiasticus sacerdotii plenitudine auctus, adeoque habilis ad omnia media, quae ad finem Ecclesiae obtinendum necessaria sunt, administranda* ». Potest autem vel habere materiam (subditos scilicet) in qua potestatem suam

exerceat, vel eam non habere. Hinc duplex Episcoporum species, Ordinarii seu Dioecesani, quibus actu certa dioecesis i. e. regimen certae Ecclesiae populique christiani, qui in ea continetur, commissa est; et Titulares, quibus Ecclesia mere titularis, quae scilicet in partibus infidelium existit, cleroque ac populo christiano caret, collata est. *Trid. Sess. 14. c. 2. de Ref.* Ergo primum de Ordinariis, deinde de Titularibus Episcopis agemus, quibus appendicis instar pauca adiiciemus de Episcopis, qui e Regularium coetibus assumuntur, quorumdam canonum caussa, qui pro iisdem scripti sunt; denique de illis, qui scilicet Episcopi non sunt, tamen potestate quasi episcopali seu proprio munere gerunt, h. e. de Praelatis inferioribus. Sed de postremis in titulo sequenti; nunc de illis et istis duobus distinctis articulis.

ARTICULUS I.

DE EPISCOPIS ORDINARIIS.

Praenotandum.

260. Paucis huc revocanda quaestio est, scilicet **quo iure sint in Ecclesia Episcopi.**

Et Resp. *Iure divino:* Christus nempe constituit Episcopatum, adsignanda tamen gregis sui portione Episcopis singulis; in qua portione iidem vere ordinaria et immediata iurisdictione in subditos suos gaudeant, et tamquam veri Principes in Ecclesiam iurisdictionem iure proprio exerceant. Nam α) Episcopi sunt veri successores Apostolorum, qui non vicariam, sed propriam; non delegatam, sed ordinariam ipsam exercebant. β) Episcopi sunt, quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, *Act. c. 20;* atqui id nequiret intelligi, si ipsi Vicarii essent Romani Pontificis; ergo γ) semper Episcopi in universalis Ecclesiae regimine participarunt, praesertim tum, cum in Oecumenicis Conciliis vere iudicum et legumlatorum partes egerint, ita ut eorum suffragium ceu deliberativum habitum sit: atqui id explicari nequit in hypothesi vicariae potestatis. Ergo. δ) Denique si Episcopi potestas vicaria foret,

posset suo arbitrio Romanus Pontifex Episcopalem Ordinem auferre; quod dici non potest. Ergo.

Sed de ordine Episcopatus quoad iurisdictionem iure divino fusius in iure publico. Potestas episcopalis, ius et onus, quaeque ex his consequuntur, emolumenta, et privilegia, duplici absolvuntur lege, scilicet *lege iurisdictionis* et *lege* quae dicitur *dioecesana*. Unde quadruplex paragraphus: 1ª. de Episcopi potestate; 2ª. de Episcopi officiis seu oneribus; 3ª. de lege dioecesana; 4ª. de Privilegiis.

Quoniam agimus de iurisdictione ab Episcopis in sua dioecesi exercenda, I. quaedam principia praestituenda et parumper explananda, quae versantur circa quamcumque potestatem episcopalem reducendam ad actum; II. haec iurisdictio triplici capite distincta demonstranda est Episcopis propria in sua qualibet dioecesi, praesertim quoad doctrinam, actiones, bona temporalia, unde ius docendi, regendi, administrandi.

Ut plena et adaequata complexio canonum exponatur, qui ad Episcopos pertinent, tota Episcopi vita exponenda esset. Primo nimirum *a*) dispositiones necessariae; *b*) modi, quibus rite ad episcopalem dignitatem vocari quis potest; *c*) modi, quibus ea rite confertur; tum ea scilicet explicando, quae pertinent ad eius veluti ortum, i. e. ad eius dispositiones..., tum ea exponendo, quae ad eius vitam proprie dictam pertinent, i. e. ad ipsum dignitatis episcopalis exercitium, sive relate ad potestatem, sive ad onera, sive ad emolumenta, sive ad privilegia; tum denique ea quae pertinent ad eiusdem veluti interitum, modos nempe explicando, quibus usus dignitatis atque iurisdictio episcopalis cessare potest.

Sed multa ex his acta iam sunt. Et primo quidem acta est prior illa pars tota, qua dixi Episcoporum ortum contineri. Iam enim diximus de modo, quo Episcopalis ordo confertur, i. e. de consecratione, de qualitatibus eius, qui ad Episcopatum vocatur, ubi in genere traditum est, quibus deferri iurisdictio ecclesiastica possit, et quibus modis acquiratur: e quorum summa haec memoramus: Promovendus 1°. habeat aetatem 30 annorum exactam; 2°. habeat ordinem sacrum saltem a sex mensibus; 3°. nullo impedimento sit irretitus sive irregularitatis, sive censurae, aut privationis vocis activae et passivae, vel deni-

que praeiudicii contrarii, quo alias ob defectum personalem sit reiectus; 4°. non sit notorie criminosus sub poena nullitatis electionis ipso iure; 5°. gradum Doctoratus habeat vel licentiam in Theologia aut in Iure can. vel saltem eiusmodi scientiam, quae sit sufficiens ad alios docendos, testimonio alicuius publicae Academiae. His porro addendi sunt modi negativi; absit nimirum obreptio, vis, auctoritas laicorum, simoniae vitium. Insuper debet adesse, si nominatus a Principe aut electus, confirmatio aut institutio, tres intra menses, quo trimestre duplicato negligens excidit iure suo, eademque sub poena ne se immisceat administrationi. *Cf. supra ubi de electione et infra in lib. de poenis.*

Pariter de modis, quibus Episcopatus amittitur, actum est ubi in genere de cessatione iurisdictionis ecclesiasticae. Tandem de Episcoporum privilegiis actum est, partim ubi de Privilegiis Cardin., et partim agetur infra.

Unum tantum monemus heic addendum, quod alibi omissum est, praxim scilicet, quae nunc obtinet, conferendi episcopatus seu providendi Ecclesiae vacanti. Igitur ad praxim hodiernam quod spectat providendi Dioecesibus viduatis pastore suo I. in Ecclesia Latina fit provisio *a) libera nominatione Romani Pontificis* in tota Italia ubi concordata non amplius existunt, nisi penitus infracta, in Mexico, et in infidelium partibus, ubi Vicarii Apostolici fideles regunt. Qua in re notandum est Leonem XIII. Constitutionem Bened. XIV. *Ad Apostolicae servitutis 17 Oct. 1740,* suo vigori restituisse, et peculiarem Congregationem erexisse. Const. *Immortalis memoriae 11. Kal. Octobr. 1878.*

Haec peculiaris Congregatio Romano Pontifici, praesertim ad promotionem praeficiendorum in Italia consilium et operam sedulo praestans, constat quinque Cardinalibus, praecipuum munus habens, sub secreti fide per Metropolitas Italiae aut seniorem uniuscuiusque provinciae Episcopum « ab Ordinariis exquirere nomina et merita praestantiorum utriusque cleri sacerdotum, qui ea sint aetate iisque iuxta sacros canones qualitatibus ornentur ut Episcopatibus vacantibus praefici valeant ». Documenta rite confecta diligenter expendit dicta Congregatio, ac sedulo examinat quae de indole, natura, con-

ditionibus et dotibus eorum, qui proponuntur, relata fuerunt: nec non de horum vita et moribus diligentius inquirit. Quo examine diligenter peracto, spectat ad Congregationem Consistorialem in peculiari conventu de cuiusque idoneitate et meritis iudicium ferre: et eorum, qui sibi maturo iudicio probati fuerint, nomina proferre tum, cum Romanus Pontifex requirat.

b) Fit provisio *commendatione plurium personarum* facta ab Episcopis Provinciae vel a Clero vacantis Ecclesiae, ut in Statibus Unitis Americae in Canadiensi regione, in Anglia, in Hibernia..... Dixi *commendatione*.... quia licet Romanus Pontifex e commendatis soleat assumere, tamen ad id non tenetur; et quemlibet extra commendatos interdum assumpsit.

c) Praesentatione ex parte Principum, quibuscum ea iniit concordata quae eis *novos* Episcopos nominandi facultatem tribuunt.

Saepe quoque indulget S. Sedes alicui principi, ut in suo statu non promoveantur episcopi nisi communicatis consiliis inter utramque potestatem.

d) Pluribus Capitulis Ecclesiarum manet modus electionis proprie dictae uti Capitulo Coloniensi, Trevirensi, Wratislaviensi, Paderbornensi, et Monasteriensi in Germania ex Concordato Pii VII...

II. In Ecclesia Graeca Pius IX. *Const. Reversurus 12 Iulii 1867* pro natione Armenorum immutavit disciplinam, quae antea obtinebat.

Antea obtinebat hac in re, ut Patriarcha eligeretur ab Episcopis Patriarchatus interveniente Clero et populo; Episcopi autem eligerentur a Patriarcha interveniente clero et populo: atque ita facta institutione, notitia rei ad Romanum Pontificem mitteretur cum edita fidei professione.

At Pius IX. *cit. Const.* statuit 1. ut in *electione Patriarchae* a suffragio Clerus et populus excludatur: 2. ut ad *electionem Episcoporum* indicatur synodus universorum Episcoporum Patriarchatus, qui, collatis consiliis, tres viros idoneos Episcopali muneri proponant Romano Pontifici, ut hic digniorem vacanti Ecclesiae praeficiat. *Cf. Acta S. Sedis v. 3. pag. 386.*

Quae disciplina ad Chaldeorum Patriarchatum extensa est Pii IX. *Const. Cum Ecclesiasticae 31. Aug. 1869.*

Restat igitur quoad Episcopos Ordinarios, ut dicamus de eorum 1) potestate; 2) de officiis; 3) de iuribus seu emolumentis; 4) quaedam de privilegiis. Distinguimus primum, scilicet potestatem seu iura ab altero capite seu officiis, ut clarius obligationes pateant; nam ceteroquin iura Episcoporum ita sunt iura, ut simul sint officia iisdem imposita; h. e. si quam habent iurisdictionem, tenentur exercere. Iurisdictio enim est *a*) potestas et facultas, quae datur ad actum, atque adeo exerceri quandoque debet. *b*) Est autem potestas supernaturalis a Deo Episcopatui tradita ut, quoties fidelium bonum illam exigat, exerceatur: *Sicut misit me Pater et ego mitto vos. Io. 20. 21. Euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae. Marc. 16. 15. Docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis. Matth. 28. 20.* Et re quidem vera potestas, quae traditur ad bonum publicum ac finem societatis obtinendum, exercenda est non pro arbitrio possidentis illam, sed pro fine, ad quem tradita est. Unde quoties ratio necessitatis, aut utilitatis finis id exigat, exerceatur oportet. Ergo.

§ I[a]. De Potestate Episcopi Ordinarii.

I. REGULAE GENERALES AD ORDINARII POTESTATEM DETERMINANDAM.

Summarium. — Regulae quibus variae Episcopi potestates determinantur communes sunt: 1. Episcopus ut iurisdictionem validam exerceat, eiusdem capax actu esse debet; 2. ut Iurisdictio, quaecumque sit, exerceri ab Episcopo nequeat, nisi in proprios subditos; 3. ut nonnisi intra propriam dioecesim exerceri possit iurisdictio contentiosa, aut voluntaria cum propriae dignitatis apparatu; 4. ut constitutioni vel reservationi auctoritate superiori factae non contradicat.

261. *Praenotanda* 1) Potestas Episcopi duplex; *Ordinis,* de qua alibi, et *Iurisdictionis,* de qua nunc agendum. Sed ipsa iurisdictionis potestas in duas distinguitur species: in ordinariam, quae in subditos, et in delegatam, quae in exemptos ab Episcopo exercetur. De delegata in exemptos alibi: heic de ordinaria iurisdictione dicendum superest.

2) Uti fundamentum regularum haberi debet quod Episcopi, licet veri principes sint in sua quisque dioecesi ad leges et sententias ferendas, poenasque infligendas; tamen in hac religiosa societate ipsi supremi non sunt: et cum ex institutione divina unus inter ipsos supremus existat, qui immediatam et ordinariam tam in Episcopos, quam in Episcoporum subditos habeat plenissimam potestatem; sequitur quod episcopalis potestatis exercitium ab hac suprema iurisdictione praescindere non possit, nec potestas ipsa possit excludere influxum supremi Principis, a quo sive ut a conditione sine qua non, sive ut a fonte potestas tota in Episcopos derivatur: unde cum suprema Primatus Pontificis Romani potestate cohaerere debet, tum quoad ortum, quia missio, tum quoad exercitium, quia dependentia a Romano Pontifice omnino requiritur. Hinc conclusio: « *Episcopus dioecesim suam iure ordinario et proprio, sed non plene, gubernat;* scilicet *cum potestate a superioribus ecclesiasticis, praesertim a Romano Pontifice dependente, ab inferioribus non limitanda* ». Inde etiam cavendum est a regula illa generali, qua nonnulli ordinariam Episcopi potestatem comprehendunt, sive cum aiunt *penes Barb. de off. et pot. Episcopi p. II. alleg. 33. n. 16,* in iis, quae sunt de genere permissorum, Episcopum posse ex rei natura, et ex ipso iure divino, intra propriam dioecesim ea omnia, quae Summus Pontifex potest in Ecclesiam universalem super omnem orbem christianum; nisi per sacros canones, aut per Summum Pontificem prohibeatur: sive aliis verbis asserant Episcopos posse in dioecesi sua quidquid Romanus Pontifex in tota potest Ecclesia, iis exceptis, quae eidem expresse reservata sunt. Ab eiusmodi regula cavendum esse recte docent etiam *Bened. XIV. de Syn. dioec. l. 9. q. 1. n. 5. seq.; Fagn. in C. Dilectus de temp. Ord. n. 16. et in C. Perniciosum de Off. Iud. Ord. n. 28; Monacelli supplem. ad Formul. legale pract. supplem. ad tom. II. n. 368;* quandoquidem plura sunt, quae licet Romano Pontifici non sint reservata; nihilominus vel natura ipsa sua, quippe quae supremam exigunt potestatem, vel quia ab eo sunt constituta, cui superior inerat auctoritas; Episcoporum iurisdictioni minime subiiciantur.

262. *Declaratur 1^m^. a*) **Variae Episcopi potestates** etc... quia iurisdictio ecclesiastica, sive ordinaria sive delegata sit, duplici sub respectu distinguitur: 1°. ratione *fori,* unde dividitur in iurisdictionem fori interni, quae in sacramentali confessione, et in iurisdictionem fori externi, quae extra exercetur; 2°. ratione *modi,* unde alia dicitur *voluntaria* quae in *volentes,* quo pertinet tota iurisdictio fori interni et quidquid fit sine strepitu iudicii, atque praesertim quidquid est gratiosae partis in foro externo; alia *contentiosa,* quae *etiam in nolentes, forma praesertim iudiciali, exercetur.*

Qua distinctione advertatur, voluntariam esse, quae exercetur in volentes et sine strepitu iudiciali. Ubique communiter voluntaria dicitur, quia exercetur in volentes: quidquid autem odiosum est fit in invitos: ut semper accidit quoad illos contra quos iudiciali processu sententia fertur, atque proinde nomen voluntariae desumitur ab eo quod est maximum et longe frequentius. Nihilominus cum divisiones, ne frustraneae sint, fieri debeant ratione varii effectus iuris, quod in unaquaque divisionis parte seu specie servari debet; cum apud Doctores inter voluntariam, quatenus haec distinguitur a contentiosa, recenseantur plura, quae odiosa sunt; hinc malui definitionem iurisdictionis voluntariae in eo maxime collocare, quod fiat sine strepitu iudicii, ita ut comprehendat ea etiam, quae odiosa sunt, dummodo fiant sine strepitu. Nam ius varium quod intercedit inter voluntariam et contentiosam iurisdictionem, hoc est, quod illa, si exerceatur absque insignibus dignitatis, exerceri possit etiam extra dioecesim; contentiosa autem nullo modo.

Hinc est quod communiter Doctores docent, quamvis nonnulli refragentur, etiam censuram exerceri posse in proprios subditos extra dioecesim, modo illae sine strepitu ferantur, et intra dioecesim propriam subditi effectum habeant.

b) Communia fori interni et externi videre est penes Canonistas in tit. *de Off. Ordin.* e. g. *Reiff., Fagn. in C. Conquerente.*

c) Nos agimus heic *de potestate Episcopi in genere;* in seq. p. *de potestate episcopali in specie.* **Episcopus ut iurisdictionem validam exerceat, eiusdem capax actu esse debet,** sive vere et in se, sive saltem iuxta intentionem ac

permissionem Ecclesiae quoad eos scilicet, qui *titulum habent iurisdictionis coloratum* una cum errore communi, i. e. totius populi coniunctum, *Barbosa De off. et pot. Episc. Part. 2. alleg. 25. n. 62. alleg. 4. n. 17. seq.;* tum etiam quoad eos, qui licet *excommunicati* aut *suspensi* sint *(Const. Ad evitandam* etiam suspensionem complectitur, ait Suarez *de Cens. disp. 26. Sect. 2. R. 2)* denunciati tamen non fuerint, *Suar. l. c. et disp. 14. Sect. 1. n. 4. seq.; notoriis Clericorum percussoribus,* itemque *notoriis haereticis* semper exceptis.

Unde sequitur, *a*) Vicarios quoque Episcoporum, qui excommunicati aut suspensi denunciati sunt, aut notorii sunt percussores Clericorum a sua iurisdictione suspendi, *Barb. De off. et pot. Epis. P. 3. alleg. 54. n. 146; Fagn. in C. Quo diversitatem de Conces. Praeb. n. 25;* quandoquidem unum est Episcopi et Vicarii tribunal: licet matrimoniis assistere minime prohibeatur, cum eiusmodi actus non sit iurisdictionis, *Barb. de Off. et pot. Epis. P. 2. alleg. 32. n. 119. seqq.;* Vicarios autem Episcoporum, qui notorii sint haeretici, sua iurisdictione omnino privari, quia per notoriam haeresim Episcopi iurisdictio omnino extinguitur, *Fagn. l. c. n. 34;* adeoque ne matrimoniis quidem valide possunt assistere. Unde etiam sequitur Episcoporum iurisdictionem, qui tales sint, devolvi ad Capitulum ceu fit sede vacante, ceterorum autem ad Summum Pontificem. *Fagn. l. c. 13. ad 34.*

b) Episcopos quorum excommunicatio et suspensio denunciata nominatim non est, quive sciunt vero iurisdictionis titulo se carere, licet coloratum habeant una cum errore populi coniunctum, etsi valide iurisdictionem exerceant (si aliud non obstet) illicite tamen iurisdictionem exercere, si saltem ultro se ingerant, *Suar. l. c.;* adeoque irregularitatem incurrere, si praedictis censuris innodati ordines conferant; subditos autem qui eosdem *notitia facti* tales noverint, impune eorum iurisdictioni non parere, *Suar. l. c. Disp. 24. Sect. 1. n. 15;* quod intellige de re liquida.

263. *Declaratur 2m.* **Potestas Episcopi in subditos.** Cum praeter Romanum Pontificem supremum in Ecclesia Principem, alii sint inferiores magistratus, nempe Episcopi ex institutione divina in partem sollicitudinis vocati, pronum erat ne confu-

sio fieret, his inferioribus magistratibus limites figere adsignando subditos seu portionem gregis, quod naturaliter per designationem territorii seu dioeceseos contingit iam ab ipsis Apostolis, *1. Petr. V. 2: Pascite qui in vobis est* (seu qui commissus est) *gregem Dei.* Et S. Paulus territorium suum adsignavit aliud Timotheo, aliud Tito; et quaelibet urbs Asiae Minoris suum habebat Episcopum, quod semper in Ecclesia retentum est. Unde cum unus Romanus Pontifex principatum teneat in universam Ecclesiam, coeteri autem Episcopi in portionem gregis, affixi regendis subditis, in determinato territorio existentibus, sequitur quod iurisdictio Episcopi, quaecumque sit, exerceri ab eo nequeat, nisi in proprios subditos, qui scilicet tales sint, vel *a) omnino* per verum aut quasi domicilium, quod praesertim necessarium est in infligendis censuris. *Antonel. de loco legali l. 2. c. 15. n. 189,* ibique alii. *Verum domicilium* acquiritur habitatione alicubi constituta, cum animo ibi perpetuo manendi, nisi improvisa quaedam causa alio avocet; *quasi domicilium* acquiritur habitatione ibi constituta per maiorem aut per notabilem anni partem; *b)* vel saltem *in ea re,* de qua agitur; quod fit 1°. in delictis et contractibus si intra dioecesim initi fuerint; 2°. quoad forum internum occasione simplicis transitus, *Fagn. in c. Consilium de observat. n. 41;* 3°. quoad collationem ordinum (praeter veri domicilii rationem: nam quasi domicilium excluditur) ratione sive verae minimeque fortuitae originis, i. e. nativitatis, sive triennalis cum Episcopo cohabitationis et familiaritatis, sive beneficii in eius dioecesi possessi.

α) Hinc iurisdictio Episcopi, quoad adsignatum territorium, est universalis in omnes ibi existentes, salvis iis, qui dicuntur exempti; β) est exclusiva ita, ut nullus Episcoporum in negotia alterius dioecesis sese valeat immiscere; γ) ordinaria, propria et perpetua, ut supra indicavi.

264. *Declaratur 3m.* Ex iam exposita 1ª. regula sequitur 2ª. Ex dictis enim sequitur, nullum Episcopum functiones, iura exercere posse, nisi in propria dioecesi. *Trid. Sess. 6. c. 5. ipsa rubr.:* « Episcopi in alia dioecesi nec Pontificalia exerceant, nec ordines conferant » sub poena suspensionis.

Hinc regula 2ª.: **Iurisdictio contentiosa itemque volun-**

taria, quae cum propriae dignitatis apparatu ab Episcopo exercetur, altera quidem valide, altera autem licite **exerceri ab eodem non potest, nisi intra propriam dioecesim.** Unde ne in loco quidem exempto, *Schmalz. de Off. iud. Ord. n. 31 ; Fagn. in C. Cum ex iniuncti de Nov. op. nunt. n. 29,* iurisdictio voluntaria sine ullo dignitatis apparatu exercenda; exerceri extra dioecesim et in loco exempto etiam licite potest, adeoque etiam irrogatio censurae, quae absque iurisdictione contentiosa inferatur, *Anton. de loco legali l. 1. c. 10. n. 13;* dummodo effectus conferatur in propria dioecesi. *Barb. l. c. t. 1. p. 2. num. 18.*

Quamobrem nonnisi intra propriam dioecesim huiusmodi iurisdictio exerceri potest: *a*) tum *respectu ipsius ius dicentis* seu Episcopi, nisi forte in propria dioecesi iurisdictionem suam exercere impediatur, et ab Ordinario loci, ad quem confugerit, veniam petierit, licet non impetravit, *Clem. un. de Foro comp.; Schmalz. l. c. n. 31 ; Antonel. l. c. l. 2. c. 15. n. 206 ; Bened. XIV. de Syn. l. 1. c. 5. n. 3 ; b*) tum *respectu eius,* in quem iurisdictio exercetur, nisi forte agatur α) vel de ipsa personae suae a dioecesi indebita subtractione, cuiusmodi est e. g. violatio legis residentiae quoad eos, qui habent beneficium residentiale; vel β) de duratione censurae aut praecepti personalis quoad eos, qui iisdem innodati e dioecesi recedunt, *Bened. XIV. de Syn. l. 13. c. 4. n. 9;* idque ita ut praecepti obligatio duret sive latum fuerit super actione praeterita, sive super futura, quando recedentes domicilium non mutent; sin mutent, si tantum super praeterita, *Suarez l. c. disp. 3. sect. 5 ;* γ) vel denique de digressu e dioecesi per fraudem ad aliquam legem eludendam, *Bened. XIV. l. c. n. 10,* saltem in duobus casibus a iure expressis, i. e. 1) ad eludendam legem tridentinam quoad solemnitates matrimoniales, *Urb. VIII. Const. Exponi nobis 14 Aug. 1627 ; Bened. XIV. Const. Paucis 19 Mart. 1759 ;* 2) ad evitandam legem reservationis alicuius peccati quoad confessionem sacramentalem. *Clem. X. Const. Suprema 22 Maii 1670.*

265. *Declaratur 4^m^.* Quidquid contrarium est constitutionibus, quae in superiori auctoritate vim fundatam habeant (e. g. Constitutiones Capitulares approbatae a S. Sede, leges editae in Conc. provinciali....) superiorisve auctoritati est re-

servatum, id episcopalem iurisdictionem regulariter excedit, salvis exceptionibus in iure approbatis, de quibus actum est in prolegom. iur. priv., cum res esset de dispensatione, scilicet 1°. cum in canone simpliciter dicitur posse dispensari; 2°. in casibus magnae necessitatis, ubi periculum sit in mora; 3°. in materia levi parvique momenti; 4°. in casibus frequenter occurrentibus et fere quotidianis; 5°. et vi consuetudinis legitimae. Qua in re caute procedendum est.

II. DE EPISCOPI ORDINARII POTESTATE LEGIFERA.

Assertum. — Competit Episcopo ius 1) ferendi leges, sive in Synodo sive extra Synodum obligantes universam suam dioecesim; 2) nominatim relate ad rectum dioecesis regimen: atque ad exercendum ius quod habet; 3) docendi rectam fidem eamque suo magisterium fovendi ac tuendi; 4) ius per sacramenta omnia fideles sibi subditos sanctificandi; 5) nec non ius divinum cultum promovendi, et 6) tandem ius bona ecclesiastica administrandi.

266. *Declaratur 1^m^.* Ut distinctius de Episcopali iurisdictione atque in specie sermonem instituamus, inquirimus quatenus ea pateat quoad suam triplicem functionem legiferam, iudiciariam, coactivam. Et respondemus eam latissime patere. Et quoniam prior divisio supra iacta est ratione fori, agemus prius de potestate fori externi, quae maxime ad ius canonicum pertinet, tum nonnihil de potestate fori interni attingemus. Porro potestas seu iurisdictio fori externi, salvis exceptionibus, quae mox a regulis generalibus traditae sunt, plenissima est in Episcopis: adeoque omnes suas partes complectitur, i. e. potestatem tum legiferam, tum iudiciariam, tum coactivam.

Nos hoc assertum coarctamus ad potestatem legiferam. Et cum in Ecclesia potestas legifera, quae media in ordine ad finem societatis obligatorio modo proponit, pro vario obiecto habeat tum rectam fidem, tum bonam vitam seu actiones sanctas et cooperationem Christifidelium gratiae tum sanctificanti sive primum obtinendae sive augendae per sacramenta vivorum, tum actuali per bona opera, dirigendam, cumque

etiam bona temporalia, quatenus ad res et personas ecclesiasticas referuntur, respiciat, hinc legifera Episcoporum potestas circa haec omnia versatur et audit, ius docendi, sanctificandi, regendi et bona temporalia administrandi, prout ipsum innuit assertum.

In hac 1ª. parte generatim dicimus, **quidquid pertinet ad potestatem legiferam, id salvis supradictis exceptionibus, in iurisdictione Episcopi contineri**: adeoque competit Episcopo leges ferre pro sua dioecesi, *Bened. XIV. de Synod l. 7. c. 3. n. 1. et l. 13. c. 4. n. 3,* in iis omnibus scilicet, quae pertinent ad suum officium, quod est in divino cultu augendo et conservando, et in ovibus sibi creditis in ordinem ad finem ecclesiasticum pascendis. *Barb. de Off. et pot. Episc. P. 2. alleg. 1. n. 2.*

Unde etiam sequitur eidem competere *a*) ius utcumque mutandi sive abrogandi, sive dispensationibus relaxandi tum proprias tum antecessorum leges, dummodo superioris auctoritate, e. g. Romani Pontificis, aut iuramento proprio (secus si de antecessorum iuramento, *Del Bene de Iuram. c. 2. dub. 45. n. 15. seq.*) non fuerint communitae.

b) Ius abrogandi particulares suae dioecesis consuetudines (universales enim non potest, quippe quae ad ius commune pertinent, *Bened. XIV. de Sacrif. Missae l. 3. add. 12. n. 10*): si scilicet Ecclesiae bono iam officiant, *S. C. C. in Leopolien. 30 Iul. 1763,* qua tamen in re prudenter se gerere debent, praesertim si adsit praeiudicium tertii.

c) Ius particularia praecepta in personas sibi subditas ferendi.

d) Ius dispensandi a iure etiam communi, in iis casibus in quibus ius ipsum commune patitur.

e) In specie, ut aliqua exhibeamus exempla, potest Episcopus dispensare suos subditos circa ieiunia singillatim sumptos, non autem totam dioecesim aut aliquam civitatem: item facultatem concedere diebus festis agendi opera servilia: quoad matrimonii impedimenta dispensare dirimentia non potest, nisi in casu urgentis necessitatis, sive ante sive post matrimonium, si sint occulta: potest dispensare impedientia, exceptis impedimentis ortis ex sponsalibus, ex voto Sedi Apostolicae reser-

vato, atque ex haeresi in matrimoniis mixtis. Item competit Episcopis potestas ordinaria dispensandi in votis simplicibus a suis subditis emissis, modo reservata Romano Pontifici non sint sive ex iure, sive ex lege speciali ipsius Romani Pontificis.

f) Unum adhuc innuendum superest in hac parte. Est autem « Episcopum statuta vim legis habentia condere posse etiam extra Synodum et quidem sub poena excommunicationis indubium prorsus est ». « *Nemo salva fide* (ait Bened. XIV. *de Synod. l. 13. c. 4. n. 3*) *potest* iurisdictionem illis (Episcopis) abiudicare suas oves legibus adstringendi quibus obtemperare cogantur ». Episcopus secundum Romanum Pontificem in dioecesi sua quilibet uti princeps et legislator solus habitus est. Hinc statuta episcopalia non expirant morte legislatoris si condita et lata fuerint in Synodo, quod penes omnes certum est. At si edita illa fuerunt extra Synodum, quoniam aliquot subdubitarunt, ideo Bened. XIV, *l. c. l. 13. c. 5. n. 1,* affirmat tantum *melius* sentire eos, qui perpetuitatem tribuunt statutis episcopalibus extra Synodum factis atque editis, *audito tamen consilio Capituli;* quam sententiam veriorem dicit *Card. Soglia Inst. iur. pr.* § *5,* nulla mentione facta consilii Capituli.

267. *Declaratur 2m.* Nominatim **cetera omnia potest exercere quae relate ad rectum dioeceseos regimen pertinent:** quae assertio patet ex dictis. Unde potest Vicarios suae iurisdictionis sive generales pro tota dioecesi, sive foraneos pro certa dioeceseos parte creare; parochos ac rectores Ecclesiarum constituere, oeconomos, si id necessitas ferat, iisdem apponere; particulares causas sive negotia, quibus rectius existimet, dummodo capaces sint, delegare; suos subditos ad ecclesiasticos ordines promovere; operam suorum Clericorum in dioecesis bonum iuxta ea, quae dicta sunt, exigere.

In specie autem e capitulo Cathedralis Ecclesiae duos canonicos ad sui servitium assumere; veniam praedicandi tribuere; beneficia ecclesiastica, salvis reservationibus, vel iuribus alteri quaesitis, conferre; nova erigere; indulgentias partiales intra limites a iure positos dispensare; gratias ac privilegia, quae non sint contra ius commune, aut contra Romani Pontificis reservationes, largiri; publicas preces aut orationes in Missa dicendas, quae dicuntur collectae, aut etiam ieiunia in-

dicere; ad omnia pia loca, nisi forte exempta sint, sui regiminis curam extendere; denique ea omnia agere, quae ad oves suas rite pascendas, divinum cultum tuendum pro temporum locorumque circumstantiis necessaria censeat, de quibus omnibus suis in locis vel actum est, vel agetur; sive in hoc, qui est de personis, sive in altero qui de rebus erit, libro, prout scilicet personae sunt, vel res, in quas iurisdictio Episcopi fertur, praeter ea, quae circa Episcoporum onera et emolumenta exponuntur.

268. *Declaratur 3^m^.* **Ius habet docendi....** ad quod exercendum uti potest etiam legifera potestate. Ipsi enim Episcopatui competit authenticum magisterium, quod a Christo Domino commissum est Apostolis. Nam Christus Dominus doctrinam divinitus revelatam voluit certa serie testium et doctorum a se instituta perpetuo custodiri, praedicari et propagari: atqui haec series testium et doctorum post Apostolos sunt omnes Episcopi successores eorum in episcopatu et regimine Ecclesiarum: ipsi sive *universi* Episcopi *simul* cum Petro, i. e. Romano Pontifice, constituunt magisterium illud authenticum, cui propter suum caput infallibilitas competit, sive singuli, qui iure divino partem tenent in solidum unius episcopatus (qui totus directus est ex divina ordinatione ad praedicandam, propagandam et tuendam divinam revelatam doctrinam, atque ius doctrinae a se traditae fidem exigendi), ac sunt in suis Ecclesiis magistri fidei authentici et iudices. Ille enim est magister authenticus, qui ex officio divinitus instituto ius et obligationem habet custodiendi, praedicandi et propagandi doctrinam revelatam, atque huic fidem exigendi: iudex vero est, qui ex publica auctoritate fert sententiam super aliqua controversia, cui sententiae parendum sit.

Iamvero ex ordinatione Christi Domini exsistunt Episcopi, qui singuli suas cathedras habent, quibusque singulis portio gregis est adscripta, quam regat unusquisque et gubernet auctoritate episcopali, quae est auctoritas iurisdictionis, h. e. 1) leges ferendi pro suis Ecclesiis, ideoque et docendi; 2) iudicandi in omnibus iis, in quibus oves suae regi debent: ergo etiam in causis fidei, pro quibus institutum est magisterium Ecclesiae; 3) adeoque et quoad haec etiam coercendi.

Unde sequitur ad Episcopos pertinere *a*) officium et ius declarandi in sua dioecesi veram doctrinam atque obortos errores damnandi. Ipse Augustinus, *ep. IV. ad Bonif.*, plures haereses ibi fuisse fulmineo ictu repressas narrat unde exoriebantur, quod Episcopi dioecesani et Metropolitae opera factum esse subindicat.

b) Promulgare decreta fidei a Romano Pontifice atque ab oecumenicis Conciliis edita.

c) Praedicare verbum Dei, quod antiquitus ita proprium erat Episcopi, ut nonnisi tamquam exceptio alteri quandoque permitteretur. In praesenti disciplina, si qui permittantur hoc officium concionandi ordinarie obire, id nonnisi approbante Episcopo. Et quamvis aliquis regularium de mandato sui superioris concionem habere possit in sua Ecclesia; praevia tamen benedictione accepta ab Episcopo, quo contradicente, nemini unquam e regularibus etiam in suis Ecclesiis licet concionari. Ex dictis patet, Episcopum praecipere posse ut, ipso concionante seu homiliam episcopalem habente, alii concionem sacram in civitate non habeant. Ratio horum omnium est, quod ipse solus sit post Romanum Pontificem authenticus magister et iudex. Quamvis enim et alii fideles docere possint: hi tamen non succedunt iis, quos Christus ad docendum misit, seu non constituunt seriem eorum, quos Christus testes et Doctores instituit in Ecclesia sua, atque adeo non ex officio divinitus instituto ius habent praedicandi, custodiendi et propagandi fidem, neque *ex se* et *per se* ius habent exigendi ut ipsi audiantur: et ea doctrina credatur, quam ipsi proponant; quia deest iurisdictio. Dixi *ex se* et *per se:* nam alii concionatores ex commissione Episcopi vel ex officio, cui ex Ecclesiae institutione adnectitur concionandi munus, mittuntur ut audiantur et eorum doctrina recipiatur, si non contradicit et consonat doctrinae Episcopi et Romani Pontificis. Sunt autem plures, qui ex privilegio Romani Pontificis potestatem habent episcopalem ordinariam, vel eius quamdam participationem in aliquam gregis Christi portionem. Ergo.

d) Ad Episcopum pertinet Clericorum educationem atque disciplinas seu scholas, in quibus instituantur, moderari. Cum enim ad solos Episcopos pertineat ordines conferre iis tantum,

qui in sortem Domini vocati, praeclaris moribus, doctrina, atque regulis sanctis diu conversati in Ecclesia Dei, spem certam faciunt se valde profuturos Ecclesiae, sequitur Episcopum habere ius et officium, tota antiquitate testante, suos instituendi Clericos, eorumque vitam, studia, et quoad religionem ac bonos mores praecipue moderandi, invigilandi institutoribus atque hos, ubi opus est, removendi. Ex ipsa Tridentina Synodo Seminariorum fundationem pro qualibet dioecesi decernente, eorumque curam et regimen Episcopis committente, patet: nam Episcopi ex *Trid. Sess. 24. de Ref.* omnimodam iurisdictionem habent in scholis Clericorum ac Seminaria, salvis, qua parte existunt, iuribus Regularium.

e) Sequitur ad Episcopum spectare ius inspectionis relate ad scholas etiam laicorum saltem *negative,* quatenus in iis nil tradatur, quod rectae fidei bonisque moribus adversetur: atque *positive* exigere, ut discipuli a scholis laicorum commodum habeant, ut in sacra catechesi informentur.

f) Ad Episcopum tandem spectare ius suis legibus lectionem eorum librorum fidelibus interdicendi, qui rectae fidei, bonis moribus ac pietati quoquo adversentur modo, non excepta ephemeridum colluvie hac nostra potissimum aetate. Quin imo, *ex Trid. Sess. 4. decr. de Edit. libror.,* libri qui de rebus sacris agunt, atque aliis licet non sub eadem sanctione, typis mandari non possunt sub anathematis poena, quin prius examinati probatique fuerint ab Ordinario.

269. *Declaratur 4^m^.* **Ius per sacramenta omnia fideles sibi subditos sanctificandi.** Ad hoc enim Episcopus est Praelatus ecclesiasticus, sacerdotii plenitudine auctus, atque adeo habilis ad omnia media fini Ecclesiae obtinendo necessaria administranda: atqui ius et potestas omnia sacramenta administranda, est necessarium sanctificationi etc. Nominatim quoad sacramenta Confirmationis et Ordinis ipsi soli sunt ministri vel ordinarii vel exclusivi: exclusivi scilicet ministri ordinis hierarchici ita, ut ipsi soli generare possint per sacram Ordinationem diaconos et presbyteros praeter eam, quam cum presbyteris communem habent litandi scilicet sacrificii, et remittendi peccata de qua *Trid. Syn. Sess. 23. c. 1.*: « A Domino Salvatore Nostro Apostolis eorumque successoribus

in sacerdotio potestatem traditam consecrandi, offerendi et ministrandi Corpus et Sanguinem eius, nec non peccata remittendi et retinendi, sacrae Litterae ostendunt, et Catholicae Ecclesiae traditio semper docuit ».

Insuper ius habet conferendi aliis eamdem potestatem sanctificandi per sacramenta. *Trid. Sess. 5. de Ref. et c. 5. de Off. Ord.* Quibus addenda est potestas concedendi indulgentias unius anni in dedicatione Ecclesiae, 40. dierum in aliis casibus, *in forma Ecclesiae consueta,* non tamen applicabiles pro defunctis: tandem ipsi est ius et officium recognoscendi authentiam apostolicorum diplomatum, quibus novae indulgentiae conceduntur, easque publicandi.

270. *Declaratur 5^m^.* **Ius divinum cultum promovendi...** Ipse nempe moderator est eorum omnium, quae ad cultum spectant: nec ei ullatenus discedere licet a regulis communibus, quae tum libris liturgicis, e. g. Missale, Breviarium, Rituale, Pontificale, tum decretis S. R. C. continentur: atque nil absque huius consensu innovare potest. Ipsi ius et officium inest approbandi dioecesanum Kalendarium seu directorium et Ordinem pro divino officio recitando; nec non imagines sacras et huiusmodi. Episcopi est stipendium seu taxam Synodalem pro missae celebratione statuere, non tamen missarum onera reducere; per se precibus insistere, ut Missae sacrificium pro suis ovibus certis diebus offerre, publicasque persolvendas preces pro variis suarum Ecclesiarum necessitatibus indicere; functiones sacras, e. g. missiones, peregrinationes, processiones, si ipsis e re videbitur, permittere.

Et ut cetera missa faciam de cultu, quoad reliquias sanctorum ad Episcopum spectat eas authenticas declarare. Qua in re 1) procedendum ei erit, non temere ac sine matura consideratione, atque ad tale negotium theologos et pios viros consulat, *Trid. Sess. 25;* et si exoriatur ea de re controversia, nonnisi post Metropolitani et comprovincialium Episcoporum in Concilio provinciali exquisitam sententiam, dirimat quaestionem. 2) Et cum sanctorum quaedam sint, in quibus indecens esset sanctos venerari, animadvertat Episcopus, an talis reliquia sit, qualem publico cultui exponere deceat. 3) Advertat insuper an sit ea sancti canonizati vel beatificati. 4) An con-

stet, quovis prudenti dubio practico excluso, quod eius sancti sit, cuius illa esse perhibetur: ad quod dignoscendum iuvat traditio seu diuturna Ecclesiae veneratio, testimonium personarum piarum, quae ad fidem faciendam sint omni exceptione maiores. *Bellar. l. 2. de ss. Reliq. c. 4.*

271. *Declaratur 6m.* **Ius administrandi** consequitur ex dictis: ad ipsum enim spectat rectum regimen dioeceseos: atqui ad rectum dioeceseos regimen spectat cura et tutela bonorum temporalium. Hinc ad ipsum non solum spectat 1°. Ecclesias et beneficia erigere, supprimere, servatis sacrorum canonum regulis; 2°. Ecclesias parochiales, praebendas et beneficia omnia suae dioecesis conferre, nisi reservata vel affecta fuerint; 3°. eos segregare, qui clericali militiae adscribi, et ordinibus initiari postulant; 4°. munia et officia ecclesiastica deferre iis, quos idoneos comperit, prout dependet ab ipso; sed etiam 5°. curam temporalium bonorum suscipere, quae ad Ecclesias et loca pia pertineant; 6°. executionem piarum voluntatum curare ita, ut etiam tamquam Apostolicae Sedis delegati, quando executores a pio Fundatore designati in suo fungendo munere segnes ac negligentes fuerint, omnium piarum dispositionum tam in ultima voluntate, quam inter vivos sint executores, *Trid. Sess. 22. c. 8. de Ref.,* atque ita cetera ad administrationem pertinentia.

III. DE EPISCOPI ORDINARII POTESTATE IUDICIARIA.

Assertum. — Competit quoque Episcopo potestas 1) iudiciaria et 2) coactiva in foro externo, et 3) iurisdictio etiam delegabilis cum reservatione in foro interno semper tamen dependenter a Romano Pontifice.

272. *Declaratur 1m.* Quod attinet ad potestatem iudicialem generalis item regula est, ad Episcopum pertinere, cognoscere ac definire in dioecesi sua *a*) causas omnes ad forum ecclesiasticum spectantes; *b*) salvo iure appellationis ad superiorem, *C. 16. de Off. iud. ord.; Schmalz. in h. t. n. 29.* Quae regula, licet generatim vera sit, habet tamen quoad singula membra suas exceptiones, scilicet:

I. Sunt causae, quae ab Episcopis iudicari nequeunt. Huiusmodi autem sunt causae *a*) maiores, de quibus supra, quae Romano Pontifici reservatae reperiuntur; *b*) causae Episcopi propriae, in quibus scilicet agatur de re, vel de iure ad ipsum Episcopum personaliter pertinente, *Can. 1. ca. 4. q. 4; Fagn. in C. Nosti de Elect.;* *c*) causae ad Ecclesiam Episcopi, seu relate ad eiusdem mensam spectantes, *Fagn. l. c. n. 18;* quae tamen agi possunt coram eiusdem Vicario, addito per ipsum Episcopum iudice adiuncto, cui reus conventus confidat, cui forte Vicarius, eo quod unum cum Episcopo habet tribunal, allegatus fuerit ut suspectus. *Fagn. l. c. n. 21.* Extra iudicium autem in rebus notoriis non modo potest, verum etiam tenetur Episcopus res ad suam mensam spectantes tueri; *d*) quadantenus etiam causae citra Episcopi mensam ad Ecclesiam eiusdem pertinentes; et quia licet cognoscere eas valeat, facile tamen allegari potest, ut suspectus: unde *Fagn. l. c. n. 20. et seq.* rectius esse, ait, easdem alteri ab Episcopo delegari.

II. Contra vero sunt causae, quae ita ab Episcopo cognoscuntur, ut etiam ab eius decretis *appellari* non liceat in *suspensivo,* sed vel in *devolutivo* tantum, vel per recursum omnino extraiudicialem ad Romanum Pontificem; nimirum si ipse Romanus Pontifex id rescribit. Eiusmodi autem causae enumerantur a Benedicto XIV. *Const. ad Milit. 30 Mart. 1742,* quae omnino legenda est et cuius summam habes penes *Girald. P. 1. Sect. 308. § Huc spectat,* ubi indicantur, scilicet α) in genere decreta in visitatione edita, et extra visitationem ea, quae spectant ad cultum divinum, ad curam animarum, ad administrationem sacramentorum, ad correctionem et coercitionem morum, et quaecumque Episcopus extraiudicialiter decernit; β) in specie sententiae ex informata conscientia, quae respiciunt susceptionem ordinum et suspensionem ab eorumdem exercitio: et alia in specie decreta quae vide prorsus in *cit. Const. Ad Militantis.*

IV. DE EPISCOPI ORDINARII POTESTATE COACTIVA.

273. *Declaratur 2m.* Quoad **potestatem coactivam** ea omnia generatim loquendo Episcopus potest (in ordine scilicet

ad finem ecclesiasticum), quae in huius potestatis notione continentur; adeoque versatur 1. circa delicta; 2. circa poenas: scilicet potest et debet

a) *Inquirere et punire crimina quaelibet* quoad Clericos; quoad laicos autem privative quae sunt ecclesiastica ut haeresis, simonia etc. *iure praeventionis,* quae sunt mixti fori, ut delicta venerea, usura etc. *C. 1. de Off. iud. Ord. ibique Fagn.* Qua in re notandum 1. dixi quae *sunt ecclesiastica* seu, quae directe solam Ecclesiam, non rempublicam laedunt, i. e. quae contra fidem, religionem, resque divinas et sacras admittuntur, e. g. apostasia, haeresis, schisma, profanatio sacramentorum: *privative,* i. e. sola iudicat Ecclesia ita, ut in eorum cognitione excludat iudices civiles. 2. Dicuntur *mixti fori,* quae simul et religionem laedunt et rempublicam, e. g. sacrilegium, periurium, blasphemia, non haereticalis et ob falsam, puto, doctrinam, ut de usura: delicta venerea ob violationem sacramenti matrimonii. Contra cetera delicta certe potest Ecclesia ratione peccati saltem poenis medicinalibus et ecclesiasticis.

b) Ferre potest ac debet poenas in delinquentes non modo ecclesiasticas, verum etiam corporales, invocando, si opus sit, brachium saeculare, poena sanguinis excepta. *Fagn. l. c.; Schmalz. tit. eod. n. 29.* Cur haec, quis forte inquiet: nam hac aetate nullibi ista possunt Episcopi? Resp. Quia nimirum iniuria aliorum ius non delet, sed facit ut iuris exercitium suspensum maneat.

c) In specie autem suspensionem indicere potest etiam adversus parochos, *S. C. C. in Pagonensi 21 Iun. 1625 apud Bened. XIV. de Synod. dioec. l. 12. c. 8. n. 5,* ex informata conscientia ab ordinibus iam susceptis, causa criminis (quod scilicet occultum sit) minime indicata; *Trid. Sess. XIV. c. 1. et 3. de Ref.; Bened. XIV. Const. Ad militantis 30 Martii 1742. § 23:* ita tamen ut Sedi Apostolicae revelare illud teneatur, si ad eam, qui suspensus est, recurrerit. *S. C. C. in Orbitana seu Tarentina 20 Aug. 1735, Bened. XIV. l. c. n. 3. et 4.* Quod statutum est ex necessitate tuendae ecclesiasticae disciplinae et providendi gregis saluti.

V. DE EPISCOPI ORDINARII POTESTATE QUOAD FORUM INTERNUM.

274. *Declaratur 3^m^.* De potestate autem fori interni, quae Episcopis competit, satis est adnotasse:

I. Pertinere ad eosdem approbare intra suam dioecesim sacerdotes, instituto examine vel non, prout melius iudicaverit, ad sacramentales confessiones audiendas, *Trid. Sess. 23. c. 5. de Ref.*, et quidem 1°. adhibendo, quas opportunas existimaverit limitationes, *Fagn. in C. Grave de Off. Iud. Ord. n. 50;* 2°. cum facultate revocandi ad examen, qui alias approbati fuerunt, dummodo nova causa intercedat si approbati fuerint a semetipso, etiam sine nova causa, si a praedecessoribus. *Fagn. l. c.; Bened. XIV. Instit. 86. n. 10; Girald. Expos. Iur. Pontif. P. 2. Sect. 105.*

II. Reservare sibi aliquorum casuum, i. e. peccatorum absolutionem, *Conc. Trid. Sess. XIV. c. 7. et can. 11,* sive extra Synodum, sive (quod rectius puto) in Synodo, *Bened. XIV. de Synod. l. 5. c. 4,* servatis tamen aequitatis limitibus, ita ut 1°. pauca *(10 aut ad summum 12 permisit S. C. C. Episcopo Belicastrensi, qui multo plura sibi reservaverat 29 Ian. 1661);* 2°. in quibus causa concurrit, e. g. proclivitas in populo ad eadem perpetranda; 3°. quae in rebus parvi momenti, licet gravis culpae capacibus non versentur, e. g. damni dati quoad rusticos, qui greges pascunt; 4°. quae non sint mere interna sibi reservent, *Bened. XIV. l. c. c. 5;* 5°. denique cavendum est etiam, ne casus ille promiscue reservet, quibus adnexa est excommunicatio maior a iure imposita; nisi forte propter frequens scandalum aut aliam necessariam causam, *Bened. XIV. l. c. c. 5. n. 4;* neve quidquam praecipiant, quod periculum inferat sigillum violandi, e. g. ut sibi in genere manifestetur quaenam graviora peccata in aliquo certo loco frequentius committantur, *Bened. XIV. l. c. c. 4. n. 3;* aut si reservatio cadat in ea peccata quae absolvi nequeunt, nisi restitutione peracta. *Bened. XIV. l. c. c. 5. n. 4.* Item quoad peccata carnalia *ibidem,* propter periculum scandalorum in iis maxime personis, in quibus ob accessum ad confessarios extraordinarios vel frequentem aditum ad ordinarios, suspicionis aliquid cadere potest.

§ II[a]. De Officiis Episcopi Ordinarii.

Summarium. — Inter officia quae obire debet Episcopus in suo episcopatu, praecipue commemoranda sunt: 1) Praedicatio; 2) Celebratio Missae pro populo; 3) Residentia; 4) Visitatio dioecesis; 5) Visitatio Sacrorum liminum.

Praenotandum. Tum in suscipiendo, tum maxime in exercendo episcopatu sua habent Episcopi onera. Porro in suscipiendo duo sunt commemoratu digna, scilicet 1°. *Professio fidei*, quae fieri debet coram Apostolica Sede ante confirmationem, *Greg. XIV. Const. Onus apostolicae 15 Maii 1591*, saltem per procuratorem, *Schmalz. tit. de Fide Cath. n. 8;* 2°. *Iuramentum fidelitatis erga R. Pontificem, C. 4. de Iureiurando*, ibique *Gonzalez* et *Fagnanus*, quod fieri solet in ipsa consecratione. *Pontif. Rom. de Cons. Elect. in Episcopum § 8*, ibique *cf. Catalani in suis commentariis.* Postquam episcopatum susceptum sit, Episcopos tenet seq.

I. MUNUS PRAEDICANDI.

275. *Declaratur 1[m]*. Praedicandi munus ita proprium est Episcopi ut, si legitime impeditus non sit, teneatur per se illud adimplere, *Conc. Trid. Sess. 5. c. 2. de Ref. et Sess. 24. c. 4. de Ref.;* neque contrariae consuetudinis nomine possit excusari. *Fagn. in C. Inter cetera de Off. Iud. ord. n. 11.* Quod si fuerit legitime impeditus, debeat per alios, *d. C. Inter cetera et Fagn. ibidem*, qui etiam declarat, ad quem spectat electio tam in Cathedrali, quam in aliis inferioribus Ecclesiis, et cui incumbat onus eidem praestandi eleemosynam.

II. CELEBRATIO MISSAE PRO POPULO.

276. *Declaratur 2[m]*. Celebratio Missae pro populo non minus parochis, quam Episcopis incumbit, *Girald. P. 2. Sect. 85. § An vero; Ferraris v. Missa a. 3. n. 11;* unde sequitur, Episcopum quoque ad eamdem teneri saltem in diebus festis, etiamsi sint ex eorum numero, qui apostolico indulto sublati sunt. *Arg. Const. Amantissimi a Pio IX. ed. 3 Maii 1858.*

III. LEX RESIDENDI IN DIOECESI.

277. *Declaratur 3^m.* De Residentiae lege tria quaeri possunt: 1. Quibus limitibus determinetur; 2. quibus poenis innodetur; 3. quibus de causis relaxetur: seu α) cuiusmodi residentia esse debeat; β) quae sint poenae adversus eam delinquentium; γ) quae sint causae ab eadem excusantes.

I°. *Cuiusmodi residentia esse debeat:* Resp. Tribus legibus haec continetur, i. e.: I. *Episcopi persona, etiamsi* habeat coadiutorem, *S. C. Episcoporum ap. Ferraris v. Episcopus a. 3. n. 13. et apud Giraldi P. 1. post Sect. 358. in app. in 5. Serie Decretorum* § *Quamvis,* saltem intra ambitum dioecesis *moraliter* (i. e. non ultra milliare a dioecesi absit) commorari debet, ita tamen ut Adventus, Quadragesimae, Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostis, et Corporis Christi diebus a Cathedrali Ecclesia non absit, nisi forte ratio ipsa episcopalis muneris eum alio in sua dioecesi vocet. *S. C. Episcoporum apud Ferraris l. c. n. 14. et apud Giraldi l. c.* § *Potest. Cf. Fagn. in C. Qualiter 9. de Cler. non resident. n. 27. seqq.* II. *Curia seu tribunal* Episcopi apud Ecclesiam cathedralem esse debet, etiamsi Episcopus in alia suae dioecesis parte commoretur. *S. C. Episcoporum apud Ferraris et apud Girald. l. c.* § *Neque.* III. *Per duos vel tres menses* sive continuos, sive interruptos, licet Episcopis singulis annis a sua dioecesi abesse, modo id fiat sine ullo gregis detrimento et ex aequa causa, quae eorum conscientiae diiudicanda relinquitur, neque incidat in dies exceptos, quibus in Ecclesia Cathedrali Episcopum esse oporteat, *Conc. Trid. Sess. 23. de R. c. 1;* ita tamen ut hoc tempus non possit cum alio tempore coniungi, quo ex alia causa abesse licet, neque trimestre unius anni cum trimestri sequentis copulari, aut longioris absentiae compensatio aliquo anno adhiberi, si quis annis superioribus ea venia usus non fuerit. *S. C. Episcoporum apud Fagn. l. c. n. 40. et seq.; Bened. XIV. Constit. Ad universae 3 Septemb. 1746.* § *Cum vero.*

II°. *Poenae autem adversus Episcopos non residentes* (quales etiam habentur in eos, qui obreptitia Romani Pontificis venia absunt, *Bened. XIV. in Const. cit.* § *Secundo loco v. Decernentes;*

[contra autem non existimantur tales, saltem relate ad poenas, qui ultra milliare e dioecesi absunt, *Girald. P. 2. Sect. 86. § Quod etiam; Thesaur. De Poenis v. Residential. 1.*], praeter peccati mortalis reatum, *Trid. Sess. 23. C. 1. de Ref. § Si quis autem,* hae sunt:

I. Privatio fructuum pro rata absentiae, *Trid. l. c.,* ita tamen, ut aliquam partem, e. g. tertiam, pro adimplemento aliorum onerum, e. g. recitationis horarum, retinere possint, *Giraldi et Thes. ll. cc.,* qui etiam approbant opinionem eorum, qui aiunt, hanc poenam non obligare in conscientia, nisi post sententiam: quamvis videatur contrarium Trid.

II. Quoad eos, qui sex menses continuos abfuerint, privatio ipso facto incurrenda quartae partis, fructuum unius anni tum alterius quartae partis, si alios sex menses in absentia, perstiterint. *Trid. Sess. 6. C. 1. de Ref.*

III. Quoad eos, qui ulterius in contumacia perstant, gravior poena a Romano Pontifice infligenda, qui proinde moneri de eorum absentia debet a Metropolitano, vel si Metropolitanus reus fuerit, ab Episcopo, qui in Provincia sit antiquior; idque sub poena interdicti, *Trid. Sess. 7. de Ref. C. 1:* cuius tamen censurae absolutio non est reservata. *Thesaur. de Poen. P. 2. v. Residentia C. 1. n. 5. v. Limita secundo; Giraldi P. 2. Sect. 76. § Nota V.*

IV. Quoad omnes in genere poena post iudicis sententiam incurrenda est tum privationis sive facultatis testandi (ab absentibus ultra sex mensium continuorum spatium, ex *Constit. Pii IV.,* si illam antea obtinuerint, sive indultorum, quae tamquam Pontificio solio adsistentibus iisdem competant) ab absentibus praeter tres menses conciliares, *Bened. XIV. Const. Ad Universae,* tum inhabilitatis ad maiores dignitates et Ecclesias obtinendas, *Bened. XIV. l. c. et Fagn. l. c.*

III°. Denique ad *causas excusantes* quod attinet, duo quaerenda sunt: 1°. quaenam sint; 2°. quibus conditionibus munitas esse oporteat.

I. Causae excusantes licet quatuor assignentur a *Tridentino Sess. 23. C. 1. de Ref.,* ad duas tamen revocari possunt: 1. ad necessitatem, ad quam pertinet etiam obedientia; 2. ad charitatem, qua Ecclesiae etiam vel reipublicae utilitas continetur.

Hinc sequitur *a*) *ex causa necessitatis* excusare a Residentia, 1°. obedientiam superiori debitam, i. e. Romano Pontifici, qui scilicet Episcopum vel ad se vocet, vel alio mittat, aut etiam Metropolitae in casu vocationis ad Concilium provinciale (Huc pertinet necessitas assistendi causis Beatificationis et Canonizationis quoad conficiendos processus.....); 2°. infirmitatem ipsius Episcopi, quae nonnisi alio sub caelo curari possit, *Bened. XIV. Const. Ad universae 3 Apr. 1746. § Quinto loco; Fagn. in Cap. Ex parte 8. De Cler. non resid. n. 77*; quo pertinet etiam malignitas aeris, qui certo anni tempore totam dioecesim occupet et cuius causa, praeter trimestre conciliare, alius etiam mensis absentiae concedi potest, *Bened. XIV. l. c. § Qui tandem;* 3°. persecutionem aut hostilem incursionem, nisi tamen gregis salus pastoris praesentiam exigat, *S. Th. 2-2. q. 185. a. 5; Schmalz. in tit. de Cler. non resid. n. 47.* (Nota quoad 2^m^. causam quod pestis Episcopum a tota dioecesi abesse minime excusat, *Fagn. in Cap. De Cler. non resid.,* neque Clericos curatos, *n. 46. 47. coll. 45*).

b) *Ex causa charitatis* a residentia excusare, 1°. utilitatem Ecclesiae propriae, e. g. ad eius iura defendenda, *C. 13. de Cler. non resid.; Fagn. in C. Ex parte 8. n. 80;* 2°. utilitatem Ecclesiae Romanae vel universalis, *arg. C. 3. de Postul. Prael.; Fagn. l. c. n. 84,* quo etiam referri potest et necessitas adeundi comitia regni sive Reipublicae iis in locis, ubi dignitas Senatoris Episcopis adiuncta est, *Urb. VIII. Const. De Iuribus 24 Nov. 1634, et Const. S. Synodus 12 Dec. 1634. § 10. v. Praeterquam;* et necessitas assistendi causis Beatificationis et Canonizationis pro iis, qui auctoritate apostolica ad id delegantur; quo tamen in casu id speciale est, ut in absentiae tempore trimestre etiam conciliare comprehendi debeat, eique alii 30 dies tantum addi possint: quod tempus si nondum sufficiat, tantummodo anno sequenti concedi queat, *Bened. XIV. Const. Ad Universae § Expediuntur;* 3°. utilitatem alterius Ecclesiae, ita tamen ut propria detrimentum spirituale nullum patiatur, *Fagn. l. c. n. 81;* 4°. utilitatem reipublicae, e. g. ad pacem inter Reges Christianos componendam. *Trid. l. c. 1. Reipub.; Fagn. l. c. n. 82.*

II. *Conditiones,* queis legitimas causas muniri oportet, sunt: 1°. ut habeatur ratio necessitatis gregis (ut supra); 2°. ut ser-

vetur ordo charitatis; 3°. ut causa quae adesse dicitur, ad Sedem Apostolicam, seu ad S. Congr. de Episcoporum residentia fideliter deferatur, (qua de re consulenda est *d. Const. Ad Universae Bened. XIV,* re nimirum diligenter exposita) atque ut Romani Pontificis approbatio et licentia accedat. *Bened. XIV. l. c.* Unde sequitur abrogatum esse *Conc. Trid.* decretum, quo eiusmodi causae cognitio ac licentia etiam Metropolitano permittebatur. *Girald. P. 2. Sect. 86. § Nota 1.*

Excipiuntur ab hac lege duae absentiae caussae, adeundi scilicet vel Concilium provinciale, vel comitia Regni, *Urb. VIII. l. c.,* quippe quae onera ipsius officii Episcopalis habentur.

IV. OBLIGATIO VISITANDI DIOECESIM.

278. *Declaratur 4^m^. De Visitatione Dioecesis,* in primis cf. *Bouix, de Episcopo. De onere obeundae ac visitandae Dioecesis,* opus satis prolixum, licet fortasse mediocris meriti, edidit *F. Gaudentius a Ianua ord. min. Strict. observ.* Item *Crispino, della Visita pastorale; De Dominis, Praxis visitationis episcopalis; Gavantus, Praxis Visitationis episcopalis.* Item *Ianuarius Nicolaus, de Visit. ac Synodis Dioecesana et Provinc.* Item *Felicianus, Manuale Visitatorum.* Item *Trattato della Visita Pastorale. Roma 1844.*

Definitio. **Visitatio pastoralis est** *lustratio pastoris dioecesis propriae ad recognoscendos Cleri et populi mores eosque corrigendos, si emendatione indigeant, itemque ad recognoscendum statum rerum ad Ecclesiam pertinentium, eumque regulandum si egeant.*

Porro de isto Episcopi onere quid scitu necessarium sit docebit triplex quaestio: quarum 1^a^. sit de scopo, vi, ac materia visitationis; 2^a^. de modo ac tempore; 3^a^. de impensis.

Ad 1^m^. itaque quod attinet I. **scopus** indicatur a Tridentina Synodo *Sess. 24. C. 3. de R.,* ubi ait visitationis scopum esse sanam doctrinam inducere, bonos mores tueri, ac pravos corrigere, populum denique ad Religionem, pacem innocentiamque accendere.

II. **Vis visitationis** propria sive decretorum, quae in ea ab Episcopo fiant in eo praecipue sita est, ut appellatio con-

tra ea non admittatur. *Bened. XIV. Const. Ad Militantis 30 Martii 1742* § *21.* Unde sequitur causas ordinarias, in quibus iudicialis ordo servandus est, in visitatione agi non oportere. *Fagn. in C. Dilectus 26. De Rescr. n. 45. coll. 36. sqq.*

III. **Materia visitationis** sunt in genere et personae et res. Et *primo* quidem **personae**; ex quibus primo loco *Clerici,* tum quoad mores, tum quoad officia atque obligationes ecclesiasticas, quae iisdem incumbunt; adeoque in genere omnes circa obligationes, quae omnibus Clerici sunt communes, de quibus supra.

In specie autem 1°. *Capitulum* et *Canonici* circa *corpus eorum,* quo ordine sit distinctum, et utrum habeat canonicum Theologum ac Poenitentiarium; circa *singulas personas,* utrum ordines habeant suis praebendis adnexos; circa chori servitium eorumque fidelitatem, qui absentes notare debent, et utrum habeatur tabella horaria ac distributiones quotidianae, quarum privatione negligentes puniantur; circa *resolutiones capitulares* an legitime fiant circa ordinem in regimine Capituli tam quoad *constitutiones;* de quibus, utrum sint, et a quo approbatae fuerint, quaerendum est: tam circa *electionem officialium,* rationesque in fine anni ab iis reddendas et in libros referendas: tum denique quoad archivium scripturarum, de rebus ac iuribus ad Capitulum pertinentibus.

2°. *Parochi* circa residentiam, circa visitationem infirmorum, instructionem puerorum in re Christiana, expositionem Evangelii, denuntiationemque ieiuniorum, dierumque festorum dominicis diebus populo faciendam, applicationem missae pro populo singulis festis, licet indulto apostolico abrogatis, ceteraque munia parochialia; tum circa *libros parochiales,* i. e. baptizatorum, confirmatorum, matrimoniorum, defunctorum: circa *archivium,* circa libros ad Parochiale munus exercendum necessarios.

3°. *Personae ad suam Curiam pertinentes,* praesertim *Cancellarius* circa *acta civilia et criminalia,* utrum distincte ac fideliter retineat, eorumque inventarium habeat, tum circa alios curiae libros, i. e. ordinationum eorumque actorum, quae ad eos pertinent, aliarum Episcopalium functionum; professionem fidei, eorumque qui emittere eam debuerunt; supplicum libello-

rum et quorumvis rescriptorum aut decretorum, quae sine forma iudiciali fiunt; actorum, seu negotiorum, quae ad *moniales* pertinent; tum denique circa *modum,* quo hi libri servantur, utrum distincte, ordine, fideliter serventur, ac subscriptionem atque approbationem habeant Episcopi vel Vicarii Generalis et Cancellarii eius temporis, quo compacti fuerunt.

4°. *Moniales* circa disciplinam, et praesertim circa clausuram, prospectum in domos saecularium, colloquia cum exteris, chori servitium, usum sacramentorum; circa novitias et educandas, utrum separatis in locis habitent; tum circa libros qui haberi ab Abatissa debent, scilicet inventarii bonorum stabilium ac iurium monasterii, introitus atque exitus, Resolutionum capitularium; tum denique cauto ac prudenti modo circa vitam, mores ac directionem Confessarii.

5°. *Confraternitates laicorum* circa legitimam earum constitutionem, earumque statuta, circa earumdem interventum ad publicas processiones, circa administrationem bonorum eorumdem inventarium et archivium.

6°. *Laici seu populus,* utrum scilicet adsint peccata aliqua publica vel aliqui peccatores publici, ut concubinarii, coniuges separati absque iudicio Ecclesiae, blasphemi, usurarii etc.

Secundo autem **Res**: ex quibus 1°. *Sacramentum* **Baptismatis** circa fontem baptismalem an ex materia solida confectus, et rite instructus sit coeteris rebus necessariis; circa tempus baptismi an ultra tres dies differatur; circa modum an extra necessitatem conferatur domi, an imponantur nomina ethnicorum, an personae legitimae in patrinos eligantur; circa obstetrices, an examinatae et approbatae sint.

Tum Sacramentum **confirmationis,** an admittantur ad eam minores septennio, et adulti an confessi, an legitimae personae in patrinos eligantur.

Tum Sacramentum **Eucharistiae** circa *modum, quo servatur,* an in tabernaculo, quod exterius sit decens, ac conopeo velatum decente colorisque ritui congrui, interius autem serico panno undequaque contecto: denique ostiolo firmo instructum cum clavi argentea, quae diligenter apud Parochum custodiatur; an pyxis sit argentea, aut ex alio decenti metallo, atque intus inaurata debitoque operculo et conopeo instructa; an praeter

pyxidem quidvis aliud licet sacrum in tabernaculo servetur, quod si reperiatur illico est removendum; an lampas ante altare tabernaculi diu noctuque colluceat; an particulae consecratae hyeme quindecim, aestate octo quibusque diebus renoventur; circa *modum quo recipitur aut defertur,* an in paschate omnes communicent, quive neglexerint moniti fuerint; an mulieres vestitu decenti accedant; an ad infirmos tempestive deferatur et debita cum associatione luminum; an et quoties expositiones publicae ac processiones cum delatione Eucharistiae fiunt.

Circa **Missae celebrationem,** sive quoad *instrumenta,* an calicum et patenarum aurum, quo intus obduci debent, evanuerit, an planetae aliaeque vestes ac cetera instrumenta sint attrita, aut immunda; sive quoad sacerdotes, utrum exteri absque litteris dimissoriis ab Episcopo recognitis admittantur; utrum aliqui sint, qui sine tonsura ac veste clericali decente, aut propere et irreverenter missam celebrent, vel etiam ante auroram vel post meridiem: sive quoad *monumenta missarum* celebrandarum, utrum tabella onerum missarum in sacristia in loco patenti sit appensa; utrum habeantur libri, non folia ubi sacerdotum manu, qui missam ad onera implenda celebrarunt, eadem die missae describantur.

Tum **Poenitentiae** sacramentum, circa *confessarios* utrum superpelliceo ac stola, et quod attinet ad mulieres (idem praestat quoad pueros) in sede confessionali ad cratem confessiones excipiant; utrum confessarii de aliena dioecesi admittantur sine Episcopi licentia; circa sedes confessionales utrum sint in loco visibili et cratem habeant, et ostiolum, quo sacerdotis facies populo occultetur; nec non piam aliquam imaginem ex parte poenitentis; utrum in iis sit affixa tabella casuum reservatorum et summarii Bullae *Apost. Sedis.*

Tum sacramentum **Extremae unctionis,** circa *modum quo sacrum oleum servatur,* ac in cellula a cornu evangelii panno serico obducta, in vasculo saltem stamneo in capsula lignea incluso, circumposito undequaque gossipio, et cum sera et clavi et externa inscriptione *oleum infirmorum;* circa *modum quo ad infirmos defertur,* an in serico sacculo, sericisque funiculis collo sacerdotis appenso, qui superpelliceo et stola indutus sit.

Tum sacramentum **Matrimonii,** an Parochus aliquoties in anno impedimenta matrimonii denuntiet; an fiant ante matrimonium trinae denuntiationes diebus festis de praecepto, iisque interpolatis; an sponsi ante matrimonium soli absque praesentia parentum conversentur, an exteri, vel qui diu fuerunt absentes, absque licentia Episcopi ad matrimonium admittantur; an domi sine licentia Episcopi matrimonia celebrentur, an contracta eodem die in libro describantur.

2°. **Reliquiae et imagines Sanctorum,** an imagines in ecclesiis exponantur antequam ab Episcopo fuerint benedictae et approbatae, an reliquiae decenter ac fideliter custodiantur; an adsit earum catalogus atque authenticae certae fidei; an in publica illarum expositio neaccendantur lumina, aut, si sint corpora sub altari deposita, permaneat lampas accensa.

Nota. Heic advertatur, *a Leone XIII. 24. Dec. 1878.* districte prohiberi sacras reliquias et sanctorum exuvias, licet capsula reconditas et sigillo munitas, quolibet praetextu redimendi, emere aut mercari.

3°. **Legata pia,** an aliqua adsint, an scripta retineantur in libris atque impleantur; an si quae nova instituuntur, eorum notitia Vicario generali notificetur, ut executioni mandentur.

4°. **Ecclesiae** an sint liberae vel patronatae; an indigeant reparatione, atque instrumentis ad sacras functiones necessariis sufficienter sint instructae; an novae aedificentur absque dote, atque Episcopi licentia; an altaria habeant iconem sacram, lapidem sacrum coopertum tela cerata, duo saltem candelabra cum imagine Crucifixi, mensam tribus mappis albis coopertam; quarum superior ex utroque latere fere ad suppedaneum descendat, tulcrum missalis, tabellas sacri convivii, psalmi Lavabo et initii sancti Evangelii secundum Ioan. Crucis signum in fronte, gradum ligneum vel lapideum.

5°. **Seminarium alumnorum,** an adsint regulae ab iis servandae; qui sint eorumdem mores et in studiis profectus; an Ecclesiae Cathedrali interveniant diebus festis; an adsit Rector ac magistri et quomodo se gerant; an adsint Deputati ad formam Concilii electi; an redditus fideliter administrentur.

6°. **Hospitalia,** an legitimam habeant erectionem, suasque

constitutiones; an eae serventur; quae sit reddituum administratio, cuius rationes repetendae omnino sunt. *Cf. Ferraris Bibl. can. v. Visitatio n. 121, et Fagn. in C. Conquerente de Off. iud. ord. post n. 60.*

Circa Modum ac tempus visitationis id prae oculis habent canones, ut diligentia atque aequitas servetur. Itaque

I. Quoad tempus visitatio quotannis, aut, si dioecesis amplior sit, quolibet biennio renovanda omnino est. *Trid. Sess. 24. C. 3. de Refor.;* Frequentius autem haberi potest, sed expensis minime repetitis. *Trid. Sess. VI. C. 4. de Refor.; Bened. XIV. de Syn. l. X. C. 10. n. 6. ibiq. S. C. C.*

Nota. Quaesitum est a S. C. C. 1) utrum visitatio uno mense, vel circiter, anticipari possit? Respondit: Affirmative, sed procurationem non posse percipi, nisi semel in anno; 2) quid si quolibet mense, etsi procurationem non recipiat? Respondit: Servanda est aequitas; 3) contra quaerunt alii, an quolibet triennio si dioecesis valde ampla sit? Respondit: Controvertitur, videretur negativa tenenda, quia ex Tridentino utcumque lata sit, tota est biennio visitanda: quod si fieri nequit ab ipso Episcopo, fiat saltem per eius procuratores: unde quaeso hoc vel *per eius procuratores,* nisi ut occurrat obiectioni, quae causatur nimiam latitudinem?

II. *Quoad modum; sit rite ad scopum comparata, modesta et non onerosa.* Hinc

a) Respectu personae visitantis ab ipso Episcopo per se fieri debet, vel, si adsit impedimentum (quod eius conscientiae relinquitur iudicandum, *S. C. C. in Portucall. 29 Ian. 1701*), per delegatum. *Trid. Sess. 24. C. 3. de Ref.*

b) Respectu comitatus visitantis facienda est 1°. nonnullis adhibitis (etsi id necessarium non sit) adiutoribus, qui, praeter Notarium vel Secretarium Visitationis, esse solent duo convisitatores, *Ferr. Bibl. canon. v. Visitare n. 86,* sive ex Capitulo Cathedrali sive extra electi, *Fagn. in C. 21. de Censib. n. 8,* et aliquando nonnulli concionatores sive missionarii. *Bened. XIV. Const. Firmandis 25 Oct. 1744 § 5.* Gaudentius, *de Visit. C. 1. dub. 3,* ait, eos, qui ab Episcopo ad hoc munus eliguntur, cogi non posse si renuant, etiamsi sint e gremio Capituli Cathedralis. Resp. Quidquid autem sit de ceteris, de Canonicis

Cathedralis contrarium tenendum est. Episcopus enim ius habet adhibendi duos ex illis ad sui servitium, *C. Ad audientiam de Off. Ordin. ibiq. Gloss. v. Ut duo; Fagn. in h. t. C. De caetero n. 15;* 2°. modesto cum equitatu ac famulatu, qui Episcopi prudentiae definiendus relinquitur. *Girald. Expos. iur. Pf. P. 1. Sect. 583. § Licet.*

c) Respectu ipsius visitationis fieri debet 1°. praemisso edicto, quo visitatio praenuntietur, nisi Episcopo ex peculiaribus circumstantiis secus videatur, *Ferraris v. Visitare n. 81;* 2°. quam brevissimo tempore, quod tamen prudentiae Episcopi relinquitur, *Giraldi l. c. ibiq. S. C. C.;* 3°. forma iudiciali non adhibita, adeoque poenis ordinariis non inflictis; sed correctionibus tantum, licet (si visitator sit etiam iudex, e. g. Episcopus) per se possit; 4°. ea gravitate et modestia, ut si visitator prohibeatur, qui quidem ne ut suspectus quidem, nisi iudicialiter procedat, prohiberi potest, *Ferr. l. c. n. 97,* fores non effringi iubeat, etsi summo iure posset: sed potius censuris utatur, *Ferrar. l. c. n. 38; Gaudent. l. c. dub. 4. n. 15;* 5°. relatis sive per Notarium, sive per visitationis Secretarium eiusdem decretis in librum. *Ferraris l. c. n. 121. in fine.*

Quoad visitationis expensas, ius easdem exigendi procuratio dicitur, quae recte definitur « *Ius Visitatoris necessaria victualia ab iis, qui visitantur neque legitime excepti sint, tempore visitationis exigendi* ». Unde sequitur:

I. Quod ius est visitationis *a*) procurationem ei deberi, qui visitat, adeoque delegato, non Episcopo, si per delegatum visitatio fiat, *Fagn. in C. 23. de Cens., n. 1. 6. 12; b*) condonari perpetuo cum successorum detrimento nullo modo posse. *Schmalz. in tit. de Cens. n. 109.*

II. Quod intra moderata victualia continetur *a*) nihil ultra exigendum esse praeter domum ac victum pro se, suis et equis. *Fagn. l. c. b*) Pro dignitate visitantis suppeditandam esse, adeoque Episcopi delegato et Vicario capitulari dimidio minorem quam Episcopo. *Ferrar. v. Procurat. n. 18; Gardel. c. dub. VI. c*) Optionem dari iis, qui visitantur vel ipsa victualia ministrare vel pecuniam, quam antea forte consueverint. *Trid. Sess. 24. C. 3. de R. d*) Particulari alicuius Ecclesiae consuetudine, ne ceteris accrescat, non posse praescribi, etsi consue-

tudo dicatur immemorabilis, *S. C. C. in Fanen. Procurat. 24 Aug. 1743;* contra si agatur de consuetudine generali alicuius loci seu Provinciae. *Trid. Sess. 24. c. 3. de Ref.*

III. Quod pro necessitate exigitur *a*) neque in ipsa urbe Cathedrali, ubi residet Episcopus, exigi posse, *S. C. C. 30 Iun. 1808,* et alibi saepe, neque in loco adeo vicino, ut in domum suam sese recipere Episcopus commode queat. *Schmalz. tit. de Cens. n. 104. b*) Duabus Ecclesiis una die visitatis, unàm procurationem deberi. *C. 2. de Cens. in 6.*

IV. Quod necessitas de ipso tempore visitationis intelligitur: itineris expensas repeti non posse. *Fagn. in C. 23. de Cens. n. 17.*

V. Quod ab iis, qui visitantur, exigenda est, modo excepti non sint etc. hinc liberari sequitur eàdem

a) *Aequitatis iure:* 1°. Hospitalia et similia loca in pauperum alimenta instituta, nisi beneficii titulum adnexum habeant, *Fagn. in C. 24. de Cens. n. 34. sq.; Schmalz. tit. de Cens. n. 106;* 2°. Ecclesias, et personas ecclesiasticas notorie pauperes, quae necessaria vix habeant ad sui sustentationem, *Schmalz. l. c. n. 167;* 3°. Clericos qui nullum habent beneficium.

b) *Vi consuetudinis a iure approbatae:* 1°. populum seu plebem laicorum atque universitates laicales, *S. C. C. in Ferentina 20 Apr. 1782,* secus autem dicendum est de Confraternitatibus, *S. C. C. in Spoletina 14 Ian. 1710;* 2°. Oratoria privata, *Schm. l. c. 106; Reiff. l. c. n. 51;* 3°. monasteria monialium, nisi quod in earum Ecclesiis sit beneficium, *Girald. P. 1. Sect. 562. v. Notandum; Devoti Instit. can. l. 2. tit. XV. § 8. ibiq. S. C. C.*

c) *Privilegio apostolico quod explicitum sit,* cum generales termini non sufficiant. *Schmalz. n. 108.*

VI. Denique animadvertendum est, qui procurationem indebitam culpabiliter exegerint, eos in duplum condemnari. *Trid. Sess. 24. de Ref. Quod si.*

V. DE OBLIGATIONE VISITANDI SACRA LIMINA.

279. *Declaratur 5^m^.* Restat quod ex Episcoporum oneribus postremum commemoravimus, i. e. **Visitatio Sacrorum Liminum,** quae in eo consistit, ut singuli Episcopi certo quoque

tempore Romanum Pontificem, tamquam supremum Ecclesiae Caput, adire teneantur, eique Ecclesiae suae statum aperire. *Sixtus V. Const. Romanus Pontifex 20 Dec. 1585; Bened. XIV. Const. Quod sancta 20 Nov. 1740.*

Unde patet finem visitationis esse: 1°. ut Romanus Pontifex edoceatur de statu Ecclesiae ut possit....; 2°. ut Episcopi subiectionem suam erga Romanam Sedem renovent, ne ex diuturnitate absentiae quasi alieni ab eo efficiantur, itaque Ecclesiae unitas detrimentum patiatur. Porro de Visitatione haec quaerenda sunt:

I. *Modus,* qui eiusmodi est, ut ipsi *per se* hoc fungi officio debeant Episcopi; veroque tantum intercedente impedimento *per alium, Fagn. in C. 4. de Iurep. n. 6–35. et 53–58,* idque duplici ex conditione: 1°. ut is, qui mittitur, speciali mandato instructus sit, *Fagn. l. c. n. 64;* 2°. ut ex ipsa dioecesi mittatur, *Fagn. l. c. n. 65; Cf. Bened. XIV. de Synod. l. 13. c. 6. n. 5.*

II. *Tempus* iuxta dictam Xysti V. Constitutionem varium est pro varia Episcoporum distantia, scilicet: *a*) pro Italia et insulis adiacentibus, triennium; *b*) pro regionibus citra mare Germanicum et Balticum, quadriennium; *c*) pro reliquis Europae regionibus et pro Africa quinquennium; *d*) pro ceteris decennium. *Cf. Fagn. l. c. n. 36.*

III. Acta seu quae agenda in ea sunt: *a*) Visitatio Basilicarum Sanctorum Petri et Pauli, *Fagn. l. c. n. 62. sq.* (ubi ait non exigi testes, neque probationes, neque ipsam fidem Sacristae, sed standum assertioni Episcoporum); *b*) Aditio ipsius Romani Pontificis, *Fagn. l. c. n. 68. sq.; c*) Relatio ore scriptoque facienda tum ipsi Romano Pontifici, tum S. Congregationi Concilii de Statu Ecclesiae suae, tum quoad res, tum quoad personas, iuxta instructionem a Sacra ipsa Conc. Congreg. edita, quae copioso illustrata commentario extat apud *Bened. XIV. De Syn. l. 13. c. 6. et seqq.*

IV. *Omissionis poena* est suspensio ab omni Episcopatus administratione ac perceptione fructuum, imo et ab ingressu in Ecclesiam ab ipsa die, qua visitationis tempus recurrit, ipso facto incurrenda. *Fagn. l. c. n. 58. sq.*

§ III[a]. De Lege Dioecesana i. e. De Episcopi Ordinarii Iuribus seu Emolumentis.

Summarium. — Inter iura seu emolumenta Episcopi, quae fere omnia obsoleta sunt, recensentur: 1) ordinarie Cathedralium Procuratio canonica, Quarta decimationum, Quarta funeralium; 2) extraordinarie subsidium charitativum et census.

Praenotandum.

Agunt de hac materia Canonistae in *l. 1. Decr. tit. 31.* et in *l. III. t. 39; Barbosa* autem in suo opere *de Iure eccl. un. l. 3. c. 19. et sq.; Fag. in C. Conquerente de Off. Ord.*

Quemadmodum ius imperandi atque exigendi tributa ad legiferam Principum potestatem pertinet; ita qualecumque eiusmodi ius, iuxta Canonum limites, Episcopi in sua Dioecesi habent, id *legis dioecesanae nomine continetur.* Aliud autem est ordinarium, aliud extraordinarium obventionum genus. Porro 1[a]. pars exponit quae ad ordinarium pertinent: quae ad extraordinarium 2[a]. pars exhibet.

280. *Declaratur 1[m].* I. **Cathedraticum,** ita dictum, quia in honorem cathedrae Episcopalis penditur; alias **synodaticum,** quia in Synodo dioecesana solvi consuevit: est autem *vectigal annuum Episcopo solvendum in ea summa, quae in Romana Provincia Concil. Rom. an. 1725. ratione redituum definitum est,* (qua de re animadvertendum, onera missarum et siqua sunt alia non esse detrahenda), in ceteris locis consuetudine deciditur, *Devot. Inst. can. l. 2. tit. 15. § 3. not. 3: solvendum ab omnibus Ecclesiis,* etiam confraternitatum et ex omnibus beneficiis etiam simplicibus eiusdem iurisdictioni subiectis, exceptis capellaniis, quae laicales sunt et ad nutum amovibiles. *Devoti l. c. nota 4; Gaudent. de Visit. dub. 6.* Unde patet quid illud sit, quibus limitibus contineatur, et a quibus solvi debeat: quibus addendum est, neque in praeiudicium successorum condonari idem posse, *Barb. l. c. l. 3. c. 20. n. 3,* neque consuetudine etiam immemorabili abrogari, *S. C. C. in Anglon. 30 Ian. 1723, ibiq. in Lavellan. Cathedratici 6 Iun. 1693; Gaud. l. c.,* saltem totaliter ut *Barbosa* addit *l. c. n. 5.*

II. **Procuratio canonica** quae adhuc obtinet, illa est de qua *supra,* ubi de visitatione dioecesis in parte 4ª. satis superque diximus.

III. **Quarta decimationum,** *C. 6. de Off. Ord.,* i. e. decimarum quarta pars, vel quae consuetudine definita est, *Reiff. tit. de Off. Ord. n. 97;* quod tamen vectigal pluribus in locis exolevit. *Schmalz. de Off. Ord. n. 18.*

IV. **Quarta funeralium** quae ex mortuariorum, vel *Portio canonica* appellatur, *d. C. 16. de Off. Ord.; S. C. C. in Anglonen. 30 Ian. 1723,* seu pars quarta, vel quae consuetudine firmata est legatorum, et funeralium oblationum, quae Ecclesiis locisque piis Episcopo subiectis fiunt. *Girald. P. 1. Sect. 481; Schmalz. tit. de Test. n. 222. seq.; Devoti Inst. l. 2. § 9. t. 15.* Sed eiusmodi quoque exactio fere ubique exolevit. *Girald., Devot. ll. cc.*

281. *Declaratur 2m.* **Extraordinariae** exactiones sunt:

I. *Subsidium charitativum,* i. e. *vectigal extraordinarium, quod Episcopus a Clericis beneficiatis atque Ecclesiis sibi subiectis charitatis nomine exigit, necessitate gravi occurrente, Devot. l. c. § 4,* de quo haec animadvertenda sunt:

a) In genere quatuor conditiones concurrere oportere: 1ª. ut vera adsit indigentia, adeoque ab Episcopo, qui pingues reditus habeat, exigi non posse; 2ª. ut Capituli consensus habeatur; 3ª. ut pecunia, quae exigitur, varia esse debeat, pro varia necessitate; tamen moderata sit, neque onerosa; 4ª. ut ab iis non exigatur, qui vix habeant, unde sustententur. *S. C. C. in Gerund. 27 Febr. 1663, 1760; Devot. l. c.*

b) In specie quoad Italiam exigi ab Episcopo non posse, nisi in primo ingressu, idque in ea summa, quae consuetudine definita sit. *Innoc. X. Constit. Essendosi avuto 6 Oct. 1678; Girald. P. 1. Sect. 383.* Unde fit ut, necessitate occurrente, absque venia Apostolicae Sedis imperari nequeat. *Girald. l. c.*

II. **Census,** quo nomine heic intelligitur *onus reale, vel annuum vectigal ab Episcopo legitimo tempore alicui pio loco impositum sibi vel aliis solvendum. Reiff. tit. de Cens. n. 6.* Quod autem dicitur legitimo tempore inde est, quod huiusmodi census nonnisi duplici tempore imponi ab Episcopo potest: 1°. in Consecratione Ecclesiae recenter fundatae, accedente Patroni

consensu; 2°. cum annuente Capitulo Ecclesiam piis locis concedit eamque subtrahit a iurisdictione sua. *Devot. l. c.* § 2. Quibus addendum est, censum semel impositum augeri amplius non posse. *C. 7. de Cens. et DD.*

ARTICULUS II.

DE EPISCOPIS TITULARIBUS.

Summarium. — Tradita 1) notione Episcopi titularis, asseritur huiusmodi Episcopos iustis de causis esse institutos; 2) et circa eorum ius variae assignantur generales regulae.

282. Tractatum *de Episcopis titularibus* edidit *Andreucci*, qui extat in eius *Hierarchia ecclesiastica, Romae 1766.* Nonnulla de eodem habent *Ferraris, v. Episcopus a. 7; Bened. XIV., de Synod. dioeces. L. 2. c. 7; Barbosa, de Off. et Pot. Episc. P. 1. Tit. 1. C. 6. n. 19. segq.*, aliique.

Declaratur 1^m^. *Episcopi titulares ii dicuntur, qui ad ordinem episcopalem evecti sunt, ad titulum antiquae alicuius Cathedralis ab infidelibus occupatae, adeoque clero et populo Christiano mensaque episcopali carentis, l. c.;* de quibus id primum statuendum est adversus nonnullos, non modo haereticos, verum etiam liberioris styli catholicos (hos inter est Canus, *de locis theol. l. 5. C. 2*, aliique nonnulli, quibus mirum est accessisse *Fagnanum in C. Episcopalia de Privileg.*) iustis de causis fuisse eos institutos, inepte autem et non sine Sanctae Sedis iniuria oppugnari.

Ad institutionis causas, quod spectat, eae sunt: *a*) ut perpetuo quodam monumento illarum regionum cura excitetur, neve Ecclesia hostium violentiae acquievisse videatur; *b*) ut Episcopi praesto sint, qui sine propriae dioecesis damno pro variis Ecclesiae necessitatibus advocari a Romano Pontifice in subsidium possint, sive tamquam Sedis Apostolicae legati, quos utpote Episcopis praepositos, Episcopali dignitate praeditos esse decet, sive ut in Curia Romana Episcoporum negotiis et causis praeficiantur, sive ut Vicarii Apostolici munus alicubi obeant, sive ut honori supremae Cathedrae inserviant.

Argumenta vero quibus oppugnantur plane futilia sunt. Nam *a*) quaedam ducuntur *ex abusu*, adeoque ipsam institu-

tionem non tangunt, quemadmodum illa « Episcopos vagos aut mendicantes exinde prodire », praesertim cum huiusmodi abusus hodie sublati sint.

b) Quod a simili ducitur « eo quod canones vetant Episcopos in parvis urbibus constitui », id caret fundamento similitudinis: quandoquidem illud constitutum fuit, 1°. ne Episcopi in gravioribus negotiis consiliariis idoneis destituantur, quibus profecto Titulares non indigent, cum nulla habeant expedienda negotia; 2°. ne ex vilitate loci dignitas ipsa episcopalis vilescat; quod contrarium accidit in Titularibus, quippe qui conspicuos nobilissimaeque memoriae Titulos habeant.

c) Quae ab absurdis ducuntur: 1°. quia inde fit, ut eiusdem nobis duo adsint Episcopi; alter e schismate Graecorum, alter vero Titularis a Romano Pontifice constitutus; 2°. quia Titulares cum in consecratione iurent se ituros ad pascendum gregem suum, mentiri Spiritui Sancto videntur; ea carent fundamento absurditatis. Ad 1m. enim quod attinet, canones de duobus legitimis Episcopis loquuntur, quales Schismatici dici nequeunt, atque insuper de duobus Episcopis eumdem gregem pascentibus, unde eos non attingunt, qui forte in eadem urbe pro variis nationibus sint constituti; praesertim cum notum sit ante infidelium invasionem plures in Oriente fuisse Ecclesias, quae duos Episcopos haberent, alterum pro Graecis, alterum pro Latinis. Quod attinet ad 2m. iuramentum, quod a Titularibus emittitur, implicitam habet ex notis publicisque circumstantiis hanc conditionem, « si potero, vel, nisi a Romano Pontifice obligatio tollatur »; unde omnis evanescit mendacii formido. *Andreucc. l. c. P. 1. C. 3. et 5.*

283. *Declaratur 2m.* Hisce praemissis facile est totum ius de Episcopis titularibus complecti. Quod enim ii sunt veri Episcopi veroque spirituali matrimonio Ecclesiis suis copulati: contra autem clero careant ac populo, adeoque actuali iurisdictione atque Episcopali mensa, *tres regulae generales* consequuntur:

I. *Eorum promotionem,* nisi aliud obstet pertinere ad liberam Romani Pontificis collationem, *Andreucci l. c. n. 27. seq.,* eademque exigere requisita, quae in ceteris Episcopis exiguntur,

nisi quod praecellentia inter dignos in eis non requiritur. *Andreucci l. c. n. 33. 48.*

II. *Quae ad potestatem Ordinis spectant* valide ab iis confici, sed ex defectu iurisdictionis, illicite, nisi licentia concurrat Ordinarii: unde sequitur, si quidpiam eiusmodi attentent, in easdem poenas eos incidere, in quas ceteri Episcopi qui eadem fecerint in alienis subditis atque in aliena dioecesi. *Cf. Andreuc. l. c. n. 69. seqq.*

III. *Vincula atque obligationes*, itemque iura, honores et privilegia, quae ipsi ordini adhaerent, vel ex spirituali matrimonio oriantur, eos quoque afficere; contra autem illis carere, quae dimanant ex actuali iurisdictione.

Unde sequitur: *a*) ob matrimonium cum sua Ecclesia eligi ad aliam Ecclesiam eos non posse, sed postulari debere; adeoque ne transferri quidem, nisi vinculum prioris Ecclesiae a Romano Pontifice solvatur. *Andreuc. l. c.*

b) Ob episcopalis ordinis veritatem 1. ex Episcopalibus obligationibus teneri ad consecrationem intra trimestre suscipiendam, *Andreuc. l. c. 186*, et ad fidei professionem emittendam; 2. ex iuribus approbationem, non tamen iurisdictionem habere implicitam ad confessiones; si ad Concilium vocentur decisivo suffragio iure gaudere; 3. ex honoribus, privatis Episcoporum vestibus (quae scilicet iurisdictionem non indicant) uti posse; praecedentiam supra Presbyteros habere, nisi forte officii ratio, atque ordo aliud exigat. *Fagn. in C. 5. de Conc. Praeb. n. 28. seq.* (1), *Girald. P. 1. post Sect. 201. in App. Notandum seq.* Intra Episcopos autem iuxta ordinem promotionis sedere, nisi illi in sua dioecesi sint, aut munus aliquod sine iurisdictione exerceant, e. g. in Concilio Provinciali sedeant, *Andreuc. l. c. n. 144;* 4. ex privilegiis Apostolicae Sedis immediate subiectos esse et ab Ordinarii iurisdictione eximi, *Id. 237, coll. 14*, nisi de negotiis agatur dignitatis aut officii, quod in eius dioecesi forte habeant; item privilegiis

(1) (Fagn. exemplum ponit de Canonicis Ecclesiae Vaticanae. Id utrum in facto verum sit non adverti. Certe regulam contrariam esse ait *Petra* ad *Constit. universae Honor. II. Sect. 1. n. 64.* ubi Episcopum licet canonicum recentiorem praecedere ait canonicis non Episcopis licet antiquioribus.)

frui oratorii privati, altaris portatilis, electionis confessarii approbati, et si qua sunt alia, quae ipsi ordini Episcopali inhaerent. *Cf. Andr. l. c.*

c) Ob defectum Cleri et populi, adeoque actualis iurisdictionis 1°. ex obligationibus, residentiae lege non teneri, proindeque eorum ad ordinem episcopalem promotione beneficia quae forte habeant minime vacare, *Rigant. in Reg. Cancel. Reg. I. § 7. n. 69. seq.;* neque eos incapaces fieri ad alia obtinenda, *Rigan. l. c. n. 191;* item immunes esse ab oneribus tum applicationis missae pro populo, (nam Tridentinum *Sess. 23. C. 21,* ait: « Quibus animarum cura commissa est », et Benedictus XIV. *in tract. de Missa in ind. gen. v. Applicatio,* ait: « Qui curam animarum actu exercent ») ; tum visitationis sacrorum Liminum (*Andr. 209;* quia duplex finis visitationis sacrorum Liminum cum sit, uterque alienus ab Episcopo titulari); tum si archiepiscopalem titulum habeant petitionis, adeoque usus pallii. 2°. Ex iuribus eo minime gaudere, ut ad Concilia vocari debeant, familiares, aut homines suae titularis dioecesis neque ordinare, neque suae iurisdictioni asserere posse; neque horum matrimoniis, quidquid Andreucci dicat, valide assistere, secus valeret etiam matrimonium coram quolibet Capitulari aut saltem coram toto Capitulo, si cura apud Capitulum habitu maneat. 3°. Ex honoribus, veste quam dicunt *Mozzetta* (nisi Regulares sint, quibus alia quam dicunt *Mantelletta* uti non licet) imo et veste linea, quae audit *Rocchetto* absque veste superiore, quae dicitur *Mantelletta;* multoque magis habitu pontificali absque Ordinarii licentia uti non posse, *id. n. 135. et 141,* adeoque si Canonici sint, a missis de turno abstinere eosdem debere, ne sine habitu pontificali canere eas cogantur. *S. R. C. in Asculana 10 Apr. 1728 ad dub. VII; And. l. c. n. 153.* 4°. Ex privilegiis, eo quod de casibus occultis a Concilio Tridentino Episcopis tributum est, *Sess. 24. c. 6. de Ref.,* minime frui scilicet etiamsi eligantur ab habente facultatem in Confessarium, *id. n. 77,* neque pariter aliis, si qua sint, quae intuitu actualis iurisdictionis conceduntur.

APPENDIX

I. DE EPISCOPIS REGULARIBUS.

284. Si qui ex regulari familia ad Episcopatum promoventur, de iis haec animadvertenda:

I. In ipsa promotione, cum de claustris egrediuntur nihil secum adsportare possunt praeter scripta, propria indumenta sub poenis suspensionis a divinis ipso facto incurrenda. *Bened. XIII. Const. Custodes 7 Mart. 1725.*

II. In Episcopatu atque etiam in Cardinalatu *a*) servare debent sui ordinis regulas, quae suum officium non impediant, adeoque tonsuram capitis, habitumque laneum, eiusdemque coloris, qui sui Ordinis est proprius, gestare sub poena suspensionis ab exercitio Pontificalium ipso facto incurrendae ac Romano Pontifici reservatae. *Bened. XIII. Const. Custodes 7 Mart. 1725. b*) Contra, ius successionis ad haereditates post promotionem sibi delatas recuperant ita scilicet, ut proprietatem suae Ecclesiae, usufructum sibi acquirant. *S. C. C. apud Ferr. v. Episcopus a. VII. n. 10. seqq.*

III. Episcopatu dimisso, aliave dignitate extra claustra eidem delata, regredi ad claustra debent, sub poena privationis usus pontificalium, et post annum suspensionis a divinis ipso facto incurrenda. *Bened. XIII. l. c.*

II. DE ELECTIONE.

285. Unum non omittendum esset, scilicet de electione Episcoporum: ast de ea sermo in iure publico. Nunc sufficit monuisse tantum I. Ad unum Romanum Pontificem pertinere constituere pastores: unde, si qui concurrant ad personas eligendas, ii nonnisi lege canonica et disciplinari ius habent; II. ac proinde ab ipso Romano Pontifice seu Ecclesia aliud elementum *adscitum* pro utilius, facilius, et suavius peragenda electione Episcoporum, non esse Episcopatui essentiale et immutabile: sed mere accidentale et mutabile, sicut lex unde fluit. Unde electiones Episcoporum antiquitus a Clero et a plebe factae ad summum exhibent, non iuris ex rei natura insiti

exercitium, sed 1. concursum in testimonio ferendo; 2. consuetudinem postulandi; 3. simplicem praesentiam ut ipsa electio augustiori solemnitate perageretur, vel ad summum quoad Clerum eligentem concessionem quamdam Ecclesiae vel Pontificis.

TITULUS XIX.

DE VICARIIS EPISCOPI.

Praenotanda.

286. Ab Episcopo ad eius adiutores et administros in dioecesis regimine gradum facimus. Sermonem nunc ad eos dumtaxat coarctamus Episcopi adiutores, qui *Vicarii iurisdictionis episcopalis* appellantur. Nam Vicariorum multiplex in iure canonico species occurrit. Generatim alii dicuntur Vicarii in divinis, qui scilicet in divinis ministeriis et cura animarum, ceterisque officiis ad internum forum pertinentibus, aliorum vices gerunt, cuiusmodi sunt Vicarii sive perpetui sive temporales Parochorum, *Reiff. Tit. de Off. vicar. n. 9. et 10;* alii vero appellantur Vicarii iurisdictionis, qui scilicet in foro externo iurisdictionem vice alterius, i. e. Episcopi, exercent. *Reiff. l. c. n. 10. 11.* Sed hi in duplicem speciem abeunt: alii nimirum dicuntur *Vicarii nati,* qui scilicet ab ipso iure constituti sunt Episcoporum Vicarii, quales sunt Archidiaconus et Archipresbyter, de quibus res erit cum de Capitulis agemus: alii *Vicarii dati,* quos scilicet Episcopus constituit: eorumque etiam duplex est species. Alii audiunt *Foranei,* qui in certa dioecesis parte extra civitatem episcopalis sedis constituti sunt: alii sunt *generales,* quos Episcopus cum generali potestate in suam vicem constituit in eodem tribunali et loco, in quo ipse ius dicere consuevit. *Reiff. l. c. n. 14. seqq. et n. 58.* Nos hic agimus de Vicariis generalibus Episcopi, atque foraneis.

De Vicario generali praeter Doctores communiter in t. *de officio Vicarii,* speciales tractatus edidere *Leurenius, de Vicario episcopali; Ferrari Iosephus, Theorica et paxis Regiminis dioecesani,* ubi plura admiscet *de Vicario generali Episcopi...* aliique

I. DE VICARIIS GENERALIBUS.

Summarium. — **Iis quae ad 1) constitutionem Vicarii generalis pertinent, breviter recensitis, 2) nec non huius officii origine indicata, eius potestatis 3) natura, atque 4) amplitudo exhibetur; 5) tandem eiusmodi Vicariorum sustentatio, 6) dignitas, 7) cessatio brevissime exponitur.**

287. *Declaratur 1^m.* Ad **Constitutionem Vicarii generalis Episcopi** quaeruntur tria: 1. an aliquis necessarius; 2. an unus vel plures; 3. quis, vel quibus ornatus qualitatibus esse debeat.

Iamvero I. Vicarium generalem constituere nullo iure Episcopus cogitur, si omnibus negotiis per se expediendis par sit: secus autem cogitur: et nolenti etiam ab Urbe mittitur sive per breve Apostolicum sive per litteras S. Congregationis Episcoporum et Regularium vel Concilii, qui si ita mittatur, removeri ab Episcopo eique alius substitui iam non poterit. *Ferraris v. Vicarius gener. a. 1. n. 5. seqq.; Devoti Ius. can. un. l. 1. tit. 28. n. 4.*

II. Arbitrio item Episcopi unus vel plures constitui possunt, *Devot. l. c.*, salva exceptione, quae pro Italo-Graecis facta est a Benedicto XIV. *Const. Etsi pastoralis 26 Mai. 1742. § 9. n. 21*, quibus proprium Vicarium eorum expensis alendum deputari ab Episcopo voluit. *Cf. C. Quoniam 14. de Off. Iud. Ordin.*

Unde sequitur: *a*) plures ab Episcopo constitui posse Vicarios, non modo divisa inter eos iurisdictione, ceu fit e. g. in locis ultra montes, ubi alter Vicarii nomine, quae sunt voluntariae, alter nomine officialis, quae sunt contentiosae iurisdictionis exercet: verum etiam iurisdictione *indivisa* seu *in solidum*, quo in casu potestas eius potior habetur, qui prius negotium occupavit, *Dev. l. c.; b*) contra, etsi plures Cathedrales suae sedi unitas habeat, unum tantum posse pro omnibus constituere, licet contrarium, praesertim si magis dissita sint loca, congruum magis esse videatur, *Ferr. l. c. n. 11. seq.; c*) multo minus teneri si sua dioecesis in ditiones plures Principum excurrat, totidem Vicarios generales constituere, quot sunt Principum ditiones; quin imo si constituerentur, non

Generales sed foranei essent, quippe qui pro certa tantum dioecesis parte essent constituti aut saltem essent Vicarii generales non ordinaria, sed delegata potestate. *Ferrar. l. c. n. 16. sq.*

III. **Qualitates, quibus Vicarium generalem praeditum esse oportet,** ad haec capita revocari possunt: *a) ut sit positive idoneus,* 1°. scilicet *statu,* quem e clero saeculari esse oportet; quandoquidem laicus exercere iurisdictionem ecclesiasticam non potest, licet assessor Vicarii generalis esse possit, *Dev. l. c. tit. 28. § V. Regularis* autem generatim prohibetur, saltem si sit ex ordine aliquo mendicantium, *Pirh., Schm. de Off. vic.; arg. Clem. 1. de Reg.; Leuren. de Vicario Episcopali tract. 1. q. 50. n. 3,* et quoad ceteros si officii ratio vivere extra claustra eos cogat. *Ferrar. et Leur. ll. cc.* Adde bigamum clericum et coniugatum a Vicarii generalis officio arceri, *Ferrar. l. c.;* 2°. *vita,* quae scilicet spectata sit atque integra, *Dev. l. c.;* 3°. *aetate,* h. e. annorum saltem 25; 4°. *doctrina,* unde doctorem vel licentiatum in iure canonico esse oportet, *Devot. l. c.;* 5°. *ut ob muneris incompatibilitatem* non impediatur, e. g. qui curam gerit animarum, aut sit Canonicus poenitentiarius; 6°. ut *a quavis suspicione sit immunis:* unde ab hoc munere arcetur 1) civis Episcopalis urbis, *Dev. l. c. et Conc. Rom. an. 1725. tit. 8. c. 2;* imo et dioecesis, *Ferrar. l. c. n. 34; Leuren. l. c. tract. 1. q. 47,* ne scilicet abripi studio partium vi cognationum vel affinitatum dicatur; 2) proximus Episcopi propinquus, cuiusmodi est frater vel nepos vel etiam Patruelis, *Dev. l. c. § 5,* ne iurisdictio ecclesiastica iure quodam sanguinis communicari, et ne veluti haereditaria fieri videatur.

288. *Declaratur 2m.* **Institutio** huius officii repetenda est a tempore quod intercedit ab *an. 1233. ad an. 1298.* Nam *tit. de Off. Vicarii* in Decretalibus Gregorius IX. agit de Vicariis tantum in beneficiis; in 6°. vero Decretalium agitur de Vicario in iurisdictione seu de Vicario generali Episcopi ita ut, quae commissa erant antea Archidiacono et Archipresbytero, deinceps illi ab Episcopo constituto tribuerentur. Vicarius generalis dicitur etiam *officialis* aut Vicarius principalis, aut etiam in spiritualibus. Concilium Trid. promiscue adhibet vocem Vicarii generalis aut officialis. Vicarius in spiritualibus quadantenus distinctus ab officiali apparet iam in *C. 3. de Temp. Ordin.*

in 6. (I. 9): et clarius adhuc in *Clem. C. 2. de Rescrip.* (I. 2), atque ita porro in Galliis, in Polonia et pluribus aliis in locis Vicario generali, quae voluntariae; et officiali, quae contentiosae iurisdictionis sunt, passim distinctis attribuuntur.

289. *Declaratur 3^m.* Quoad naturam potestatis Vicarii generalis quaeritur **utrum sit ordinaria vel delegata?** Communior et probabilior sententia est quod ea sit *ordinaria.* Ita *Pirhing in tit. de Off. Vicar. n. XXXV.* et plurimi alli auctores citati, tam apud Pirhing, quam apud Reiffest. Et re quidem vera 1) arg. ex origine historica, officio archidiaconi et archipresbyteri suffectum est munus Vicarii generalis: atqui ordinaria erat iurisdictio archidiaconi et archipresbyteri: ergo cum saltem per fictionem quamdam iuris eadem sit iurisdictio Vicarii generalis, haec ordinaria erit. 2) Fundamentum praecipuum conclusionis est, ait Reiffenstuel in *tit. de Off. Vic. n. 92,* quae a lege seu canone ratione officii seu dignitatis cuipiam conceditur est ordinaria, *L. More et L. Et quia ff. de iurisd. omn. Iudic.,* atqui Vicarius generalis Episcopi habet iurisdictionem a Canone et ratione sui officii sibi concessam, *C. Licet. 2. h. t. in 6.* cum similibus: ergo. Nec obstat quod Episcopus instituat seu constituat sibi Vicarium generalem. Nam eo ipso quod is constitutus fuit ab Episcopo, ius tribuit ipsi iurisdictionem et quidem immediate. 3) Idem est tribunal, eadem est iurisdictio Episcopi et Vicarii sui generalis: atqui iurisdictio Episcopi est ordinaria. *Pirhing l. c.*

4) Si non esset ordinaria esset delegata: atqui non est delegata. Ergo. Potestas delegata per se non potest subdelegari, non facit unum tribunal cum delegante, et a delegato ad delegantem fieri potest appellatio: atqui his contraria obtinent in iurisdictione Vicarii. 5) Ex praxi Congregationum romanarum Vicarius generalis venit in censu Ordinariorum. Ex multis enim decisionibus S. C. C. constat, matrimonium valide contrahi coram Vicario generali, vel sacerdote ab ipso delegato, etsi delegationem non dederit Episcopus vel parochus, imo etsi prohibuerint eiusmodi matrimonium: ita in *Savonensi 2 Martii 1595;* item *22 Apr. 1719.* et in causa *Calliensi 17 Augusti 1776.* Iamvero *Conc. Trid. Sess. 21. c. 1. de Ref. matr.* irritum declaravit matrimonium aliter initum, *quam praesente parocho*

vel alio sacerdote, de ipsius parochi, seu Ordinarii licentia. Ergo Congr. Conc. necessario habet, Vicarium generalem esse *Ordinarium.* Sic Rota: « In his, quae veniunt sub generali mandato, Vicarius venit appellatione Ordinarii; secus autem in his quae non continentur, quia in illis est delegatus ». 6) Atque ita melius intelliguntur haec et similia effata, quae de Vicario generali circumferri solent « quod sit Iudex ecclesiasticus spectabilis, de mediis magistratibus Iudex Ordinarius. Decretis generatim loquentibus de Ordinario comprehenditur Vicarius generalis. In iurisdictione Vicarius generalis dicitur associatus Episcopo ».

Qui negant esse ordinariam dicunt:

1°. Potestas Vicarii est ex mandato Episcopi, qui eo ipso quod sibi constituit Vicarium generalem, delegat potestatem. Resp. Eo ipso quod Vicarius constitutus fuit ab Episcopo, ius tribuit ipsi iurisdictionem et quidem immediate, iuxta *C. 2. h. t. in 6,* ubi supponitur quod Vicarius generalis statim ac per Episcopum constituitur, eo ipso a Lege seu Canone iurisdictionem accipiat. Sicut in aliis iudicibus ordinaria potestate pollentibus, nil obstat quod a Principe nominentur.

2°. « Duo insimul eamdem rem et eodem modo in solidum possidere non possunt ». *C. Licet de Probat.* Ergo si habet Episcopus iurisdictionem ordinariam, non habet eius Vicarius generalis. Resp. *Nego* Consequentiam. Et allatus textus non urget, cum dicta iurisdictio non eodem modo sit in utrisque. Nam in Episcopo est primario et principaliter, utpote qui ratione dignitatis consequitur iurisdictionis dominium, in Vicario est secundario seu accessorie ex commissione Iuris, et quasi exercitium dominii iurisdictionis consistentis in persona Episcopi.

3°. Vicarius generalis gerit vices Episcopi; sed qui gerit vices alterius nil proprium habet, sed censetur uti iurisdictione delegata. Resp. *Concedo* mai., *Distinguo* min. Qui gerit vices alterius ex nuda commissione alterius, non autem ex officio, cui talis iurisdictio cohaeret, censetur uti iurisdictione delegata, *Concedo;* si ei, qui vices alterius gerit, competat iurisdictio a iure vi proprii officii, *Nego.* Sic in Vicario generali; haud obstante, quod per Episcopum, qui ipsum constituit, valeat restringi vel ampliari iurisdictio. Sicut in legato vel in delegato

ad universalitatem causarum est ordinaria vel quasi ordinaria, et potest restringi....

4°. Inter iurisdictionem ordinariam et delegatam discrimen est, quod illa sit perpetua, nec mortuo concedente expiret, haec autem, si res adhuc sit integra, mortuo delegante expiret; atqui mortuo Episcopo expirat iurisdictio Vicarii. Resp. *Distinguo* mai. Quando iurisdictio ordinaria non cohaeret alteri ordinariae tamquam accessoria, *Concedo;* secus *Nego;* quia tunc cum sit accessoria et cohaereat alteri « *accessorium naturam sequi congruit principalis* ». *Reg. 42. Iur. in 6.*

5°. Iurisdictio Vicarii est revocabilis ad nutum Episcopi, sed iurisdictio talis est delegata. Resp. *Concedo* mai. quod sit revocabilis, sed *Nego* min. Nam remoto munere et officio, removetur potestas.

Hinc prioris sententiae patroni praesertim hasce tradunt regulas: I^a^. Talis potestas datur ex dispositione iuris et officio est adnexa; ergo ordinaria est, non delegata.

Regula II^a^. unum constituit tribunal cum Episcopo, ideo quia vicem iurisdictionis ordinariae Episcopi gerit, secus idem tribunal ordinariam et delegatam iurisdictionem exerceret.

Iamvero ex I^a^. regula sequitur: *a*) licet Vicarius generalis non possit in alium transferre totam suam iurisdictionem, quod nullus magistratus inferior principe potest, tamen ad particulare aliquod negotium, quod per se sit proprium officii Vicarii generalis posse alium delegare. Dixi quod *per se sit proprium*, *b*) unde in iis, quae speciali et separato mandato eidem deferuntur, eumdem delegatam non ordinariam potestatem habere, adeoque alium subdelegare non posse, neque in ea re appellationem denegari ab eius sententia ad Episcopum, nisi forte in eodem mandato dicatur vicarialem ipsam potestatem eidem in ea re ampliari. *Leuren. Vicar. Ep. Tract. 1. q. 69. 73. 74. n. 3.*

Ex II^a^. regula sequitur *a*) in iis, ad quae extenditur potestas Vicarii, appellari non posse a Vicario ad Episcopum, *C. 2. de Consuet. in 6,* ne appellatio ad seipsum fieri videatur, cum sit unum idemque tribunal; *b*) Vicarii potestatem per se non porrigi ad ea, quae Episcopis tribuuntur tamquam Sedis Apostolicae delegatis, multo minus extendi ad ea, quae sunt

ordinis episcopalis, licet Vicarius esset charactere episcopali insignitus.

Hinc patet tamquam II^ae. regulae corollarium, sequens.

290. *Declaratur 4^m.* **Amplitudo potestatis Vicarii generalis.** Ex dictis, Vicarium scilicet generalem vicem gerere iurisdictionis ordinariae, consequitur quaenam in genere amplitudo sit iurisdictionis Vicarii, scilicet Vicarium generalem ea posse, quae vel ad Episcopum peculiari quodam modo non reservantur, vel ab eodem pro lubitu non excipiuntur. Unde quoad ordinariam Vicarii potestatem, generatim tota potestas Vicarii generalis aestimatur ex litteris, quibus eidem munus commissum est; et ideo tanta, quanta iis litteris continetur. Si iis singillatim exprimantur, quae Vicarii potestati subiiciuntur, nulla controversia. Sed si nil speciatim exprimitur in generali mandato, tunc habet locum *Regula, C. 81. R. I. in 6:* « *In generali concessione non veniunt ea, quae quis non esset verosimiliter in specie concessurus* »; ita ut, non obstante generali mandato, ea non complectatur, quae vel *graviora* vel *gratiosiora* habentur. *Cf. Foebeus et Reiff. Comment. in Reg. I.*

Ast hic quaeritur quae graviora vel gratiosiora censenda sint.

Resp. I. Generatim cum Devoti, si aut iure scripto, aut communi pragmaticorum opinione certum aliquod negotium inter graviora ac peculiari digna mentione (quia gratiosius) refera, tur; id quidem generali mandato comprehensum haberi nequit- cum nemo a iure scripto receptaque sententia et consuetudine recessisse videatur, nisi aliud expresse constituerit.

Resp. II. In specie, quae de facto α) *utpote graviora existimantur* ac proinde reservari solent Episcopo, sunt 1°. Synodum cogere, *Devot. l. c.,* vel constitutiones synodales mutare; 2°. Dioecesim visitare, *Ferrar. l. c. a. 2. n. 20. 21;* 3°. Cathedraticum vel subsidium charitativum exigere; 4°. absolvere a reservatis, *Devot. l. c., Ferraris;* 5°. exercere facultates Episcopis datas a Tridentino, *C. Liceat;* 6°. imponere publicas poenitentias aut poenitentes publicos reconciliare; 7°. cognoscere et punire delicta, quae scilicet graviores exigunt poenas, cum poenas leves propter delicta non gravia, e. g. mulctas pecuniarias vel alias similes, etiam sine speciali mandato possit

imponere, *Leur. l. c. q. 140. 186;* 8°. Poenas alicui illatas remittere aut in alias commutare; 9°. cognoscere de crimine haeresis; 10°. Concedere litteras dimissoriales ad ordines ab alieno Episcopo recipiendos, nisi Episcopus in longinquis regionibus diu commoretur, *C. 3. de Temp. ord. in 6;* 11°. explorare voluntatem puellarum religiosae professionis caussa, nisi forte Episcopus vel absens vel impeditus sit, *Trid. Sess. 25. c. 17. de Ref.; Leur. l. c. q. 210;* 12°. concedere licentias nova monasteria seu conventus aedificandi; 13°. Exequi pias defunctorum voluntates, *Ferr., Leur. ll. cc.;* 14°. mutare statum alicuius Ecclesiae, aut res ecclesiasticas alienare, etiam in casibus, in quibus id potest Episcopus; 15°. concedere licentiam Episcopo alterius dioecesis pontificalia celebrandi, aut si e propria dioecesi expulsi exulent, iurisdictionem in proprios exercendi; 16°. indicere Collegium canonicum eive interesse, *Trid. Sess. 25; Devoti l. c.;* 17°. inquirere de obreptione dispensationis apostolicae; 18°. Authenticum declarare exemplum ex originali sumptum, ut perinde ac ipsum vim in iudiciis habeat. *Cf. Ferraris l. c. n. 77. et Leur. l. c. n. 177.*

β) Utpote quae *gratiosiora existimentur* non potest Vicarius generalis 1) indulgentias concedere, *Leur. l. c. c. 139;* 2) dispensare in iis, in quibus id potest Episcopus, e. g. in legibus episcopalibus, et in legibus iuris communis, ubi dispensatio a iure ipso permittitur, neque sunt Romano Pontifici reservata.

γ) *Specialius adhuc quoad rem beneficiariam,* quatenus pro varia quaestionum natura, partim gravioribus, partim gratiosioribus rebus accensentur 1. beneficia erigere, de una in aliam Ecclesiam transferre, iuripatronatus subiicere, unire, dividere, supprimere; 2. eadem conferre, quae scilicet ad liberam Episcopi collationem pertinent, vel ad ea praesentare, in quibus ius praesentandi Episcopis sit, vel Ecclesiae vacanti oeconomum praeficere, vel pensiones iisdem imponere, *Devoti l. c.;* 3. eorumdem resignationes admittere, beneficiarios ab iisdem removere.

Resp. III. Ordinaria quoque potestas, quae in generali mandato solet contineri, restringi aut ampliari potest arbitrio Episcopi.

Unde sequitur *a*) in iis quoque negotiis, quae Vicarius iure suo gerere posset, Episcopum eiusdem potestatem posse restringere, *Devoti Ius can. un. l. 1. tit. 28. § 6; b*) si eiusdem velit potestatem ampliari, id in eius arbitrio esse, ita scilicet, ut in generali concessione vicariatus eidem facultatem faciat aperte ea quoque gerendi, quae speciale mandatum exigunt, sive aliqua quae expresse nominentur, sive etiam omnia, adhibitis tamen clausulis, de quibus dubitari nequeat; quandoquidem ex sola formula, qua Episcopus se eidem facultatem dare agendi omnia, *quae ipse facere potest*, ea, quae speciale mandatum exigunt, non continerentur. *Leur. l. c. q. 99. seq.*

291. *Declaratur 5^m^.* **De sustentatione seu mercede Vicarii generalis** quaeri potest 1. an solvi debeat; 2. a quo et quibus ex bonis solvenda.

Resp. I. Non est dubitandum aliquod salarium Vicario generali deberi, *arg. c. 15. de Off. Iud. Ord.; Leuren. l. c. q. 284*, idque *a*) etiamsi de eodem conventum non fuerit, *b*) pro eo quoque tempore, quod ab officii sui cessatione in eiusdem exercitio bona fide transegit.

Resp. II. Eiusmodi salarium solvendum est ab Episcopo: eo vero mortuo, a Capitulo de bonis Ecclesiae vacantis, numquam vero de poenis pecuniariis. *Leur. l. c. q. 189.*

292. *Declaratur 6^m^.* **De dignitate Vicarii generalis** duo praecipue quaerenda sunt: 1. an aliqua sit dignitas; 2. an ius aliquod praecedentiae inde dimanet.

Porro I. Dignitas, etsi nulla Vicario sit ratione beneficii, est tamen ratione magistratus, quem gerit, *Glos. in Clem. Etsi Principalis de Rescr. v. Per electionem; Leur. q. 57*: quandoquidem dignitatis nomine quaevis etiam continetur praeeminentia ex iurisdictione proveniens. *Fagn. in C. Ad haec 13. de Praeb. 28.*

II. *Ius praecedentiae* Vicario debitae ita determinari potest, ut ei competat ius praecedendi omnes alios, non modo Canonicos, verum etiam Praelatos Episcopo inferiores, idque sive absente, sive praesente Episcopo: neque tantum in actibus, quibus interest ratione suae iurisdictionis, verum etiam in aliis omnibus, dummodo adsit tamquam Vicarius, neque Canonici vestes sacras gerant, e. g. Pluviales, Dalmaticas. *Cf. Leur. l. c. q. 60–65.*

Unde sequitur, *a*) Vicarium generalem multo magis praecedere in spiritualibus debere Gubernatorem, ceterosque Iudices et Commissarios, qui circa temporalia negotia constituti sunt. *Ferr. v. Vic. gen. a. 3. n. 23. 26. b*) Eumdem contra, si sit Canonicus, utque talis choro adsit, ceteris nullo pacto praecedere, sed locum suum tenere. *Cf. Ferr.*

293. *Declaratur 7^m^.* Restat ut aliqua dicantur *de modis, quibus officium Vicarii generalis expirat,* aut saltem suspenditur.

Porro I. *Expirat* quatuor modis praecipuis: 1. *Praefinito tempore elapso,* si ad tempus constitutus sit; 2. *morte Episcopi,* naturali sive quasi civili (nam Vicarius est veluti umbra Episcopi, quae, corpore recedente, simul recedit), e. g. per renuntiationem a Summo Pontifice admissam, aut depositionem, aut translationem ad aliam Ecclesiam; 3. *renunciatione* ab ipso Vicario emissa, sive expresse sive etiam tacite, e. g. si e dioecesi discesserit sine animo redeundi. Ratio est, quia non est intitulatus: nam tituli dantur in perpetuum. Hinc sicut Vicarius non potest invitus compelli ad suscipiendum Officium Vicariatus, ita compelli nequit ad illud retinendum; 4. *revocatione* seu amotione eiusdem ab officio per Episcopum, qui eum constituit; secus si a Papa esset constitutus. Revocatio ut effectum habeat satis non est ut cognita fiat Vicario, a quocumque viro cognitio veniat, licet fide digno, qui non fuerit ab Episcopo ad hoc deputatus: sed necesse est, ut sit notificata vel per ipsum Episcopum, vel per eius epistolam, vel per alium nomine eius.

II. *Suspenditur a*) excommunicatione vel suspensione nominatim denuntianda sive ipsius Vicarii, sive etiam Episcopi, etiam quoad negotia iam coepta (quia est unum tribunal), si tamen ab Episcopo uti fieri consuevit, non autem a Summo Pontifice, quod aliquando fieri potest, Vicarius iurisdictionem habuerit, *Leur. l. c. q. 293; b*) iuxta *Fagn. a Leur. cit. q. 291, captivitate Episcopi,* quo in casu, Vicarii officium habitu remanere aiunt, licet actu transeat una cum iurisdictione episcopali ad Capitulum iuxta *C. 3. de Suppl. negl. Prael. in 6; c*) ipsius Episcopi voluntate, patet.

II. DE VICARIIS FORANEIS.

Summarium. — Vicariorum, qui foranei audiunt, 1) notione tradita, eorum constitutio, 2) potestas 3) et cessatio breviter exponitur.

Praenotandum.

294. Sicut Romanus Pontifex iam antiquitus coepit legatos suos diversa in loca remotiora mittere, qui ibi negotia quaedam universalis Primatus propria agerent, ita Episcopi residentes in Cathedralibus, cum omnibus extra urbem suam occurrentibus negotiis praesentia ipsi consulere non possent, in ceteris praesertim ruralibus Ecclesiis Vicarios quosdam suos constituerunt, qui chorepiscopi appellarentur. Horum iam a 3°. saec. repetenda est origo, qui ordinarie simplices erant Presbyteri, raro et veluti per accidens Episcopi, prout testatur Concilium Antiochenum *c. 10. a. 431:* « Qui in vicis et possessionibus chorepiscopi nominantur, quamvis ut Episcopi ordinati sint, nec presbyterum nec diaconum audeant ordinare sub poena depositionis ». Chorepiscopi dicebantur (ad rem Bellarminus *de Cler. op. t. 2. l. 1...*) olim presbyteri quidam, qui in pagis aut oppidulis curam animarum gerebant loco Episcoporum, quod nunc fere parochi faciunt. Dicebantur Chorepiscopi a χωρα *oppidum,* vel locus, quasi loco Episcoporum constituti. Respondeo quosdam fuisse chorepiscopos, qui vere episcopalem consecrationem acceperant, sed chorepiscopi dicebantur quod non haberent propriam ecclesiam, sed in aliena dioecesi ministrarent, quales sunt hoc tempore Episcopi quidam titulares, qui et suffraganei dici solent; alios vero chorepiscopos fuisse, qui nihil aliud nisi presbyteri essent, sed, ut diximus, in pagis et villis seu etiam oppidulis Episcopum aliquo modo repraesentarent. De prioribus loquitur Concilium Antiochenum. Sed Chorepiscopi, cum in superbiam elati contra suos dioecesanos Episcopos intumescere aggressi sunt, maxime ii, qui, episcopali charactere insigniti, ordines non solum minores conferre, sed etiam maiores ausi sunt; minui coeperunt,

donec hic auctoritatis gradus saec. 9°. fuerit extinctus. Attamen Vicarii rurales Episcoporum penitus non cessarunt, cum horum Vicariorum officium quibusdam adnecti coepit dignitatibus, aut beneficiis rure constitutis: tum eadem vicaria iurisdictio committi coepit selectis ab Episcopo viris, qui *vicarii foranei* dicti sunt: hinc notio...

295. *Declaratur 1^m^.* « *Vicarii foranei sunt, qui extra urbem episcopalem in diversis dioeceseos partibus constituti sunt ad facilius tuendam, maxime in Clericis, ecclesiasticam disciplinam* », vel « *Vicarii foranei ii dicuntur Clerici, qui per varia oppida dioecesis ab Episcopo constituuntur, ut ius dicant in causis levioribus* ». *Bened. XIV. de Syn. l. 3. n. 5.* Ex qua definitione apparet **constitutio,** scilicet ab Episcopo *potestas,* ut ius dicant in levioribus. Hinc eorum institutio nonnisi ex libera Episcoporum voluntate repetenda est, sicut tota eorum iurisdictio ab ipsa pendet Episcopi voluntate. Circa constitutionem autem animadvertendum est, *a*) Episcopum teneri eiusmodi Vicarios constituere, ut in regimine pastorali fidelium necessitatibus, quantum satis sit, provideatur, *Ferr. v. Vicarius Foraneus n. 3, ibique S. C. Episcoporum; b*) viros probos eos esse oportere, maturae aetatis, iurisque, quantum fieri potest, peritos, *Andreucci de triplici Vicar. P. 5. n. 1; c*) in locis saltem celebrioribus extra urbem episcopalem constitui debere. *Pellegr. Prax. Vicar. P. 1. sect. 7. n. 10.*

296. *Declaratur 2^m^.* **De eorumdem potestate** quaeruntur tria:

1°. Natura seu origo, quae non est ex iure seu ordinaria, sed ex mero Episcopi mandato, i. e. delegata, *Pellegr. l. c.;* licet ea delegatio sit ad certum genus causarum; in eaque re Vicarius Foraneus ab eo differat, qui simpliciter delegatus dicitur, quique ad aliquod speciale negotium delegari solet. Simpliciter delegatus dici potest, qui est delegatus ad certam causam tantum: nam delegatus ad certum genus causarum instar Ordinarii habetur.

Unde *dimanant, a*) Vicarium foraneum non posse alium subdelegare, nisi eiusmodi facultas ei facta sit, vel nisi urgente necessitate de nudo agatur alicuius rei ministerio aut executione. *Pellegr. l. c.; Devoti Ius can. univ. l. 1. tit. 28. § 9.*

Nota tamen, Vicarium foraneum esse delegatum ad certum genus causarum, adeoque unam vel alteram causam subdelegare posse, quia delegatus ad certum genus causarum instar Ordinarii habetur, *Reiff. in tit. de Officio et pot. Iud. deleg. n. 62. seq.; b*) a Vicarii foranei sententia ad Episcopum, eiusve Vicarium generalem appellandum esse, *Dev. l. c.; c*) eumdem matrimoniis assistere valide non posse.

2°. *Materia* regulariter circa ea versatur, quae pertinent ad forum externum: unde sequitur, ad Vicarium foraneum non autem ad parochum pertinere, veniam diebus festis operandi concedere, aliaque similia. *Pellegr., Ferraris l. c.*

3°. *Extensio a*) *in genere* ab Episcopi mandato determinatur, *Andreucci l. c. n. 3,* ubi etiam animadvertit expedire, ne Episcopus nimis angustis limitibus eam coerceat, praesertim in celebrioribus oppidis et ab urbe episcopali magis distantibus; idque propter repentinos casus in quibus saepe periculum est in mora. Licet enim necessitatis causa forte posset dispensare, nihilominus praestat id fieri expressa voluntate Episcopi, ne per laxiores interpretationes disciplina relaxetur.

Unde ad quaestionem, quae in specie negotia expedire valet?

b) Resp. *in specie* haec praecipue negotia complecti solere, 1. cognitionem leviorum causarum, e. g. de transgressione festorum; 2. inquisitionem de vita et moribus clericorum...; 3. facultatem concedendi veniam, quibus eiusmodi necessitas est, vescendi cibis vetitis de medicorum consilio, *Ferraris l. c. n. 22,* qui addit ex praecepto S. C. Episcoporum eamdem gratis esse concedendam, ita ut ne pro scriptura quidem quidquam accipiatur; et si quae sunt similia; 4. iuxta receptam praxim convocare semel in mense presbyteros ad conferentias casuum moralium.

Hinc *praeeminentia* Vicarii foranei sita est in praecedentia quoad eos tantum actus, quibus Vicarii intersunt ratione officii sui. *Ferr. v. Vicarii Foranei n. 18.*

297. *Declaratur 3^m^.* seu **de cessatione officii.** Quoad modos, quibus Vicariorum foraneorum officium cessat, illud in genere advertendum est, eos arbitrio Episcopi amoveri posse. *Ferr. l. c. n. 5.* Ceterum iisdem modis eorum officium expirat, quibus officium Vicarii generalis.

TITULUS XX.

DE CAPITULO ECCLESIAE CATHEDRALIS.

Summarium. — Post Capituli Cathedralis Ecclesiae traditam 1) notionem, asseritur Capitulum 2) sede plena ita esse Senatum Episcopi, ut hic in pluribus illius consilia exquirere, in quibusdam autem consensum habere teneatur: sede autem vacante, Capitulum 3) succedere quidem Episcopo in omnibus, quae pertinent ad potestatem iurisdictionis ordinariae, tum in foro interno, tum in foro externo, tam in spiritualibus quam in temporalibus, iis tantum exceptis, quae in iure reperiuntur reservata: sed 4) ita, ut tota haec iurisdictio devolvatur in unum Vicarium Capitularem rite eligendum intra octo dies ab accepta notitia vacationis, qui, praesertim ad normam « ne sede vacante aliquid innovetur », dioecesim administrabit, donec novus Episcopus apostolicas collationis litteras exhibuerit.

I. NOTIO CAPITULI ECCLESIAE CATHEDRALIS.

298. *Declaratur 1^m^*. Cathedralis Ecclesia est ceterarum in Dioecesi matrix, thronus, sedes, Cathedra Episcopi, dioecesanae Communionis centrum, ac proin supra omnes habet speciales attributiones. Has omnes attributiones huius Ecclesiae seu Capituli hic persequi non vacat, sed eas tantum attingemus, quae ad Episcopalem sedem, sive plenam sive vacantem, dicunt relationem. Hinc ratio adnectendi titulis praecedentibus *de Episcopo* et *huius Vicariis* titulum *de Capitulo Ecclesiae Cathedralis*, quod particeps quadamtenus fit administrandae dioecesis. Cathedralis porro Ecclesia, sede episcopali plena, habet caput in Episcopo et membra in Canonicis, atque adeo propria tam Episcopi, imo magis, quam Canonicorum. Unde eius regimen principaliter Episcopo, secundario Canonicis est commissum, ita ut communi voluntate et actione gubernetur. Antequam vero sub hac ratione Capitulum spectemus, indicare praestat, quaenam sint vera Capituli Ecclesiae Cathedralis membra, quaenam non sint.

Vera capituli membra soli sunt Canonici, *Schm. in t. de Iis quae fiunt a maiore parte Cap., n. 3,* ii praesertim, qui in prima Capituli erectione constituti sunt, tum ceteri, qui deinceps accesserunt, quatenus in partem vel in plenitudinem iurium legitime sunt admissi. *Cf. Scarfantonius in Lucubrat. canon.; Fr. Ceccopieri l. 1. tit. 4. et S. C. C. in Fabrianensi 8 Aug. 1829. § At vero.*

Inde sequitur I. Episcopum, licet Capituli esse caput, unumque corpus cum Capitulo constituere dicatur, *C. Novit de Iis quae fiunt a Prael. sine...;* ad Capitulum nihilominus non pertinere, neque illius membrum esse, cum ipsum Capitulum totum quantum est, amplioris illius corporis sit membrum, cuius Caput est Episcopus. *Schmalz. l. c. n. 3.* Quis dicitur pertinere ad aliquod corpus tamquam par inter pares, non tamquam superior inter inferiores: unde non Episcopus pertinet ad Capitulum sed Capitulum ad Episcopum. Sic Rex non est Curiae suae membrum: licet Curia sit appendix quaedam Regis, unumque corpus cum eo facere videatur; sic Papa non est membrum Collegii Cardinalium.

II. Ad Capitulum pariter proprie non pertinere, licet sint membra Capitulo adiuncta, adeoque dignitatis corporis participes sint 1°. Dignitates, quarum possessores non sint simul Canonici, nisi forte in earum fundatione secus constitutum sit, et nisi agatur de Decano, qui regulariter est Canonicorum Caput, *Schmalz. l. c. n. 4.* (regulariter quia in hac materia parum fidendum); 2°. Canonicos honorarios; 3°. Canonicos, qui creati sunt a Romano Pontifice cum expectativa, et praebendae vacationem expectant adhuc, adeoque etiam Canonicos coadiutores, *Scarfant. l. c. n. 14. seq. et n. 5;* 4°. ceteros beneficiarios, qui infra Canonicorum gradum constituti sunt. *Schmalz. l. c. n. 3.*

II. DE CAPITULO ECCLESIAE CATHEDRALIS SEDE PLENA.

299. *Declaratur 2m.* Capitulum est brachium Episcopi, quem proinde consiliis suis iuvare tenetur. Capitulum enim Ecclesiae Cathedralis *a*) praxi constanti in Ecclesia habitum est non solum uti Presbyterium, coetus, seu Collegium sacerdotum in Ecclesia Cathedrali, sed ut Senatus Episcopi;

b) ut talis exhibetur, *C. 7. ca. 16. q. 1: Ecclesia habet senatum;* et *Trid. Sess. 24. c. 12. de Ref.:* « ut merito Ecclesiae Senatus dici possit »; atqui proprium est senatus iuvare Principem consiliis suis. Unde merito quaedam habentur in iure *tit. de Iis quae fiunt a Praelato sine consensu Capituli,* e. g. *C. 4. et 5.* ibique Doctores. Ad hoc enim Capitulum institutum est, ut sit consilium Episcopi et Ecclesiae senatus, ut provideatur consilio Episcoporum. Hinc quamvis certum sit posse dari consuetudinem, quae aliqua ex parte eximat Episcopum ab obligatione sive audiendi consilium, sive exquirendi consensum; tamen neque quadragenaria consuetudo eum ita eximit, ut in nullis praesertim gravioribus negotiis Capituli consensum exquirat. *Bouix, heic.*

In specie quamvis sequi non teneatur, debet tamen audire consilium 1°. in ferendis constitutionibus synodalibus, secus ut illegitime editae suo carent robore, nisi defectus a S. C. sanetur, *Bened. XIV. de Syn. l. 13. c. 1;* 2°. in distribuendis ordinibus Canonicorum ita, ut dimidia eorum pars sit presbyterorum et ceteri Diaconi vel subdiaconi; 3°. in iis explicandis negotiis, quae ad eorum Seminaria pertinent; 4°. in substituendis iudicibus synodalibus loco demortuorum infra annum ab ultima synodo. *Trid. Sess. 25. c. 10. de Ref.*

Quaedam vero ab Episcopo non possunt fieri, **nisi habito consensu** Capituli, qui scilicet consensus sit necessarius ad actus validitatem, quod prob. *toto tit. 10. de Iis quae fiunt sine.....*

In specie quaenam sint graviora negotia, in quibus etiam consensus sit habendus. Resp. *Leur. Foro eccles. l. 3. tit. 10. q. 108.* « Consensus Capituli Episcopo necessarius (ita ut non sufficiat adhiberi consilium) (requiritur) in omnibus, in quibus Ecclesiae obligatio notabilis aliqua imponitur, v. g. ex deposito, fideiussione, mutuo, donatione. Item in omnibus negotiis, in quibus Ecclesiae et successoribus notabile praeiudicium generari potest ». Quibus addendum in genere, « requiri consensum in iis, quae ad Praelatum simul et Capitulum spectant... in iis, de quibus Capituli specialiter interest. E contra non requiritur, si minora quoad supradicta tractantur, aut sine notabili praeiudicio, aut in iis, quae iure devolutionis

agit Episcopus, aut quae iure specialis delegationis sunt ei commissa.

Ex regula Laurenii sequitur exigi consensum Capituli 1. quando agitur de iis statuendis, quae ad divinum officium et ad ministrorum regimen referuntur, *Trid. Sess. 24. c. 12. de Ref.;* 2. in uniendis beneficiis simplicibus et in suppressione praebendarum; 3. in procedendo contra Canonicos in casibus determinatis a Tridentino; 4. in convertendis relictis pro peregrinis infirmis aliisque miserabilibus personis in alios usus, si tales personae aut perpaucae sint, aut deficiant, *Trid. Sess. 25. c. 6. de Ref.;* 5. In constituendis examinatoribus synodalibus ex licentia S. C. post annum ab ultima Synodo, *Trid. l. c. c. 8;* 6. in iis quae non modo Capituli, sed totius Ecclesiae statum afficiunt; e. g. alienationes rerum, institutiones et suppressiones dignitatum..., *Bened. XIV. de Syn. l. 4. c. 7;* 7. in recipiendo missali S. Pii V. quando aliud legitime erat in usu. *Pius V. Bulla Quo primum.*

III. DE CAPITULO ECCLESIAE CATHEDRALIS SEDE VACANTE.

300. *Declaratur 3^m^.* Sede vacante succedit Capitulum etc.; *vacare* sedem idem est ac carere et viduari praelato defensore. *C. fin. Ne Sede vacante...* Triplici ratione id contingit: 1°. *de facto tantum,* quando ille, cui verum ius in Ecclesiam competit, necdum illius possessionem apprehendit, vel inde iniuste deturbatus est; 2°. *de iure tantum,* quando Episcopus, retenta possessione, perdit Ecclesiae suae titulum forte ad aliam Ecclesiam translatus; 3°. *de iure et facto simul,* quando neque ius neque possessio Ecclesiae apud aliquem est, quae est prorpria et plena vacatio.

Haec porro ultima et plena vacatio dupliciter contingit, *vere* vel *ficte:* 1. *vere* vacare Ecclesia dicitur per obitum Episcopi, per renuntiationem simplicem, per translationem, pe-Episcopatuum permutationem, per privationem, depositionem vel amotionem; 2. *Ficte* vel *quasi vacare* Sedes episcopalis dicitur, quoties Episcopus haberi potest ut mortuus quoad suae Ecclesiae administrationem; v. g. si Episcopus ab ethnicis vel schismaticis capiatur ita, ut spes non adsit neque per litteras

regendi Ecclesiam, *C. Si Episcopus de Suppl. negl. in 6;* vacat etiam si per amentiam, aut aliud impedimentum perpetuum vel diu durabile, inutilis sit ad regendam Ecclesiam, vel regimen alteri committendum « nam iuxta communem modum loquendi illa dicitur Ecclesia viduata, quae licet Episcopum habeat, inutilem tamen perhibetur habere ». *C. 2. § Sed neque De Transl. Episcopi.*

Circa vacationem advertendum est adhuc: Dixi quasi *ficte seu interpretative vacare,* si Episcopus captus sit ab infidelibus..., ita ut spes non adsit: posset enim ita in carcerem detrudi et arcte custodiri, ut nullam possit habere cum sua dioecesi communicationem, nullumque reliquisset Vicarium interim: quo in casu Capitulum posset interim Vicarium Capitularem eligere et utrumque factum significare Apostolicae Sedi. Quod fieri nequit, si ipse per litteras, perque Vicarium generalem regere potest Ecclesiam suam, etsi sit captivus in carcerem intrusus, *S. C. C. apud Bened. XIV. de Syn. l. 13. c. 16. n. 10. 11. et Greg. XVI. lit. 9 Maii 1838 in causa Archiepiscopi Colonien.,* in quibus leniter reprehenditur Capitulum Metropolitanae eo, quod post Archiepiscopi capturam ad Vicarii Capitularis electionem devenerat, et confirmat Vicarium Archiepiscopi, *S. C. Episc. et Reg. decr. 3 Maii 1862,* quo electiones Vicariorum Capitularium factae in Regno Neapolitano, Episcopis e suis sedibus eiectis, nullae et irritae, electores, vero nec non ipsi eiusmodi Vicarii censuras ecclesiasticas incurrisse declarantur.

Administratio dioecesis 1) incipit a sufficienti facti notitia, si per mortem Episcopi vacet sedes, cum si in longinquis Episcopus decedat hucusque valide eiusdem Vicarius administret; 2) si vacet per renunciationem vel translationem, incipit a die, qua sufficienter cognoscitur illam admissam fuisse, vel hanc esse decretam a Romano Pontifice in Consistorio, *Urb. VIII. Const. Nobis nuper;* 3) si vacet per Episcopi depositionem, a die qua sufficienter cognoscitur sententia, si pronunciata sit super poena: nam si pronunciata tantum sit super crimine, administratio non incipit nisi a deponente detur, vel privationis declaratio sequatur, vel ab ipso iure imponatur. *Fagn. in C. Qualiter de Accusat. n. 95. seqq.*

In quaenam iura episcopalia succedat, vel non, **Capitulum.**

Resp. 1. Generatim cum ita Sedes vacat, Capitulum succedit statim ipsi Episcopo, nisi illa habeat Vicarium apostolicum a Romano Pontifice vel a S. C. datum, quo casu hic administrationem exercet. *C. un. de Mai. in 6; C. 3. de Temp. ord. in 6; C. 4. de Suppl. negl. in 6.* Unde extra hunc casum, 2. cum potestas et iurisdictio episcopalis devolvatur statim in Capitulum et deinceps in Vicarium Capitularem, sequitur Regula proposita partim affirmans, quae possit, et partim prohibens, quae non possit. *Succedit* (scilicet Episcopo) *in omnibus, quae pertinent ad potestatem iurisdictionis ordinariae, tam in foro externo quam interno, tam in spiritualibus quam in temporalibus, iis tamen exceptis, quae in iure reperiuntur reservata.* Quae regula communiter sic concepta a Doctoribus admittitur et firma in iure est.

Dicitur, *in omnibus,* quae pertinent *ad potestatem iurisdictionis,* ergo non quae pertinent ad potestatem ordinis, e. g. consecrare Ecclesiam, confirmare fideles, ordinare Clericos.... Attamen cum horum exercitium ex potestate iurisdictionis dependeat, Capitulum et Vicarius Capitularis potest quocumque tempore extraneum adhibere Episcopum ad haec peragenda, excepta ordinum collatione, ad quam non potest litteras dimissorias dare, nisi post annum a die vacationis, vel nisi *de arctatis* agatur. *Trid. Sess. VII. c. 10. de Ref. Iurisd. ordinariae:* adeoque regula non attingit, quae speciali et personali privilegio fuerunt Episcopo concessa, quia privilegium personale personam sequitur, et extinguitur cum persona. Nec comprehendit ea, in quibus Episcopus procedit tamquam *specialis S. Sedis delegatus,* quia in his nulla est inter Episcopum et Capitulum communio, ac proin nulla debet esse successio. E. g. quando in delegatione electa fuit industria personae, aut quando facultas data fuit ad tempus. *Arg. decis. S. C. C.; Richter ad Trid. Sess. 24. c. 10. de R. M. n. 123.*

Tam in foro interno, e. g. approbare confessarios, sicut et suspendere, cum eius sit destituere, cuius est instituere, absolvere a casibus Episcopo reservatis, imo ex variorum sententia sibi quorumdam casuum absolutionem reservare, quia eamdem

habet iurisdictionem Episcopus; sed hac reservatione non poterit afficere Regulares, qui potestatem illimitatam vel potius approbationem, si de exemptis res sit, ab Episcopo acceperunt, *Marchet. de Vicar. Capitulari p. 2. tr. 14. n. 10,* potest etiam vota non reservata commutare et in illis casibus dispensare, in quibus Episcopus potestate ordinaria dispensat, *quam in foro externo,* e. g. in criminosos inquirere, causas cognoscere etiam matrimoniales. *Leur. de Cap. Sede Vac. q. 472.... Tam in spiritualibus,* e. g. ferre sententiam excommunicationis, suspensionis et interdicti...., *quam in temporalibus,* e. g. executioni demandare ultimas piorum Benefactorum voluntates.....

Quoad partem negantem, casus praecipui, qui reservati sunt et ad quos se non extendit potestas Capituli, aut eius Vicarii Capitularis, recensentur sequentes: 1°. Vicarius capitularis nequit beneficia supprimere aut conferre, quae ad solius Episcopi collationem spectant, licet queat praesentatos a patronis in beneficiis iurispatronatis instituere: quia collatio ad gratiam pertinet, institutio ad iustitiam, quae nulli deneganda est. *C. 2. Ne sede vacante....*

2°. Nequit res Ecclesiae aut Episcopatus alienare, nisi de rebus agatur, quae servando servari non possunt: et a fortiori nequit easdem res in suos aut Capituli usus convertere. *Can. 42. 44. ca. 12. q. 2.* Hinc omnia emolumenta et quoscumque reditus ex Episcopatu, iurisdictione, ac sigillo Curiae provenientes, debet futuro Episcopo reservare, cui ex confecto inventario, suo tempore rationem reddat.

3°. Nequit Capitulum aut eius Vicarius facere aliquid per quod status Ecclesiae aut iura diminuantur Episcopi: imo his de rebus nequit litem movere aut prosequi iam motam: nam quaelibet inde ventura dispositio aut sententia foret nulla, quia Episcopus futurus legitimo caret defensore, ut patet ex *toto tit. Ne sede vacante.*

Neque 4°. tandem succedit privilegiis ratione dignitatis, aut ordinis pontificalis Episcopo competentibus, e. g. usus altaris portatilis, celebratio divinorum tempore interdicti, electio confessarii, mitigatio censurarum contra Episcopos ferendarum, conformitas cappellani in recitando divino Officio.

IV. DE VICARIO CAPITULARI.

301. *Declaratur 4^m^.* Licet Capitulum succedat iure proprio (quod scilicet ex dispositione sacrorum canonum vi officii competit) in iurisdictione Episcopi, non tantum contentiosa et necessaria, sed etiam voluntaria, modo sit Episcopi propria et ordinaria; et licet ante Tridentinum exercita haec a Capitulo fuerit modo collegialiter, modo per delegatos ad nutum revocabiles; tamen nunc ex *Trid. Sess. 24. C. 16. de Ref.* debet Capitulum intra octiduum eligere officialem seu Vicarium, qui dictam potestatem totam exerceat, donec novus Episcopus electus et confirmatus Capitulo litteras apostolicas promotionis suae ostenderit. Et merito; nam iurisdictio in Capitulum devoluta diu a toto corpore exerceri non potest, cum experientia constet, communem administrationem parere confusionem, ideo tenetur Capitulum, *Trid. cit.,* unum vel plures oeconomos, qui proventuum et rerum ecclesiasticarum curam gerant et insimul infra octo dies unum Vicarium Capitularem idoneum eligere.

Idoneus scilicet eligendus in Vicarium Capitularem debet esse prima tonsura initiatus, aetatis 25 annorum, qui saltem in iure canonico sit Doctor vel licentiatus, vel alius quantum fieri potest idoneus. Dixi *saltem,* quia si haberi posset Doctor tum in sacra Theologia tum in Iure canonico, melius esset Ecclesiae provisum. Non videretur autem Ecclesiae bene consultum, si esset tantum Doctor in sacra Theologia, quia, ut ait Formosin., *de Cap. sede vac. q. 9. n. 18,* « Viri Theologi etsi literatissimi sint, non satis iurisprudentiae praxim et theoriam callent; et quia proinde multoties ex capite pro arbitrio sententias proferunt, ac solent a veritate et iustitiae tramite deviare ».

Quod Doctor in iure canonico, si sit in capitulo, vel etiam extra ad hoc munus paratus, eligendus sit, demonstrat Richter, *adductis totidem S. C. C. decisionibus:* alias non doctoris electio sustineri nequiret ad *Trid. Sess. 24. C. 16. de Ref. n. 4.* Semper autem qui eligitur sit idoneus, prudentia et morum honestate praefulgeat, secus doctoratus titulus ei non suffraga-

tur, et praevalet non Doctor. Speciatim eligi nequit is, qui a saeculari potestate ad ipsum episcopatum nominatus fuerit. *Brevi Pii VII. 4 Dec. 1810 ad Archidiaconum Florentinum.*

Intra octo dies ab ipso Capitulo est eligendus; quod si Capitulum fuerit negligens, constituitur Vicarius a Metropolita: si id contingat in Ecclesia metropolitana vel exempta, Vicarius Capitularis illius constituitur a suffraganeo antiquiori in metropolitana: a viciniori Episcopo in Ecclesia exempta constituitur Vicarius. Si forte vacent metropolitana et suffraganea, Capitulum metropolitanum supplet negligentiam Capituli Ecclesiae suffraganeae, et nominat in ea Vicarium; si utrumque Capitulum sit negligens, supplet eorum negligentiam Episcopus antiquior; si omnes negligentes extiterint, electio Vicarii devolvitur ad Romanum Pontificem.

Dixi *unum Vicarium Capitularem eligendum.* Tridentinum agens de officiali assumendo ad negotia temporalia, dicit assumendam unam vel plures personas: at agens mox de Vicario iurisdictionis spiritualis unum nominat, non plures. Et merito; quia si duobus aut pluribus committatur regimen, difficile habetur unitas regiminis: hinc est quod *S. C. C. in Panormitana 20 Iun. 1589.* respondit, consuetudinem immemorialem constituendi plures Vicarios servari posse ita, ut vel in solidum agant vel alternis mensibus: secus si collegialiter ageretur, incommoda, quae Tridentinum removere intendit, haud sane evitarentur. Forma electionis non videtur esse scrutinium saltem ex necessitate, sed prout notatur in causa *Gravinensi 30 Iunii 1852. S. C. Episcoporum et Reg. relata a Card. Bizzarri in sua Collect. p. 659.*

Ex his discussis causis et responsis S. Cong. Conc., Episcop. et Regul., praesertim in *Gravinen. et Montis Pelusi 30 Iunii 1852,* haec sunt tenenda quoad Vicarii Capitularis deputationem: 1°. quod haec fieri debeat capitulariter. Unde sequitur, cogendum esse Capitulum ad dictam Vicarii capitularis deputationem; atque adeo vocandos esse absentes, si commode id fieri possit, exclusis suffragiis per Procuratorem. *S. C. C. in Hydruntina 2 Apr. 1699.*

2°. In electione Vicarii Capitularis non est servanda necessario forma *Cap. Quia propter 42. de Elect.,* quia non agitur

de electione Praelati vel Pastoris, qui Ecclesiae viduatae finem imponat. Ad rem Leurenius, *For. benef. de const. et qual. Vicarii Cap.*, scilicet *t. IV. q. 550:* « Non enim haec constitutio Vicarii est proprie electio, quia electio proprie talis eget confirmatione, quod non cadit in istam Vicarii deputationem; sed simplex deputatio.... unde Concilium non utitur verbo *eligant* sed verbis *constituant* et *deputent,* et ad summum est talis electio qualis haberi solet a Capitulo ad dignitates, canonicatus, officia ».

3°. Ergo in electione Vicarii Capitularis servandae sunt conditiones tantum, quae iure ordinario in expeditione negotiorum Capituli requiruntur, scilicet 1. ut Capitulum sit legitime congregatum; 2. ut vocentur omnes, qui vocem in Capitulo habent, vel de praesenti habere possunt; 3. ut negotia capitulariter expediantur; 4. ut maior pars consensum suum interponat.

Dixi supra *necessario* non esse servandam formam Capituli *Quia propter..,* quia consultius est ad plura incommoda vitanda ut servetur forma scrutinii per secreta suffragia. *S. C. C. in Milevitana 23 Novemb. 1698.* Nec potest quis suffragium sibi dare, uti ad validitatem vetuit *S. C. C. 8 Apr. 1885.*

In quem Vicarium scilicet capitularem tota devolvatur iurisdictio, praesertim ex *Constit. Pii IX. Rom. Pontifex v. Kalendas sept. 1873.* « Motu proprio declaramus et decernimus, totam ordinariam Episcopi iurisdictionem, quae vacua Sede episcopali in Capitulum venerat, ad Vicarium ab eo rite constitutum omnino transire, nec ullam huius iurisdictionis partem posse Capitulum sibi reservare, neque posse ad certum et definitum tempus Vicarium sibi constituere multoque minus removere, sed eum in officio permanere, quousque novus Episcopus litteras apostolicas exhibuerit ».

Porro quae et quanta sit eius potestas vidimus supra in p. 3. ubi de iurisdictione, quae sede vacante devolvatur in Capitulum, scilicet: I. In genere non se extendit *a*) ad ea, quae sunt Ordinis; nec *b*) ad ea, in quibus Episcopus sese habebat tamquam delegatum Apostolicae Sedis. II. In specie non se extendit *a*) ad litteras dimissorias intra primum annum vacationis non arctatis; *b*) ad collationem beneficiorum, quae ad

solum spectabat Episcopum; *c*) ad quamlibet innovationem, qua prior Dioeceseos vel Cathedralis status immutaretur aut futuro praelato inferretur praeiudicium iuxta *tit. 9. Rubricam, Ne sede vacante aliquid innovetur.* III. *Se extendit* ad cetera, quae sunt ordinariae Episcopi iurisdictionis, hinc se quoque extendit ad *Caput Liceat;* atque adeo potest, praeter memorata de Capit. in parte antecedente, visitare dioecesim, Synodum dioecesanam cogere post annum ab ultima celebrata Synodo, *Bened. XIV. de Syn. l. 2. c. 9. n. 3;* condere edicta universam dioecesim obligantia, quaeque vim habeant in tempus quoque successionis Episcopi, nisi revocentur. *Engel. in tit. Ne Sede vac. n. 10.*

Potest in spiritualibus e. g. conficere super fama virtutum et miraculorum Servorum Dei processus, *Bened. XIV. l. c. n. 3;* modum horarum divinique cultus convenienter Ecclesiae legibus determinare. Potest in temporalibus executioni dare ultimas voluntates, ab earumdem administratoribus rationes exigere, statuere oeconomos in paroeciis vacantibus, cum congrua fructuum assignatione, pro iisdem concursum indicere, et magis idoneum Romano Pontifici proponere, sive commendare..... Haec et similia peragere potest Vicarius Capitularis, quia non est solum Procurator Episcopi, sed successor, et quatenus succedit non est Episcopo inferior, sed aequalis. Hinc tandem patet, Vicarium Capitularem teneri vel ad consilium audiendum vel ad consensum Capituli habendum in iis, in quibus Episcopus.

Nec silentio praetereundum salarium ipsi, quamvis de capitulo sit, competens omnino deberi de redditibus Ecclesiae vacantis. Insuper ipsi competit ius substituendi ad breve tempus aliquem ex iusta causa.

Tandem Vicarii Capitularis officium expirat 1. ex iure Decretal., scilicet *Extravagan. Iniunctae de Elect. Inter communes,* et ex *Bulla Pii IX. Apost. Sedis;* tunc scilicet cum *praesentantur Capitulo* novi Episcopi Apostolicae litterae provisionis, cum onere suae administrationis reddendi rationem novo Episcopo. 2. Renunciatione a *S. C. Episcoporum et Reg.* acceptata. 3. Remotione ex causa iusta et a *S. C. Episcoporum et Reg.* approbata. Rite scilicet constitutus Vicarius Capitularis de officio

dimoveri nequit, nisi ex iusta causa probata a dicta S. C., totamque retinet semper iurisdictionem: quia Vicarius nequaquam mandatarii munere fungitur, cum decretales clare enuntient, nomine Ordinarii aeque venire Capitulum sede vacante ac Episcopum sede plena. *Extrav. c. un. Ioan. XXII. de Præb.*

TITULUS XXI.

DE PRAELATIS INFERIORIBUS.

Summarium. — Triplex 1) **est Praelatorum inferiorum species** 2) **ab uno apostolico privilegio oriens,** 3) **quorum iura et officia singulis speciebus propria exhibentur.**

302. *Declaratur 1^m.* Praelatus in genere dicitur *persona ecclesiastica aliqua iurisdictione pollens in foro externo.* Hinc Praelatus est Romanus Pontifex, Cardinales, Episcopi, Vicarii apostolici.... At praeter hos, alii sunt dicti *Praelati inferiores* vel *Abbates.* Scilicet quamvis Ecclesia Dei ordinaria administratione ab Episcopis immediate gubernetur, tamen ad maiorem fidelium utilitatem, vel ex alia legitima causa, aliae quaedam existunt personae iurisdictione quasi episcopali pollentes, aut generatim ab Episcopi iurisdictione exemptae quae cum sua communitate, Clero, vel populo, immediate Romano Pontifici subiiciuntur; atque Ecclesiae particulares, quibus ii praeficiuntur, loco Episcopi habeant eiusmodi Praelatum, qui licet episcopali ordine insignitus non sit, tamen quasi Episcopus eas administrat. Eiusmodi Praelatus inferior sic definiri solet: « *Abbas* (pater) *seu Praelatus inferior dicitur ille, qui non est Episcopus, sed est in aliqua dignitate inferiori constitutus, atque obtinuit a Sede Apostolica quaedam iura episcopalia maiora vel minora* ». Unde cum proprio nomine administret Ecclesiam et iurisdictionem exerceat in foro externo, hinc Praelatus dicendus est: cumque non totam, quam Episcopus residentialis, exserat potestatem in universam dioecesim, sed minus et quasi iura episcopalia dicatur habere; hinc audit *Praelatus inferior.*

Porro, iuxta *Bened. XIV.* **triplex** distinguitur **species** Praelatorum inferiorum, qui quasi episcopalem iurisdictionem ha-

bent et plus minusve perfecte participant. Nam, *l. 2. c. 10. de Synod.*, ait: « Prima est eorum, qui certo praesunt generi personarum existentium intra septa alicuius Ecclesiae, monasterii, seu conventus cum passiva exemptione a iurisdictione Episcopi, in cuius dioecesi existunt. Eiusmodi sunt superiores Regulares et nonnulli Praelati saeculares, qui una cum Ecclesia, eiusque Ecclesiae Clericis et administris, quibus praeficiuntur, subsunt immediate Summo Pontifici. Secunda species est Praelatorum habentium iurisdictionem activam in Clerum et populum certi loci, qui tamen locus est intra Episcopi dioecesim, qua undique circumscribitur, et huiusmodi Praelati *improprie* tantum dicuntur esse *nullius*. Tertia species est Praelatorum, qui iurisdictionem activam habent in clerum et populum alicuius loci, seu oppidi aut plurium locorum aut oppidorum, quae omnino avulsa et separata sunt a cuiuslibet Episcopi dioecesi: quapropter dicuntur constituere quasi quamdam dioecesim, ubi Praelatus, iis exceptis, quae ordinis episcopalis sunt, omnia exercet, quae ceteroquin ad episcopalem iurisdictionem pertinerent. Huius generis Praelati inter inferiores nobilissimi sunt, dicuntur vere et proprie *nullius* et veris adnumerantur Ordinariis locorum ».

Quae porro divisio ignota non est in iure canonico. Nam infima passim in *Sess. 25. de Reg.; de Statu monach. et de relig. dom.*, ac alibi, ubi loca simpliciter exempta ab Episcopo enunciantur. Media, *c. 10. Sess. 23. de R. et c. 11. Sess. 25. de Regular., C. Olim. de Praescrip., C. Ex ore de Privileg., C. Auditis de in integrum rest.* Suprema, *Trid. Sess. 24. c. 9; C. Auditis de Praescript.*

Ex dictis apparet discrimen inter 1^m. et 2^m. classem. Praelati infimae classis dicuntur habere exemptionem passivam cum corpore monasterii vel Ecclesiae; passivam non ideo, quia iurisdictionem activam in personas sibi subiectas eiusmodi Praelati exercere nequeant (quam omnino habent, atque adeo Episcopus per se nullam in exemptos valet iurisdictionem exercere); sed quia nullum habent populum, in quem exercere valeant suam iurisdictionem: sicut habent alii Praelati inferiores. Praelati mediae classis differunt a primis, quia habent clerum et populum exemptum, in quem iurisdictionem exer-

cent: differunt a suprema classe, quia eorum territorium non est separatum, nec avulsum a dioecesi, ideoque dici proprie nequeunt Praelati nullius.

Iamvero omnes cuiuscumque classis tenentur generatim servare ea, quae Pius VII., *Bulla Decet Romanus an. 1823,* constituit, confirmans S. R. C. decretum. Insuper infima et media classis potius parochis; supremae classis Praelati Episcopis assimilantur.

303. *Probatur 2^m.* Porro **origo iuridica** horum omnium Praelatorum est ab **Ecclesiae institutione.** Et re quidem vera, ut attingamus nunc eam dumtaxat, ex qua orta sit suprema classis: dico huius origo repetenda est ex privilegio apostolico, tamquam ex causa propria et adaequata. Eximere enim portionem aliquam gregis Christi a iurisdictione episcopali, atque uni determinatae personae tamquam pastori, aut sibi immediate subiicere, is tantum potest, qui valet Episcopos creare, dioecesim assignare, extendere aut restringere, atque simul, qui iis omnibus superior sit: atqui hic unus est Romanus Pontifex. Ergo. Aliae proinde quae afferuntur uti causae huius exemptionis privilegii non sunt proprie tales, nisi ut coadiuvantes dicantur ad *hoc,* ut privilegium facilius sedes apostolica expresse concederet, aut iam existens agnosceret.

304. *Declaratur et prob. 3^m.* Exponuntur scilicet **iura** et **officia** horum Praelatorum sive communia, sive propria speciei. Ut a suprema specie incipiamus,

I. **Iura,** quae hisce Praelatis nullius competunt generatim hoc principio includuntur: « eos scilicet habere potestatem quasi episcopalem, ac proinde pro regula generali statui potest: *Praelatos vere nullius, utpote veros Ordinarios et dioecesanos, omnes actus exercere posse, qui ad iurisdictionem episcopalem pertinent, iis exceptis qui a iure expresse denegantur; eos vero qui ad ordinem pertinent, attingere non posse, salvo quoad minores ordines vel confirmationem privilegio apostolico* ». Multo vero magis ex eodem privilegio facultas iis concedi potest exercendi functiones illas, quae solum analogice ad potestatem ordinis episcopalis referuntur, et ecclesiasticae sunt institutionis.

Unde brevi hos Praelatos ea habere, quae expresse ipsis non sunt denegata, licet Praelatis secundae speciei seu mediae denegata reperiantur. Huiusmodi autem sunt **ob defectum manifestae in iure exceptionis,** eos posse 1°. matrimoniales et criminales causas cognoscere, *Petra in Const. IV. Callixti III. Sect. 2. n. 37. et 49,* ibique Sacra Congregatio Concilii; 2°. Dispensare a denuntiationibus matrimonialibus, *Petra l. c. n. 34,* ibique Sacra Congr. Conc. per summum Pontificem approbata; 3°. Concedere facultatem audiendi confessiones et concionandi, *Petra l. c. 56. 60. et seqq.;* 4°. aliquos casus sibi reservare, *Petra l. c. n. 91;* 5°. publicare Iubilaea et indulgentias, *Petra l. c. n. 96;* 6°. Vocare quemlibet Episcopum ad Sacramentum confirmationis conferendum, itemque a quolibet Episcopo olea sancta recipere. *Cf. Petra l. c. n. 90. et Const. Innoc. IV. n. 29. seq.; Innocentii IV. n. 52; Const. V. Innocen. IV. sect. unic.* Plenam iurisdictionem exercere circa monialium clausuram. Idem *Const. IV. Callixti III. sect. 2. n. 143.*

E contra **ob claram in iure exceptionem** *a*) non posse synodum convocare, adeoque examinatores synodales eligere, atque concursum ad beneficia parochialia habere. Attamen ex Responsis *S. C. C. 26 Sept. 1615, 17 Aug. 1626, 6 Sept. 1687,* habetur tamquam privilegium personale posse convocare synodum..... *Bened. XIV. l. 2. c. 10. n. 6. 7; b*) non posse concedere indulgentias, cum hoc respiciat dispensationem thesauri Ecclesiae universae, atque ideo optime distributio reservata est Romano Pontifici, et eius permissione Episcopis, pastoribus et Ecclesiae praesulibus; *c*) absolvere a casibus et irregularitatibus occultis tributum Episcopis tantum ratione dignitatis Episcopalis: ut plures interpretantur, e. g. *Fagnanus in C. Cum illorum de Sent. excomm. n. 32. seqq.; Devoti, Ius. can. l. 1. tit. 31. § 14; Giraldi, Expos. Iur. pont. P. 2. Sect. 132. § Nota III.* ibique *S. C. C.* Alii tamen contradicunt, *Sanchez in praec. Decal. l. 2. c. 11. n. 5;* certum est ex iure, quod *d*) non potest promovere ad ordines, quia caret potestate ordinis episcopalis; *e*) non potest dare litteras dimissorias, quia ita declaravit S. C. C. usque ab anno 1602, *t. 5. decr. fol. 66; cf. Petra l. c. n. 66. 68; f*) vetitum est exercere iurisdictionem in Regulares, quam Episcopi habent tamquam delegati Apostolicae Sedis, *Greg. XV. Const. Inscru-*

tabilis 5 Febr. 1622, seu in resp. ad 4 ex dubiis super eadem Constit. propositis; Girald. l. c. P. 2. Sect. 165. § Pro huius; g) ob peculiare privilegium Abbates Regulares sacerdotio aucti, qui *solemnem benedictionem* receperunt, possunt suis subditis tonsuram et minores ordines conferre, *Trid. Sess. 23. C. 10. de Ref.; Devoti Inst. can. l. 1. t. 3. § 53; h*) non possunt concedere licentiam extrahendi reos a loco immuni, quae proinde a viciniori Episcopo petenda est, *cf. Petra l. c. n. 44; i*) nec possunt concedere litteras monitoriales pro rebus amissis restituendis vel revelandis, quae tamen non a viciniori Episcopo, sed a Dataria petendae sunt. *Idem l. c. n. 66.*

II. Inquiruntur horum **officia**, quae praecipue sunt: 1. Residentia eo prorsus modo ac Episcopo imponitur. 2. Praedicatio Verbi Dei, quoad possunt, per se facienda. 3. Applicatio Missae pro populo diebus, quibus Episcopi tenentur. 4. Visitatio sacrorum Liminum *ex cit. Const. Bened. XIV.* 5. Visitatio suae quasi dioeceseos circa saeculares Ecclesias, non tamen iure privativo, sed cumulativo cum Episcopo viciniori, cuius decreta semper praeferenda. *Cf. Petra l. c. n. 341. et Trid. Sess. 24. de Ref. c. 9.* Unde cavere debent Praelati nullius, ne quid statuant contrarium iis decretis.

III. De reliquis Praelatorum inferiorum speciebus haec quoad legitimam eorum originem, iurisdictionem atque onera animadvertisse satis est.

I. Origo tum ex apostolico privilegio, tum etiam ex praescriptione quadragenaria, una cum titulo colorato deduci potest. *Petra in constit. IV. Coll. III. Sect. 2. n. 26. seq.*

II. Iurisdictio (Regula eos non haberi ut Ordinarios) non modo limitatur quoad eos actus, qui Praelatis etiam nullius interdicuntur, verum etiam quoad illos, qui a Concilio Trid. solis Ordinariis reservati sunt, adeoque Praelatis etiam nullius ea ratione permittuntur, quod veri censentur Ordinarii, quo quidem nomine ii, de quibus nunc agimus, appellari nequeunt. Huiusmodi vero actus recensiti sunt supra. *Cf. Petra Constit. cit. sect. 2. per totam.*

III. Onera eadem incumbunt, quae Praelatis nullius; exceptis *a*) visitatione sacrorum Liminum, quae ultra Praelatos nullius minime extenditur, *Bened. XIV. Constitut. Quod Sancta*

23 Nov. 1740; b) Visitatione locorum, aut beneficiorum, quia Concilium Tridentinum ab Episcopo visitari voluit, *de Ref. 4. Sess. 6; 8. Sess. 7; 8. Sess. 21; 9. Sess. 24,* de quibus etiam ubi de exemptis.

Not. Quid de missa pro populo? Bened. XIV. in Const. *Cum semper oblatas,* omnes illos teneri, ait, qui curam animarum *actu* exercent; quapropter si qui sint primae speciei Praelati saeculares, qui non actu exercent curam animarum, ii non tenentur.

Antequam hunc titulum dimittamus, notamus distinctionem iurisdictionis seu exemptionis inferiorum Praelatorum in nativam, dativam et praescriptivam, prout illa gaudent vel titulo originis, vel privilegii, vel praescriptionis. Etsi olim posset Episcopus, accedente consensu Capituli, privilegium passivae exemptionis alicui Praelato et eius monasterio aut Ecclesiae concedere, ita ut in perpetuum hic ab Episcopi iurisdictione eximeretur; hodie tamen solus Papa exemptionem ab Ordinario tribuere potest Praelatis inferioribus, sive regularibus, sive saecularibus. *Cap. Cum personae, Cap. Si Papa de Privilegiis in 6. Extravag. Ambitiosae de Reb. Eccl. non alien.* Conferatur Bouix *de Episcopo t. 1. p. 535. et seqq.*

TITULUS XXII.

DE PAROCHIS.

Assertum. — Tradita 1) parochi notione, 2) huius officium a iure ecclesiastico repetendum, 3) atque eius iurisdictionem in foro dumtaxat interno, ordinariam esse dicimus.

305. *Declaratur 1m.* Ultimus est hic gradus quoad personas singillatim sumptas, ecclesiastica iurisdictione pollentes, modo permanenti et ordinario, qui de parochis inscribitur. Cognitio tum officiorum tum iurium, quae pertinent ad parochos, valde necessaria est Clericis, tum quia 1) ex his Parochi futuri sunt assumendi, 2) tum quia relationem cum iis habere debent Clerici, 3) et ut intra limites statutos a sacris canonibus sua cuique iura serventur. Breviter de parochis dicturi trademus 1. notionem, originem iuridicam, atque naturam officii et po-

testatis parochi; 2. iura, onera et emolumenta; 3. de eorum vicariis; 4. de promotione ad officium Parochorum, deque cessatione ab ipso.

Ad *notionem* quod spectat, Parochus definitur: *Presbyter legitime deputatus ad ministrandum ex obligatione et proprio nomine Verbum Dei, et sacramenta certo dioecesanorum numero, qui ab eodem vicissim sacra recipere aliquatenus teneantur.* **Παροικία** graecum vocabulum dicit latine vicinium, ideoque paroeciam, quae plurium domorum viciniam denotat. Haec significabat olim omnem Episcopo subiectum districtum, quem modo dioecesim nuncupamus. Hodie autem *paroecia designat coetum fidelium, cui praeest presbyter ad curam animarum intra certos limites ex officio exercendam auctoritate Ecclesiae deputatus.* Hinc non solum parochus, sed et *sacerdos* proprius vocatur, relate ad omnes sibi commissos fideles; *plebanus* a plebe, cui adsistit; *rector* Ecclesiae parochialis ab officio regendi; *curatus* a cura animarum, quam exercet. Cura vero iuxta plures idem quod Curia, ex antiqua Romanorum nomenclatione; quorum urbs in plures curias distincta fuerit, quae nostro tempore vocarentur paroeciae.

Quaeris *an parochus possit vocari pastor ovium?* et Resp. *Distinguo:* simpliciter proprie et primi ordinis, *Nego;* quadamtenus, improprie, et secundi ordinis, *Concedo:* nam simpliciter et proprie in Ecclesia pastor est, qui habet potestatem pascendi seu regendi Christifideles cum tota iurisdictione et imperio: atqui ex definitione modo data et communiter admissa, iurisdictionem externi fori aut coactivam parochus nullam habet. In foro autem interno et quoad administrationem ceterorum sacramentorum, nec non verbi Dei pastor est legitime *deputatus,* h. e. iuxta canones, vel ab Episcopo, vel a Papa, si cura huic est reservata, a quibus est vera missio.

Dixi *Presbyter,* qui unicus ordinaria potestate praeditus esse debet regulariter in qualibet paroecia: 1) *unicus,* ne plures generent confusionem; 2) *ordinaria potestate* praeditus atque inamovibilis, quia precarius minister non satis cognoscere, fovere ac tueri oves suas valet; 3) *regulariter* presbyter sit, saltem intra annum ordinetur sacerdos, et pascat populum: hinc additur ad *ministrandum,* quod obiectum sui officii indi-

cat principale. Tandem is, a *quo* Christifideles sacra recipere aliquatenus teneantur, praesertim sacramenta Baptismi, Eucharistiae in Paschate aut instar viatici sumendae, Matrimonii, ob ritus, ob parentalia etc. etc.

306. *Declaratur 2^m^.* **Institutio Paroeciarum seu officii parochi in Ecclesia.** Gersonis ac Sorbonae commentum fuit, quod postea Ianseniani dilataverunt, non solum Episcopos, sed et Parochos in Ecclesia esse ex institutione divina, asserentes ita parochos esse pastores immediatos, ut Episcopus sit mediatus tantum, inspector sine iurisdictione ordinaria; sed tantum iurisdictione ordinaria et immediata, cum parochi defectum supplet: hinc parochos esse veros iudices controversiarum fidei, posse excommunicare, esse veros pastores..... Verum ex institutione divina est, ut possint sacerdotes assumi ad officium parochi, non ut sint parochi, aut sit in Ecclesia parochiale officium ex eius divina expressa et immediata voluntate. Unus enim Episcopus in Ecclesia qualibet particulari seu dioecesi est pastor, est praeses ex iure divino: et alii si qui sunt, nonnisi administrorum eius censu habendi, qui spectata hac solum relatione, ab eo prout iudicat, constituuntur et amoventur.

Si urbs Roma, iuxta aliquos et Alexandria, excipiatur, in quibus praeter Episcopum inveniuntur tituli Cardinalium, certum est, paroecias institui prius in pagis coepisse, quam in urbibus duas ob causas: 1) quia excrescebat praesertim post tria priora Ecclesiae saecula multitudo fidelium in villis et pagis, unde non facilis ad urbem episcopalem pro omnibus accessus; 2) quia facile permissa sunt privata Oratoria construi in nobilium ruralibus domibus, quas ruricolae absque incommodo petere potuissent. Inter hos ad illa privata oratoria ex urbe episcopali quibuslibet diebus festis mittebantur presbyteri, qui, peracto sacro atque sacramentis necessariis collatis, urbem Episcopalem repetebant. Coeptum est saeculo circiter IV; sed nonnisi saeculo VI. eiusmodi ruralibus in pagis Ecclesiis nomen paroeciae factum est commune. Hinc arguitur: illud nequit dici ex institutione divina, quod longo tempore in Ecclesia non fuit: tunc etiam, cum nihil obstabat, quominus divina institutio in actum deduceretur: atqui primis tribus Ecclesiae saeculis

iam aucto fidelium numero ita, ut hic posset certe non solum in episcopatus tribui, sed et in paroecias praesertim rurales; nullus tamen fuit parochus, sed omnem curam ovium Episcopus gerebat vel per se vel per presbyteros, quos, data occasione, mittebat absque ulla habituali permanendi iurisdictione ad determinatas oves.

Et re quidem vera, ut ex dictis patet, historia teste, iurisdictio tantum erat penes Episcopum, quam ipse cum suo Presbyterio exercebat, fideliumque collectae apud unum Episcopum die dominico fiebant, ad quem et qui in agris erant, convenire debebant. Quarto autem saeculo in pagis et villis extra civitatem coeperunt institui Presbyteri et Collegia presbyterorum, et super Presbyteros Chorepiscopi, qui per se simplices sacerdotes secundi ordinis erant, quibus cura ovium ordinaria sub Episcopo civitatis demandaretur: sed intra civitatum fines nonnisi post annum millesimum Parochiae sunt constitutae.

307. *Declaratur 3^m.* **Indoles potestatis parochialis** est, ut sit ordinaria in foro interno, patet ex dictis. Ex modo dictis, Parochos inter et ceteros Presbyteros curae animarum intentos discrimen est, quoad iurisdictionem, quam in foro tantum interno exercet. Parochus habet eam ex institutione Ecclesiae adnexam suo officio, et cum ipso titulo confertur: simplex autem sacerdos habet delegatam ab Episcopo vel Papa: unde si praescindatur a duratione et ab institutione speciali Ecclesiae, nulla est potestas parochi, quam ex delegatione et ad tempus non possit habere quilibet idoneus sacerdos simplex. Unde character proprius potestatis parochialis est, ut sit restricta ad forum internum dependens ab Episcopo quoad extensionem; qua in re distinguitur parochus ab Episcopis et a Praelatis inferioribus: distinguitur vero a ceteris sacerdotibus simplicibus, eo quod parochi potestas sit ordinaria. Hinc parochialis muneris obiectum, praeter sacramentorum administrationem, non est publicum regimen, sed domesticum, quo paroecia non instar provinciae, sed instar familiae regatur, atque adeo parochus omni destituitur potestate legifera, iudiciaria, coactiva.

Quod autem a Parocho in foro externo peragitur, id non ad iurisdictionem, sed ad simplicem administrationem, vel no-

tionem refertur; e. g. Ecclesiam custodire, eius negotia gerere, bona defendere, functionum modum et tempus praescribere et indignos laicos, vel clericos a participatione vel celebratione divinorum repellere, aliaque his similia officio ordinario adnexa. Corrigere et regere debet tamquam bonus Paterfamilias: adeoque a vero prorsus aberrant, qui tribuunt parocho facultatem ferendi censuras, aut sibi reservandi quosdam casus.

Ex eo quod haec parochialis potestas confertur cum titulo complectens omnes functiones parochiales, sequitur, quod Episcopus dictam potestatem sine iusta causa non possit ab eo auferre, aut ita imminuere, ut fere inanis evadat.

Summarium. — Hinc intelliguntur 1) Iura parochi *a)* circa religionis doctrinam; *b)* circa sacramenta et ceteras parochiales functiones obeundas; *c)* circa Ecclesiae bona administranda; 2) intelliguntur emolumenta, et 3) tandem officia seu onera parochialia.

308. *Declaratur 1^m^.* Et 1°. quidem **Iura parochi quoad religionem explicandam.** Nam ex *Trid. Sess. 21. C. 1. de Ref. et Bened. XIV. Instit. eccl. t. X. n. 4,* Parochus ex ipso suo munere evadit naturalis magister parochianorum in iis, quae ad religionem, atque ad bonos mores pertinent, utique sub dependentia Episcopi et Romani Pontificis: atque adeo Tridentina Synodus parochum obligavit, ut quolibet festo, praesertim dominico, et concionem super evangelium ad plebem christianam haberet, et rudes praesertim pueros sacram catechesim edoceret. Ideo ius et officium habet invigilandi in puerorum scholis, non solum ut nihil quod contrarium fidei sit accipiant, sed positive ut a teneris unguiculis religionem ac bonos mores in ipsis scholis ediscant.

2°. **Iura circa sacramenta** etc. Distinctio facienda est inter iura parochialia, functiones parochiales et mere sacerdotales. Iura sunt circa administranda sacramenta nominatim *Baptismum,* qui regulariter nonnisi a Parocho vel eius delegato iis, qui sunt parochiani, conferri debet; *Eucharistiam* in Paschate ita ut, si alibi, etsi sit Ecclesia Cathedralis, sumatur, non fiat satis praecepto, *Bened. XIV. Instit. 18. et encycl. Ma-*

gno § 21; Viaticum et extremam unctionem, Clem. I. de Privileg. Primam communionem administrare quibusdam in regionibus est ex consuetudine et iure peculiarium synodorum. Nominatim relate ad sacramentum Matrimonii ius parocho inest ob statutum a Tridentino impedimentum dirimens, quod dicitur clandestinitatis, ius assistendi cum duobus testibus in parochianorum matrimonio. Nec solum ius inest assistendi sponsis, sed ius etiam denuntiationes faciendi. Adde ius dispensandi quoad opera servilia: si ad superiorem periculum in mora recurrere impediat.

Functiones autem parochiales ita describuntur a Benedicto XIV. *Inst. 105. n. 103:* « Iura vero, quae honorifica sunt et praeeminentialia et quae vere et proprie versantur circa functiones ecclesiasticas, improprie dictas functiones parochiales, distinguuntur a iuribus parochialibus, et ea sunt, quae in earum exercitio praeseferunt quamdam honorificentiam et praeeminentiam ». « Functionum duo sunt genera, (ait d'Annib., *Summula v. I. § 98. n. 63*) sacerdotales et parochiales: *Sacerdotales,* quae ex mera ordinis potestate consistunt; *parochiales,* quibus aliquid iurisdictionis inest ». Quot et quales sint functiones parochiales non semper conveniunt Doctores: sed standum est decreto S. R. C., quod confectum est pro eiusmodi litibus tollendis. Hinc benedicere potest domos parochianorum in sabbato sancto, et alia huiusmodi.

Notandum porro est 1°. quandoque horum iurium quorumdam exercitium ob alienum privilegium, vel ob consuetudinem legitime praescriptam, parocho impediri; saltem ob approbatas rationes quaedam iura ad alios cumulative spectant. 2°. Talia iura in suos parochianos tantum exercere parochus potest: porro secluso privilegio illi omnes sunt parochiani, qui in Paroeciae territorio habent verum aut quasi domicilium; quod extenditur ad pauperum hospitia, ad infirmorum hospitalia, ad iuvenum collegia et ad virginum conservatoria, ut tradunt communiter Doctores. Hac de causa cuique parochiale territorium est constitutum, *C. I. ca. 4. q. I,* atque in eo sita Ecclesia parochialis. 3°. Ius administrandi parochiae bona temporalia ad iuris tramites sub Episcopi directione. Quocirca conficere debet inventarium omnium bonorum Ecclesiae pa-

rochialis, cuius exemplar primum in Curia episcopali et alterum in archivio Ecclesiae parochialis retinendum est: item debet eadem bona defendere in iudicio et extra et quantum potest meliorare, uti bonum administratorem decet.

309. *Declaratur 2^m^.* **Sequuntur inde etiam emolumenta,** cum qui de altari est de altari manducet necesse est. Hinc ius congruae sustentationis percipiendae; propterea beneficium datur, atque adeo sustentatio congrua habetur α) ex ipsa parochiali praebenda, β) sive ex aliis fidelium oblationibus, γ) sive ex iis, quae *iura stolae* appellantur. Inde etiam ius percipiendi oblationes, quae in administratione baptismi, matrimonii, celebratione missae, in defunctorum exequiis et huiusmodi inducta sunt per consuetudinem etc., *C. 42. de Simon.,* sive per se, sive per alium, parochus functiones dictas peragat.

310. *Declaratur 3^m^.* **Intelliguntur etiam onera seu officia,** quae ad haec tria capita revocantur: I. ad pascendos christifideles; II. ad fovendum christianae religionis exercitium; III. ad ea, quae ad haec officia rite obeunda ipsi statuta sunt.

Quoad I., **debet scilicet populum pascere,** 1°. *verbo doctrinae,* exhortando, docendo, corrigendo, catechesi instruendo, *Trid. Sess. 5. c. 2. de Ref. et Sess. 23. c. 1;* 2°. *pabulo sacramentorum a*) generatim quoties ex necessitate sive medii sive praecepti recipienda sunt a christifidelibus omnibus, etsi peste laborantibus et quacumque domi detentis infirmitate, quibus etiam adsistat in periculo vitae, aut quoties sacramenta rationabiliter petuntur; *b*) speciatim administratio baptismi, extremae unctionis, matrimonii ad ipsum spectat privative, cumulative cetera; 3°. *exemplo virtutum, Trid. Sess. 23. c. 1;* hinc exigitur professio fidei, *Trid. Sess. 24. c. 12. de Ref.;* et S. Paulus in persona *Tit. II. 7.* quemlibet clericum exhortatur « fieri formam gregis in doctrina, in integritate, in gravitate ».

Ad II. caput, scilicet **ad fovendum christianae religionis exercitium,** refertur 1°. obligatio offerendi sacrificium missae, *Trid. Sess. 23. c. 1,* illudque coram populo celebrandum quoties populus audire missam tenetur; 2°. functiones praescriptas iure vel consuetudine obire: circa quas omnes

obligationes, si qua oriatur controversia, potissimum inter parochum et confraternitates vel etiam regulares, decreta sacrarum Congreg. inspicienda et servanda sunt; 3°. Ecclesiam parochialem, eaque omnia quae ad cultum pertinent, tueri, augere.... Hinc dies festos, ieiunia, indulgentias nuntiare, et cetera, quae emerserint Ecclesiae praecepta; et Episcopi ordinationes publicare, ne populi ignorantia violentur aut populus novis concessis beneficiis et gratiis privetur.

Ad III. caput pertinent **media, quibus eiusmodi officiis satisfacere possint parochi**, scilicet:

1°. *Oves suas cognoscere,* ex *Trid. 23;* hinc iubentur conficere libros *a*) matrimoniorum, *b*) defunctorum, *c*) status animarum, *d*) eorum, qui in suis ecclesiis confirmantur, vel *e*) baptizantur, si eorum Ecclesiae baptismales sint.

2°. Tenetur parochus *in medio eorum esse* per legem residentiae, et quidem tum materialiter, tum formaliter, *Trid. Sess. 23. Cap. 1. de Ref.: materialiter,* hinc necesse est commorari intra parochiae fines, nec excusantur propter *aëris malignitatem* aut *infirmam valetudinem, S. C. C. an. 1575. 1647,* aut *senium, S. C. C. 3 Ian. 1720,* quamvis eis datus fuerit ob senium vel infirmitatem Coadiutor, *S. C. C. an. 1577;* etiam cum futura successione, *Bened. XIV. Const. Inscrutabili § 28;* vel quod tenuis paroecia sit, *S. C. C.,* vel quod tres tantum aut quatuor incolae sint: noctu autem diuque residere tenetur, et non tantum noctu vel tantum diu; in domo parochiali, nisi aliter consuetudo permittat: absente semper officii quolibet detrimento; et si nulla sit domus parochialis, oportet conducere domum in parochia viciniorem Ecclesiae. *Formaliter,* h. e. superesse et intèndere curae animarum..

Ad hoc autem in medio eorum esse debet, ut uniuscuiusque ingenium, mores, studia animadvertat, et inquirat e. g. an parentes filios christiane instituant, eisque invigilent, an serventur praecepta Ecclesiae, an adsint scandala.

Tandem accedere debet 1. ad dioecesanam Synodum, 2. ad Collationem casuum conscientiae, 3. studiis ecclesiasticis omnino incumbere.

Summarium. — Constitui porro debent 1) **paroeciae, et parochi pluribus ornati requisitis;** 2) **ad haec autem requisita dignoscenda debet examen omnium competitorum per praevium concursum institui;** 3) **ratio porro formae concursus ea est, quae iuxta Conc. Trid. a Pio V. Const.** *In conferendis* **8 Mart. 1566 et a Clem. XI. datis litteris die 20 Ianuar. 1721 constituta sunt;** 4) **modi tandem innuuntur, quibus officium parochi cesset.**

311. *Declaratur 1^m^.* **Quoad constituendas paroecias,** *Conc. Trid. Sess. 24. c. 13. de Ref.,* iubet Episcopos pro tutiori animarum eis commissarum salute, distincto populo in certas propriasque paroecias, unicuique suum *perpetuum* ac peculiarem assignare parochum. Dixi suum proprium parochum, licet quandoque vicarius perpetuus ad iuris formam eligi possit, qui parocho proprie dicto aequiparetur.

Quoad 2^m^. i. e. **parochi pluribus sint ornati requisitis.** Horum praecipua sunt annus 24. aetatis exactus; 2. Presbyteratus intra annum ab adito officio susceptus; 3. conveniens et valde praestans doctrina, satis pro instruendis fidelibus et praedicando verbo Dei; 4. eximia morum honestas, *Trid. Sess. 7. c. 3. et Sess. 24. cc. 12. et 18. de Ref.* His dotibus instructi habentur digni ad beneficia parochialia: inter hos vero dignos seligendus est dignior vel instituto concursu, vel libera collatione, vel institutione ad praeviam praesentationem. Paroecia, praescindendo ab iis, quae nonnisi per concursum conferri debent, vel est beneficium parochiale liberae collationis, vel est iurispatronatus vel cuius cura habitualis cum Capitulis, Abbatiis, aliisve Ecclesiis coniuncta est, semper dignior inter examinatos etiam praesentatos (nam et patronus digniorem praesentare probabiliter tenetur, *Vecchiotti Inst. can. hei:* § *87. v. Sunt praeter*) est assumendus.

312. *Declaratur 2^m^.* Ad dignos ac digniorem dignoscendum **debet examen omnium competitorum institui:** et quidem per **praevium concursum,** si collatio huic sit tantum alligata. Quod examen aliquod requiratur, constat ex iure naturali, canonico et divino. Ius enim naturale et divinum prorsus dictat curam ovium committendam esse pastori idoneo: atqui

per examen et investigationem dignoscitur idoneus. Iamvero in specie *quale requiratur examen* determinavit Concilium Tridentinum *Sess. 24. C. 18. de Ref.:* et servatis iis, quae Tridentinum Concilium statuit, profecto dignoscuntur idonei. Imo haec tridentina lex ad hoc lata est, ut non modo idonei seu digni simpliciter, sed magis idonei seu digniores ad parochiales Ecclesias promoveantur, praevio concursu solemnique omnium competitorum examine coram tribus saltem examinatoribus synodalibus, et coram dioecesano Episcopo vel eius Vicario generali peragendo. Ex his atque praesertim ex *Trid. l. c.* patet quaedam et pleraque beneficia per *concursum* esse conferenda, quamvis quaecumque conferantur, nonnisi per examen approbatis conferenda sint.

Porro ab hac lege concursus eximuntur 1. Ecclesiae, in quibus animarum cura spectat ad Ecclesiam Collegiatam, et cura exercetur per Canonicum vel alium clericum; 2. Ecclesiae, in quibus cura est penes capitulum aut monasterium vel aliquam dignitatem, quam vero Vicarius gerat; 3. Ecclesia parochialis adnexa dignitati, cuius ipse dignitate auctus curam suscipit; 4. si quis parochialem Ecclesiam resignet coram Pontifice Summo, in favorem tertiae personae, si permutatio beneficii fiat; 5. si Ecclesia sit iurispatronatus laicalis; 6. insuper parochiae exigui reditus, i. e. quae non excedunt 20 aureos de camera (libellas circ. 170), deductis expensis; 7. novae paroeciae sed prima vice tantum; 8. paroecia semel et iterum concursui exposita, nemine concurrente vel approbato. Verum nullam ex his conferre licet sine examine, exceptis invicem permutatis; et ne his quidem exceptis, si longe dispar sit numerus animarum utriusque paroeciae, aut beneficium non parochiale cum parochiali permutetur. *Cf. Reiff. l. 3. Decr. tit. 5. num. 146.*

313. *Declaratur 3^m^.* **Ratio** vero et **forma concursus**..... Formam concursus iuxta Conc. Trid. praescriptam ampliarunt atque declararunt *Pius V. Const. cit. et Clem. XI. l. c.,* quibus addendus *Bened. XIV. Const. Cum illud.* Nos potiora ex his delibabimus: 1) Episcopi intra sex menses a die vacationis paroeciae, si Ecclesia non vacaverit in mensibus Apostolicae Sedi reservatis, eidem providere debet peracto concursu: alias

provisio ad ipsam Apostolicam Sedem devolvitur. Haec eadem reservatio locum habet, cum parochia est iurispatronatus ecclesiastici vel mixti, si infra tempus patronis a iure praescriptum non fiat praesentatio, atque item si intra duos menses a die praesentationis non fiat institutio. Quoad parochias vero, quarum collatio pertinet ad S. Sedem, si intra quatuor menses a die vacationis Ordinarii non designaverint Sedi Apostolicae digniorem inter approbatos, omnimoda dispositio reservetur Romano Pontifici.

2) Debet deinde Episcopus solus indicere (et Sede vacua Vicarius capitularis) per publica edicta concursum ipsum, determinatis die, loco, et hora. Terminus vero in edictis constituendus est dierum decem ex Trid.; at Pius V. in *cit. Const. In conferendis* addit alios decem dies et non ultra.

3) Cum vero neque in Trid. decreto, neque in dicta Pii V. Constitutione nulla certa peculiaris ac determinata forma examinis esset proposita, ad evitanda incommoda, quae ex eo oriebantur, Sacra Congregatio Concilii in literis, iussu *Clem. XI. datis 10 Iulii 1721,* certam methodum in posterum servandam constituit. Posterius adhuc Benedictus XIV. in *Const. Cum illud 14 Dec. 1742,* praefatas litteras confirmans, quaedam addidit, vel immutavit, vel clarius quamvis brevius explicuit.

4) *Forma examinis ad doctrinam quod attinet,* quae ex iure communi, tum quaestiones dogmaticas quasdam, tum casus morales, tum conciunculam de aliquo Evangelii textu complectitur, eadem omnino esse debet pro omnibus, seu *a*) aliis verbis iidem casus et textus assignentur omnibus; *b*) omnes casus et textus eodem tempore dictentur omnibus; *c*) idem tempus omnibus assignandum intra quod casus resolvant, quaestionibus respondeant, conciunculam componant; *d*) omnes praeterea eodem conclavi claudantur usque ad statum tempus expletum; *e*) sua quisque manu tum responsa, tum sermonem scribant et subscribant omnes; *f*) conciuncula lingua parochianorum propria, cetera vero latine scribantur ab omnibus; *g*) lucubrationes omnes ab Examinatoribus, ab Ordinario vel Vicario, et Cancellario subscribantur.

5) Debet examinari quilibet candidatus etiam circa alia requisita, uti sunt, aetas, mores, prudentia, praeclara merita,

ministeria iam obita, quaecumque scilicet, quae aliquem meliorem parochum in ea parochia futurum esse portendant.

6) Debet in concursu iudicium ferri, quo, ex requisitis omnibus rite perpensis, dignior eligitur. Sed oportet distinguere quaenam partes sint Examinatorum hac in re, et quaenam sint Episcopi propriae. Itaque Examinatorum est dispicere, *quinam digni* sint, tum doctrina tum ceteris requisitis. Hoc autem fieri debet suffragiis latis una simul et maioribus absolute, seu secreto, seu collatis consiliis, quod erit melius. Verum, si eorum vota paria fuerint et singularia, poterit Episcopus aut eius Vicarius uni accedere cui maluerit, sed quasi unus ex illis adeoque statim: non poterit vero ei suffragari, quem maior Examinatorum pars reprobavit, licet solus concurrerit. His peractis, si beneficium nec reservatum est, neque iurispatr., Episcopus eligit sive tunc sive postea, quem ex dignis renunciatis ipse digniorem existimaverit. *Trid. l. c. Ipse,* quia Examinatoribus ne renunciare quidem licet, qui sit *dignior,* nisi Episcopus expostulaverit. Et si collatio ad alium pertinet, et plures sint *digniores,* Episcopi et non collatoris est electio: quod si Episcopus, electione nondum facta, decesserit, eligit Vicarius Capitularis.

Quod porro non digni tantum, sed digniores sint eligendi patet ex *Trid. l. c.* Conferatur etiam *S. Th. 2. 2. q. 63. ad 2. et q. 185. ad 3.* Dignior autem is intelligitur, non qui doctior, sed qui implendis muneribus beneficio adnexis est aptior et utilior ceteris. Quod aestimari debet non solum ex moribus et doctrina, sed ex aetate, patria, genere, facultatibus, animi constantia, et id genus, ceteris. Unde prudentior, senior, nobilis, ceteris paribus, praeferendus est doctiori, iuniori, plebeio...; incola seu civis praeferendus est advenae, nisi forte inter clericos eius loci nullus dignus inveniatur.

7) Et quoniam de examinatoribus sermo incidit, ii generatim sunt, qui, assentiente Synodo dioecesana, debent designari, et ideo dicuntur Synodales; quod infra, ubi de Synodis, et clare exprimit *Trid. l. c.* Si opus est substituere aliquem examinatorem, id poterit Episcopus inter unam et alteram Synodum tantum de consensu Capituli. Examinatores extra Synodum sic constituti *prosynodales* appellantur.

8) Debet animadverti tandem *ius contradicendi,* quod post examen habent qui immerito inter concurrentes fuerunt posthabiti, quo scilicet ab irrationabili Episcopi et Examinatorum iudicio intra decem dies a collatione ad Metropolitanum, et si Metropolitanus eligens sit, vel Episcopus Apostolicae Sedi immediate subiectus, liceat ad Ordinarium viciniorem, ut Apostolicae Sedis delegatum, vel ad ipsam Apostolicam Sedem appellare in devolutivo tantum, producendo acta originalia, vel saltem eorumdem authenticum exemplar rite collatum, et ita praeelectus provocare poterit coram iudice appellationis et eius examinatoribus. Quod si constiterit de irrationabili eligentis iudicio, revocatur electio et parochialis Ecclesia magis idoneo per iudicem appellationis (modo collatio spectet ad Episcopum a quo fuit appellatum) confertur.

Sed si nulla certa spes appareat digniorem electum iri, suffragari minus digno expedit, si is alias certe eligatur, Lugo de Iust. 30. 35. 48. 328, scilicet dissidendo nil aliud quam inimicitias et discordiam saltem sereres; *oportet autem si alias indignus vincceret urna, Vasquez Opusc. de Benef. C. II. § 3. d. 3; Less. II. 34. 60.* Quin si dignus nullus occurrat, fas esse et indigno beneficium conferre, si et necessitas urgeat, et plus profuturus speretur, quam obfuturus, putant *Lessius II. 34. 35; Lugo de Iust. 30. et 35. contra Sotum, Caiet.,* existimantes hoc malum esse natura. *Sanchez Consil. l. II. C. 1. dub. 4.*

Hinc qui, digniore praetermisso, dignum praesentat, et qui illum instituit, si adnexa est cura animarum, lethali; sin minus, saltem levi non caret. Quoad 1^m. *cf. Trid. R. 1. Sess. 24; Innoc. XI. 47; S. Alphon. IV. 92. 97,* nisi forte aut dignus brevi dimissurus sit beneficium, aut modicum beneficium sit. Quoad 2^m. *cf. S. Alphon. IV. 92. 93; Lugo 10.*

At ei, qui beneficium vel curatum petit et obtinet, fas est haec alterius aestimationi relinquere, licet se non aliis vel alios se digniores noverit. *Th. 2. 2. q. 185. 3; Lugo 35. 94; S. Alph. IV. 110;* dum ne se certe indignum sentiat, vel per ambitum ad beneficium obrepat. *Cf. D'Annib. Summula heic.*

Ast utrum, digno aut digniori posthabito, aliqua restitutio competat? Quaestio reducitur utrum dignus aut dignior ius praelationis habeat: quidam affirmant, quia beneficia sunt bona

communia et praemia meritorum, *Vasq. aliiq. multi;* alii negant, quippe quae ad cultum divinum cum primis obeundum sunt instituta, *Lugo 35. 83; s. Alph. IV. 7.* Et verius, etsi non communius: licet beneficium collatum fuerit per concursum; hic enim eo spectat, ut appareat, qui sint digni, qui digniores, cum contraria sententia nullo certo innitatur argumento. Ceterum in dubio restitutio cessat.

314. *Declaratur 4^m.* **Officium parochi cessat** 1) per obitum eius; 2) per renunciationem acceptatam; 3) per adeptam possessionem beneficii incompatibilis; 4) per privationis poenam. Iam ex alibi dictis patent primi tres modi.

Ad 4^m. quod spectat: **crimina,** ob quae Parochus suo beneficio curato privari possit, *Giraldi ad Cap. 12. de Accus.,* praecipue sunt sequentia: 1°. si turpiter et scandalose vivat, et postquam monitus perseveret esse incorrigibilis, *Trid. Sess. 21. C. 6. de Refor.;* 2°. si ultra bimestre absens et per edictum citatus contumaciter absit, h. e. si post adhibitas censuras et sequestrationem atque subtractionem fructuum, aliaque iuris remedia, pergat abesse, *Trid. Sess. 23. C. 1. de Ref.;* 3°. si excommunicatus post legitimas monitiones non resipuerit et censuris ligatus in illis per annum insorduerit, contra eum tamquam de haeresi suspectum procedi, adeoque etiam a beneficio deponi potest, *Trid. Sess. 25. C. 3. de Ref.;* 4°. si concubinarius fuerit, aut mulierem suspectam domi vel extra detineat, aut cum ea ullam consuetudinem habere audeat, si monitus a superioribus ab ea non abstinuerit, tertia parte fructuum beneficii ipso facto sit privatus; si vero in eodem delicto perseveret et secundae monitioni non paruerit, non modo omnes beneficii fructus amittat, sed etiam a beneficii administratione, quamdiu Ordinario videbitur, suspenditur; et si tamen eam non expellat vel cum ea versetur, beneficio in perpetuum privetur, et inhabilis ad quaecumque officia vel beneficia declaretur, *Trid. Sess. 25. C. 14. de Ref.;* 5°. ob crimen simulationis, quo quis pro obtinendis beneficiis seipsum pro aliis supponit, vel annuas pensiones offert, aut beneficia impetrat pro aliis, ut ab eis aliquid consequatur, vel pro seipso, ut aliis postea cum pensione resignet; 6°. ob crimen Simoniae confidentialis, *Pius IX. Const. Apostolicae Sedis;* 7°. Cf. ceteros casus penes *Rebuff.* et *Thesaur.*

Summarium. — **Parochi vicarii** *a*) **alii perpetui sunt, alii temporales.** *b*) **Porro de illis inquiritur,** 1) **a quo et quibus de causis constituendi sint;** 2) **quodnam ius et potestas ipsis competat;** 3) **quid servetur Rectori principali;** *c*) **de his vero agitur quotuplex classis, cur et ad quaenam officia et iura deputentur.**

315. *Declaratur* 1^m. Vicariorum multiplex in iure canonico species occurrit. Generatim alii dicuntur *vicarii in divinis,* qui scilicet in divinis ministeriis et cura animarum ceterisque officiis ad internum forum pertinentibus, aliorum vices gerunt: cuiusmodi sunt vicarii sive perpetui sive temporales parochorum. *Reiff. in Tit. de Off. Vicarii.* Alii vero appellantur *vicarii iurisdictionis,* quam scilicet exerceant in foro externo. De his iam locuti sumus, nunc de illis et quidem 1°. de perpetuis, tum 2°. de temporalibus agemus.

Vicarius perpetuus est qui in aliqua Ecclesia assignata sibi ex huius proventibus portione ad sustentationem congruam, auctoritate legitima canonice instituitur ita, ut ad libitum et extra casus iure expressos amoveri nequeat. *Schmalz. Temporalis,* qui solum constituitur ad tempus ita, ut ex reditibus Ecclesiae, cui servit, vivat quidem quamdiu eidem servit, ad nutum tamen et libitum eius, a quo constitutus est, amoveri possit.

316. *Declaratur* 2^m. **De perpetuis Vicariis.** I. *A quo nominari* vel constitui potest Vicarius perpetuus?

Resp. Nominatio regulariter pertinet ad Rectorem principalem, qui Ecclesiasticae dignitati vel Monasterio unitam habet curam animarum cum consensu Patroni, si beneficium sit patronatum, cuius titulum perpetuum acquirit talis Vicarius ex C. *Ad audientiam.*

Institutio debet fieri *auctoritate Episcopi,* quia est beneficium, *praevio examine,* an sit idoneus, quamvis beneficium sit unitum monasterio exempto; cum persona Vicarii ratione curae animarum semper dependeat ab Episcopo, assignata ei portione congrua ad decentem sustentationem et ad onera parochialia sustinenda....

II. Causae ob quas constitui potest Vicarius sunt prima

frequentior, quia talis Ecclesia parochialis unita est dignitati, beneficio, Universitati, Hospitali..... vel alteri pio loco, ita ut Rector principalis in Ecclesia unita curam animarum exercere nequeat, vel non decet. *Trid. Sess. 7. c. 7. Ref.* Secunda quando parochia reditibus abundans valde numerosum et distantem populum habet.

III. Quale **ius Vicario perpetuo** competat?

Resp. Si in Ecclesia parochiali sit institutus canonice, acquirit ius reale ac verum titulum canonicum beneficii, non quidem directum, qui est penes Rectorem principalem, sed utilem pensionis ex annuis parochiae reditibus: hinc censetur habere beneficium et aequiparatur parocho ita, ut quidquid de isto statutum est in iure, etiam in ipso locum habeat, *Clem. C. Unico h. t.;* hinc sequitur 1°. quod eidem competat tota actualis potestas et cura animarum per administrationem sacramentorum, aliorumque divinorum ex officio exercendorum; 2°. habet intentionem fundatam in decimis, ceteris oblationibus pro sua congrua portione; reliqua Rectori principali reservantur; 3°. ipsi honor est, locus, praerogativae, quae aliis parochis.

IV. Easdem tamen **obligationes, quas parochus** 4°. adimplere tenetur iuxta *Reg. 35. Iur. in 6:* « Qui enim sentit commodum, sentire debet onus », et contra 5°. sine causa iure expressa dimoveri nequit ab Ecclesia in qua canonice institutus est. *C. Ad haec 3. h. t.* 6°. Eius beneficium non vacat, etsi Rector principalis moriatur, aut dignitas vel beneficium, cui illud sit unitum, quia non a Rectore sed ab Episcopo habet iurisdictionem. *Pirhing n. 35.* 7°. Non potest unus idemque esse Vicarius pepetuus in diversis Ecclesiis. 8°. Debet esse aetatis 25. an. incoepti, ita ut sacerdotio initietur intra annum.

V. Hoc est etiam proprium Vicarii perpetui in divinis, ut praesente Rectore principali administrare possit parochiam, imo ille, regulariter, Vicario invito, nequeat se ingerere,..... cum eius sit exercere curam, qui eamdem actu habet, non habitu tantum. Excipitur si parochia illa pleno iure incorporata esset Ecclesiae, cuius caput est Rector principalis, quo in casu penes Rectorem principalem est etiam tota cura actualis, et Vicarius est tantum cooperator.

VI. Rector principalis *a*) retinet curam habitualem; habet ius nominandi eos et percipiendi fructus quoad potiorem partem; habet officia tuendi iura Ecclesiae, reparandi etc. *b*) Ipsi incumbit statim cura actualis animarum, ac vacet vicaria perpetua, quae tamen per alium temporalem Vicarium exerceri potest, donec de perpetuo provideatur.

317. *Declaratur 3^m^.* **De Vicariis temporalibus.** Vicarius temporalis hisce de causis iure probatis, constitui potest; scilicet 1) si vacet Ecclesia parochialis, donec provideatur. *Trid. Sess. 24. c. 18.* 2) Si institutus parochus ob defectum aetatis, infirmitatem, negotia et occupationes, praesertim ratione utilitatis et necessitatis Ecclesiae susceptam nequit per seipsum administrare. 3) Propter diversitatem idiomatum vel iustam et approbatam ab Ordinario absentiam, causa studiorum aut peregrinationis. 4) Quando Rector ex dispensatione simul obtinet duas ecclesias parochiales vel duo beneficia curata. 5) Quando religionem ingressus versatur in probatione.

Quis constituere possit?

Resp. 1. Episcopus ob curam generalem, quam in dioecesim suam exercet. 2. Rector principalis ut supra. 3. Parochus, si ad brevissimum tempus, modo sibi substituat ex approbatis sacerdotibus.

c) Ius et potestas competens Vicario temporali est nullum quoad titulum beneficii, curam tamen et omnes functiones parochiales exercet instar ipsius Parochi.

d) An substituere sibi possit Vicarius alium Vicarium? Resp. Vicarium perpetuum *Nego,* temporaneum *Subd.;* potest Vicarius perpetuus *Concedo,* potest Vicarius temporaneus si est delegatus ad universalitatem causarum quoad partem tantum iurisdictionis conferendam *Concedo;* si non est delegatus, aut non habet specialem potestatem subdelegandi, aut si delegatus velit totam iurisdictionis curam committere, *Nego.*

Duplex classis Vicariorum temporaneorum distinguenda: 1^a^. adiuvantium parochos infirmos aut imperitos, 2^a^. adiuvantium parochos actu laborantes. De illis nuper, de his nunc. In primis varie appellantur cooperatores, Coadiutores, Cappellani, Primissarii, quandoque Vicarii, penes Italos Pro-Parochi aut *sotto-Curati.*

De his porro haec advertenda breviter. Eorum 1. deputatio et amotio in plerisque locis ad Episcopos, in aliis amotio et deputatio ad Parochos spectat; semper tamen postquam examinati et adprobati sint ab Episcopo; 2. sustentatio congrua si aliunde non habeat, et si totus est in cura parochiali, sub iudicio Episcopi; 3. adprobantur ad confessiones audiendas pro tota dioecesi, neque ad hoc requiritur licentia Parochi; 4. quaenam munia exercere possint, pendet ab eo utrum ad universalitatem causarum sint delegati vel ad particulares; semper tamen operam suam impendere debent quoties requiruntur; 5. Vicarius erga parochum ita se gerat, ut *a*) diligens subsidium illi praestet in cura animarum, atque *b*) in his obedientiam exactam, cum una cum parocho curam exerceat.....

TITULUS XXIII.

DE CAPITULIS ET GENERATIM DE CANONICIS.

I. NOTIO, ERECTIO, LEGES CAPITULI.

Summarium, — Explicata 1) Canonicorum notione, atque 2) historia paucis indicata, 3) horum Capitulum spectatur breviter quoad primam erectionem, posterius augmentum et statuta seu leges pro eiusdem regimine.

Praenotandum.

Egimus de personis quibus *ut singulis,* sive ordinaria sive delegata iurisdictio competat: restat ut de pluribus simul sumptis seu de Collegiis, et Conciliis agamus, quibus collective iurisdictionis potestas inest. Et cum canonicorum Collegio, quatenus Capitulum hi constituunt, aut Episcoporum congregationi, quatenus in synodos conveniunt, quaedam iurisdictio competat et actio cuius vis extra conventus haberi nequeat, agemus 1°. de canonicorum Capitulis, 2°. de Conciliis.

318. *Declaratur 1m.* Tractatus particulares *de Canonicis* edidere *Barbosa* in opere inscripto *De Canonicis et Dignitatibus; Scarfantonius, Animadversiones ad lucubrationes canonicales; Franc. Ceccopieri; Ferraris, Bibl. v. Canonicatus; Bouix, De Capitulis;*

Amort, Vetus discipl. canonicorum regularium et saecularium; Deherdt, Praxis Capitularis.

Canonicus graeca vox est, quae idem sonat ac *regularis;* undecumque orta sit haec appellatio, sive quia prima *canonicorum origo e monastica disciplina* fuerit, quemadmodum docet *Concilium Coloniense II. P. 3. C. 4,* sive quia matricula Ecclesiae, cuius servitio illi adscribebantur *canon* appellari antiquitus consuevit, *Dev. Inst. Can. l. 1. Tit. 3. § 56;* ex quibus opinionibus, qui 1am. sequuntur revocant canonicorum originem ad Augustini saltem aetatem, qui ad communem vitam in domo episcopali agendam sacerdotes et diaconos congregavit, *cf. Vita S. Aug. in edit. Maur. l. 4. c. 2. n. 7. sqq.;* quibus vero altera magis placet, ii speciem aliquam canonicorum iam a saec. IV. repetunt, *Devoti l. c. not. 2;* veram autem eorumdem formam saec. VIII. institutam in occidente fuisse aiunt auctore Crodegango Episcopo Metensi. *Dev. l. c.*

Quidquid sit definimus: « *Canonici sunt Clerici in unum corpus sub aliquo Praelato congregati, quibus praecipue demandata est divinorum officiorum celebratio in certa quadam Ecclesia ex qua proprias praebendas habent, unde alantur* », *Schmalz. Tit. De His quae fiunt a maiore parte Capit. n. 1. III. tit. XI.,* iuxta quem *l. c.* adverte in definitione substantialia Capituli esse: 1) ut constituatur ex pluribus personis, ut dicantur congregati: debet enim esse unum corpus seu universitas, ad quam constituendam ad minimum tres personae consociari debent; et 2) ut personae istae sint ecclesiasticae: quia hactenus per Capitulum non quaelibet Communitas aut Universitas, sed ecclesiastica solum designata fuit, saltem in iure canonico; 3) ut personae istae unum corpus cum Praelato suo Clerici constituant, quia corpus habet Caput. Et hinc oportet ut leges, res, et iura communia habeant; alias magis singularitas, quam communitas appellabitur. Hinc etiam, 4) habeant arcam seu aerarium et cassam communem ad communes necessitates paratam. Insuper, 5) commune sigillum, quo negotia et acta Capituli, qua talis, expediantur, sit bene distinctum penes ipsum; 6) actorem communem seu syndicum, per quem iura et res Capituli gerantur et defendantur, habere debent.

Ad haec: in definitione dictum est: *ex qua proprias prae-*

bendas habent, unde alantur: ita ut hodie non vocentur canonici, nisi qui habeant canoniam et praebendam in Cathedrali vel Collegiata Ecclesia. Per *Canoniam* intelligitur *ius stalli in choro et participatio quaelibet Divinorum inter canonicos Ecclesiae*; per *Praebendam* denotatur *ius percipiendi proventus Ecclesiasticos ex communi massa praebendos et gaudendi iuribus adnexis, ratione officii spiritualis et Canoniae.* Utroque iure, scilicet tam canoniae, quam praebendae deberent singuli simul gaudere, quia videtur indignum ut receptus in canonicum praebendae beneficio defraudetur, *C. 1. de Praeb. et Dignit.*: aliud tamen in quibusdam Ecclesiis observatur: *quibus praecipue demandata est* divinorum officiorum celebratio in certa quadam Ecclesia etc. Hisce nempe denotatur summum praecipuumque officium, cuius causa Canonici supra ceteros elevantur, suisque praebendis augentur, ut scilicet per exercitium cultus divini, populi pietatem foveant exemploque suo aliis praeluceant. *Trid. Sess. 24. de Ref.*

Unde pro necessario cum hoc officio nexu tres praecipuae Canonicorum obligationes numerari solent: 1. Chori servitium, 2. Residentia, 3. et Professio rectae fidei legitime emittenda, si agatur de Ecclesiae Cathedralis canonicis.

Hisce etiam intellige, ut quis in album canonicorum assumi possit, debet 1°. habere ordinem canonicatui adnexum vel saltem capacitatem recipiendi illum intra annum, nisi de Collegiatis agatur ubi nullus exigitur sacer ordo; 2°. debet pollere eximia integritate vitae, morum et fidei; 3°. debet in sacra Theologia et Iuris canonici scientia excellere, ut fidem bonosque mores promovere possit. Hinc ipsum Tridentinum hortatur, ut dignitates omnes et saltem dimidia pars canonicatuum in Cathedralibus Ecclesiis et Collegiatis insignibus conferantur tantum magistris, vel doctoribus, vel tantum licentiatis in Theologia vel Iure canonico. *Trid Sess. 24. c. 12.*

319. *Declaratur 2m*. **Historia vitae communis Canonicorum.** Quamvis tribus prioribus Ecclesiae saeculis ob ethnicas insectationes alia vita communis non reperiatur, *Can. Duo sunt 7. can. 12. q. 1. et in actib. Ap.*; tamen semper Episcopum inter et eius presbyterium seu collegium Clericorum intima extitit unio, adeo ut statim a saeculo IV. cum politica per-

misit conditio, plures Episcopi universum collegium ad vitam communem secum ipsis ducendam persuaderent. Nam saeculo IV. videmus sanctos Antistites Eusebium Vercellensem, Martinum Turonensem et praesertim Augustinum Hipponensem cum suo clero communem vitam agere, fere ad instar monachorum, suorum tamen bonorum proprietate retenta. At paulo post ob vandalicam persecutionem eiusmodi disciplina deficere ac veluti extincta visa est, cum saeculo VIII. eam collapsam omnibus viribus restituendam curavit Crodegangus Metensis Episcopus, qui praeter votorum nuncupationem, Regulam, 34 legibus constantem, tradidit spiritu modestiae, simplicitatis, ordinis et charitatis plenam. Hanc regulam plures sequutae sunt cathedrales et parochiales Ecclesiae. Communis habitatio canonicorum erat praesertim penes cathedralem Ecclesiam *domus* appellata, unde vox italica *duomo*.

Canonicorum collegium nullum proprium ab initio sibi nomen fecit; sed postea ex capitulo propriae regulae, quod quotidie ab ipsis simul quadam in aula legebatur, *Capituli*, nomen ei mansit, quo etiam aula et conventus ipse vocaretur. Quae severior disciplina collapsa iterum est saeculo X.; non ita tamen, ut quidam eam non retinuerint: tunc enim distincti sunt *canonici Regulares* sic dicti ob vitam communem et praefatae regulae professionem; et *Clerici saeculares*, qui una cum Episcopo ex bonis Ecclesiae constitutis praebendis, in saeculo degerent, bona propria retinentes, nulli adstricti regulae, atque adeo *saeculares* dicerentur. Quod non ita intelligendum est ac si exleges essent penitus; cum et Episcopi statutis et sacris canonibus parere tenerentur. Insuper capitula inde orta sive Ecclesiarum Cathedralium sive Collegiatarum, canonicorum nomine retento, in quoddam veluti corpus una cum Episcopo coalescentia peculiares quasdam leges seu regulas pro Capituli regimine constituerunt, prout etiam nunc mos et potestas est.

319bis. *Declaratur 3m*. **De Capituli constitutione, statutis.** Ad legitimam Capituli constitutionem pertinent tum prima eiusdem erectio, vel posterius augmentum, tum etiam *statuta* seu *leges*, quae pro eiusdem regimine rite latae sunt. Iamvero ad 1m. quod spectat haec sunt animadvertenda:

I. **Erectio** seu prima constitutio Capituli Ecclesiae Cathedralis nonnisi a Summo Pontifice fieri potest, *cf. Barbosa de Canon. C. 2. n. 8,* praesertim cum ea fiat una cum ipsa erectione Ecclesiae Cathedralis, quam indubitati iuris est, nonnisi a Summo Pontifice posse constitui. Barbosa *l. c.* ait, ne collegiatas quidem absque venia Romani Pontificis erigi posse. Qua de re vide sis *S. C. C. in Cremon. 7 Sept. 1720. tom. LII. p. 49. ubi aliae Resolut. et 4 Apr. 1772. Nullius trium Fontium et in Collensi 15 Mart. 1783 § Advertit.*

II. Capituli seu **canonicorum numerus augeri deinceps potest,** legitimis tamen servatis conditionibus, i. e. *a*) ut Episcopi auctoritate id fiat, *Pichler tit. de Praeb. n. 7,* sine qua scilicet nullum erigi novum beneficium potest.

b) Ut Capituli consensus requiratur; qui 1°. etiam sub conditione praestari ab eodem potest, modo conditiones iustae sint, et rationabiles (e. g. quibus avertatur aliquod detrimentum, aliquod particulare modicumque servitium). Imo potest ab Episcopo fieri erectio cum diversis conditionibus ab iis, quas testator voluit, dummodo versentur circa accidentalia, non circa ea, quae tangunt substantialia: licet enim non possit commutare pias voluntates testatorum, in limine tamen fundationis conditionem figere, *Scarfant. l. c. l. 1. tit. 4. n. 46;* 2°. potest etiam de causis denegari, cuiusmodi sunt tenuitas vel incertitudo reddituum, qui statum novi Canonici vel minus decentem vel incertum efficiant: nimia Canonicorum multitudo, quae magis in contemptum, quam in decus Ecclesiae cederet; veterum Canonicorum detrimentum et si quid aliud est eiusmodi, *Scarf. l. c. n. 47. seq.;* 3°. si denegetur absque causa, potest per Episcopum vel alium superiorem suppleri.

Quod *c*) si res sit de nova dignitate instituenda vel de augendo canonicorum numero qui auctoritate apostolica definitus fuerat, ut eiusdem Sedis Apostolicae venia impetretur. *Pichler et Scarf. ll. cc.*

Ad alterum quod attinet, i. e. ad **statuta, quibus capitulum regi solet,** animadvertendum in genere est, eiusmodi *statuta esse leges ab ipso Capitulo legitime congregato constitutas de minoribus quibusdam rebus,* quae ad bonum ordinem et regimen eiusdem Capituli pertinent. *Scarf. l. c.* Unde sequitur:

I. *Auctorem* eiusmodi legum esse ipsum Capitulum, a quo constitui possunt, inconsulto etiam Episcopo. *Scarf. l. c. l. 4. n. 1. seqq.*

II. *Obiectum* iis rebus contineri, quae ad Capituli regimen pertinent, binis tamen sub conditionibus: 1. ut nihil habeant, quod legibus a superiore latis adversetur; 2. ut minora tantum negotia attingant, sive circa personas, cuiusmodi est e. g. definitio modi, quo Capitulum sive congregandum sive habendum sit; ratio distribuendi officia inter Capitulares; ordinatio chori; constitutio levis cuiusdam poenae seu mulctae adversus ipsos Capitulares vel propriae Ecclesiae beneficiarios ac ministros in divinis Officiis, vel iniunctis muneribus delinquentes, *Scarf. l. c. l. 1. tit. 10. et 3. n. 37. seqq.*, aliaque hisce similia; sive etiam *circa res*, e. g. *ratio administrandi* bona Capituli, partiendi distributiones, administrandi pias oblationes..., ita tamen ut caveatur, ne cuiuspiam iuri inferatur detrimentum.

III. *Sanctionem*, qua statuta muniantur, adiici posse, sive addito iuramento, sive levibus quibusdam poenis constitutis, ea tamen sub conditione, ut omnes et singuli Capitulares consentiant.

IV. *Abrogationem* fieri per contrarium statutum capitulariter legitimeque factum, *Scarf. op. cit. l. 4. tit. 16. n. 35*, addito tamen consensu Episcopi, si forte agatur de abrogando statuto, quod Episcopi auctoritate firmatum fuerat, vel firmari debuerit: cuiusmodi est statutum, quod tangat statum universae Ecclesiae vel capitulum simul et Episcopum, itemque praemissa dispensatione, si forte iuramentum obstet.

V. Quod autem attinet ad interpretationem, ait praedictus auctor, faciendum esse ab Episcopo: quod ut constet, cum iis quae dicta sunt dicendum videtur, id asseri de statutis, quae auctoritate Episcopi firmata fuerint vel firmari debuerint.

Addendum est de partitione Canonicorum, quae praecipue est, ut Canonici dividantur I. in Canonicos Ecclesiae Cathedralis et Collegiatae; II. in saeculares et Regulares; III. in Capitulares et non Capitulares.

Et I. Canonici *a*) Ecclesiae Cathedralis reliquiae sunt illorum canonicorum, quos semper lateri suo Episcopus, ut in omnibus consuleret negotiis, habuit et ut eorum ministerio

in sacris functionibus uteretur: unde simul cum Episcopo hi ritum ducebant, vel ubi Regula canonicorum non erat introducta prope Ecclesiam Cathedralem habitabant, Levitarum more, iuxta S. Petrum Damiani, castrametantium in circuitu arcae Domini, segregati a Laicis. Singularibus privilegiis hi Canonici prae ceteris ornantur, quibus scilicet Romanus Pontifex delegationes apostolicas committat, ius competat in Germaniae eligendo Episcopos, ut sint ex avita et illustri familia progeniti, ut sint in sacris Ordinibus constituti.

b) Canonici Collegiatae, ex pristinae Communitatis reliquiis, formant Collegium; eorumque officia hodie ferme restricta ad officium divinum statis horis celebrandum.

II. Canonicos alios Regulares, alios saeculares; illi, qui sub communi et approbata viverent Regula, quamvis tria substantialia vota non professi; qui vero domibus privatis sine communi regula degunt, saeculares audiunt.

III. In *Capitulares* et *non Capitulares*. Sicut enim non omnes Ecclesiae Clerici sunt Canonici, ita non omnes Canonici constituunt Capitulum, nec ius suffragii in conventibus habent. In plerisque Ecclesiis certus tantum eorum numerus Capitulo adscriptus est, qui unum corpus sub communi sigillo, sub communi aerario, communi syndico, communi negotio conficiunt. *C. 5. de Prob., C. 48. de Appell.* Reliqui *Domicellares* plerumque vocantur, donec post aliorum Capitularium obitum, in eorum locum subrogentur. Requiritur praesertim subdiaconatus ordo ad ius suffragii in Capitulo obtinendum. *Trid. Sess. 22. C. 4. de Ref.* « *Unde per Capitulum intellige Collegium Canonicorum, qui sacro ordine insigniti, praebenda et iure suffragii in Ecclesia Cathedrali vel Collegiata gaudent* ».

Canonici hoc Capitulum constituunt cum suo Decano, qui illius est caput: Cathedralis autem Canonici insuper constituunt Ecclesiam cum Episcopo, qui est principale Caput Capituli, quatenus hoc cum Episcopo repraesentat totam Ecclesiam, sub cuius nomine intelligitur Episcopus et Capitulum Ecclesiae Cathedralis.

II. OBLIGATIONES CAPITULI PRAESERTIM CHORI SERVITIUM ET RESIDENTIA.

Summarium. — Obligationes omnibus capitulis communes sunt: 1) Chori servitium per se, legitimo loco, tempore, modo peragendum ita, ut vel fructus beneficii, vel quotidianae distributiones amittantur ab eo, qui integrum vel non integrum annum absit, nisi iusta causa excuset; 2) Residentia iuxta Trid. Sess. 22. c. 4. de Ref.

320. *Declaratur 1^m^.* Supradictis succedunt ea, quae pertinent ad Capituli officia et obligationes. In his autem recensendis memorandum est, obligationes atque officia Capituli Ecclesiae Cathedralis, quae respectum habent ad Episcopum vel ad Sedem Episcopalem vacantem iam a nobis exposita fuisse, adeoque heic agi tantum de illis, quae ad ipsum Capitulum etiam Cathedralis Ecclesiae, in se consideratum, spectant. Iam vero summum praecipuumque officium, cuius caussa Canonici supra ceteros Clericos elevantur, suisque praebendis augentur, illud est, ut per exercitium cultus divini populi pietatem foveant, *Scarf. Animadv. ad tit. 1. n. 1. l. 2. pag. 104,* exemploque suo aliis praeluceant. *Trid. Sess. 24. c. 12. de Ref.*

Unde pro necessario cum hoc officio nexu praecipuae Canonicorum obligationes numerari solent α) aliae communes omnibus Capitulis; β) aliae particulares Ecclesiae Cathedralis, e. g. professio fidei, et adsistentia Episcopo debita in functionibus; γ) aliae particulares, quatenus personis singularibus veluti officia imponuntur, vel in omnibus vel in quibusdam Capitulis, e. g. Officium Canonici Theologi, Poenitentiarii, Sacristae, Thesaurarii, Camerarii et huiusmodi.... Porro obligationes omnibus Capitulis recensentur, praesertim 1. Servitium chori; 2. Residentia. *De chori servitio* videndum est 1°. quid complectatur; 2°. quae sint leges in eo servandae seu quomodo peragendum sit; 3°. qua ratione eius omissio punienda sit; 4°. quae sint eiusdem omittendi iustae excusationes.

I. **Chori servitium** complectitur:

a) Recitationem quotidianam horarum canonicarum. *Cf. Bened. XIV. Instit. 107. n. 7. sqq.*

b) Celebrationem cum cantu item quotidianam missae, ut aiunt, de die, quae conventualis dicitur, quaeque pro benefactoribus applicari debet, *Bened. XIV. l. c. n. 11. sqq. et Constit. Cum semper 19 Aug. 1744;* idque etiamsi alia missa votiva, quacumque alia de caussa, eadem die, cantetur. *Barbosa De Canonicis c. 34. n. 1.* De missa Conventuali, *vide Repertorium.*

c) Celebrationem aliarum missarum conventualium certis quibusdam diebus, qui in generalibus missarum rubricis designantur, *Bened. XIV. ll. cc.,* qui decernit eas applicari debere pro Benefactoribus in illis tantum Ecclesiis, in quibus consuetudo talis sit, in ceteris liberae esse applicationis.

d) Recitationem, certis diebus in Rubrica item designatis, Officii B. Virginis, Defunctorum, Psalmorum Poenitentialium ac Gradualium; quae tamen libere ac sine peccato omitti potest, excepto casu quoad officium tantum B. M. Virg. vetustae consuetudinis. *Pius V. Constit. Quod a nobis 7 Iulii 1568; Bened. XIV. Inst. 107. n. 8. sqq.*

Quibus omnibus duae animadversiones addendae sunt, quarum 1ª. est chori servitium quotidianum omnino esse, quoad Collegium Canonicorum simul sumptum: quoad vero singulos canonicos regulariter quidem quotidianum pariter esse; sed quasdam ea de re haberi exceptiones, de quibus mox dicetur cum de residentia; 2ª. est, si quis canonicus sive ex iusta caussa, sive ex negligentia a choro absit, eundem omnino teneri horas canonicas privatim recitare, nisi legitimum adsit impedimentum; 3ª. addi potest pro locis missionum, in quibus saltem quinquies vel sexies in anno in Cathedrali Ecclesia Canonicos convenire debere ad tertiam psallendam, et missae conventuali pro benefactoribus assistendum.

II. *Modus,* quo chori servitium peragendum est, quinque legibus concludi potest, idest ut fiat

a) *Per se* non per *substitutos, Trid. Sess. 24. c. 12. de Ref.;* quod tamen intelligendum est de substitutis extraneis, ita ut in iis capitulis, ubi alternatim a dimidia vel tertia parte Capituli officium persolvi consuevit, interdictum non sit Canonicis vel beneficiariis seu mansionariis aliquem e suis *Collegis* substituere; dummodo hae quatuor leges serventur, 1°. ut substitutus ad chorum eodem tempore non teneatur; 2°. ut

eiusmodi substitutiones frequentes non sint, quod arbitrio Episcopi relinquitur iudicandum; 3°. ut ii, qui substituunt, in civitate eiusve suburbiis versentur *(In Constit. Ecclesiae Fulgin. generatim posse substitui: e così è stato sempre: An etiam cum e suburbiis absunt? S. C. C. 31. Mart. 1721, negative)*; 4°. ut substituti sint eiusdem omnino ordinis, ut Canonici Coadiutores hoc indulto uti nequeant; idque ne passive quidem, haud secus ac Canonici honorarii, cum utrique non sint vere proprieque dicti Canonici, *cf. S. C. C. in Montis Politiani 4 Febr. 1804 et Ferraris v. Canonicatus art. 10. n. 59; Bened. XIV. Inst. 107. n. 17. sq.*

b) *Legitimo loco,* i. e. regulariter in eo Ecclesiae loco, qui chorus dicitur, *Bened. l. XIV. Inst. c. n. 19; S. Card. Borrom.;* ita tamen ut per se capitulo interdictum non sit in quavis alia ecclesiae parte, modo sit publica, horas canonicas recitare. *Scarf. seu Ceccop. Lucub. l. 2. tit. 2. n. 6.* Extraordinaria autem et accedente iusta causa, e. g. magni frigoris, atque Episcopi licentia in sacristia aliove honesto eiusdem Ecclesiae loco. *Bened. XIV. l. c. ibiq. S. C. C.; Scarf. l. c. n. 8.* Episcopi licentia diebus ferialibus non videtur esse necessaria, si locus, qui electus est, habeat in ipsam Ecclesiam fenestram aut portam, quibus apertis, populus divinas preces commode audiat.

c) *Legitimo tempore,* de quo dici iam potest propria locorum consuetudine, illud definiri, *Scarfant. l. c. n. 20;* ita tamen ut Vesperae a prandio, tempore autem quadragesimae ante prandium recitari debeant. *Scarf. l. c. post n. 22.* Matutinum vero, salvo privilegio vel consuetudine immemorabili, recitandum sit summo mane, *Scarf. l. c. n. 21;* recitari autem post completorium diei praecedentis non possit, nisi intra Octavam Corporis Christi, quod est generali consuetudine Romanaeque Ecclesiae instituto firmatum; et extraordinario, cum necessitas aliqua una cum Episcopi venia concurrit. *Scarf. l. c. 19. sq.; Bened. XIV. Instit. 107. n. 2.*

d) *Legitimo modo, i. e. alta voce,* ita ut si tantum voce submissa horas canonicas aliquis recitet, vel easdem alibi recitaturus solam praesentiam corporalem in choro praestet, eidem poenae sit obnoxius ac qui absunt a choro, *Bened. XIV. l. c. n. 16; Girald. Ius Pontif. un. P. 1. Sect. 608,* nisi forte apo-

stolicum idque non praesumptum, sed legitimum ac vigens privilegium praesto sit, *Bened. XIV. Constit. Cum semper 19 August. 1744. § 24;* vel musici canant vel organum alternatim chori vicem praestet: quo quidem in casu operae pretium est aliquem, e. g. ex mansionariis, deputare, qui alte pronuntiet quae ab organo cantari finguntur. *Scarf. l. 2. tit. 7. n. 18.*

e) *Reverenter*, i. e. vocibus apte comparatis haud festinanter, nullisque praecisis vocabulis, itaque ut pars chori canere haud incipiat, cum altera cantum nondum absolvit; ceterum autem servata modestia, gravitate ac silentio. *Cap. Dolentes 9. de Celebr. Missar.; Clemens XI. Encycl. ad Episcopos Ital. insularumque adiacent. 16 Mart. 1703. versu 9. quae extat in Bullar. partic. Clementis XI. pag. 526. et sq.; Bened. XIV. Inst. 107. n. 24. sqq.; Girald. l. c. v. 1. Sect. 608.*

III. Iamvero *de Poena* eorum, qui licet in loco beneficii resideant, nihilominus ad chorum non accedant, haec sunt constituta.

I°. Si ad annum usque, vel etiam ulterius, eiusmodi absentia protrahatur, poena eadem est, quae contra non residentes in iure indicitur: scilicet primo anno, dimidia parte fructuum privetur; si iterum eâdem negligentia usus fuerit, omnibus fructibus privetur: crescente contumacia procedatur ad privationem beneficii (hac in re advert. 1°. sententia; 2°. ordo in poenis atque sententiis; 3°. ante quamlibet sententiam non est necessaria monitio, sed satis est citatio ad dicendam causam quare non debeat privari, *cf. Thes. de Poen. v. Resid. c. 3. n. 4*). *Bened. XIV. Inst. 107. n. 32. cf. infra quae de Resid.*

II°. Si ad tantum tempus non excurrat, poena generatim est **amissio distributionum,** de quibus proinde animadvertendum est, *a*) quid sint; *b*) quotuplex earum species; *c*) quaenam ratione absentiae a choro amittantur; *d*) a quibus amittantur; *e*) quem intra modum, et quibus legibus.

a) *Distributiones* generice acceptae sunt *redditus ecclesiastici, qui ex communi quadam Canonicorum vel beneficiariorum massa singulis distribuuntur sive ratione beneficii, sive ratione servitii choralis, sive ratione realis praesentiae ac veluti salarii personalis pro particulari aliquo onere inito.*

b) Unde earumdem *species quadruplex* dici potest, 1. earum,

quae alicubi tenent locum ipsius beneficii, et *fructus grossi* etiam appellantur; 2. earum, quae proprie distributiones quotidianae appellantur, praemiique loco constitutae sunt pro iis, qui choro intersunt sive ex peculiari massa, sive ex tertia parte fructuum grossorum, si tantum ex iis praebenda constet; 3. earum, quae assignatae sunt pro *certis fixisque* oneribus missarum, anniversariorum, aliarumque functionum (ideoque non modo fine sed et origine diversae), unde non ex titulo beneficii, neque ex ratione servitii; sed ex legatis promanant fundatorum, quorum voluntas attendenda est, *cf. Petra in Constit. 9. Bonif. VIII. n. 16. seq.;* 4. earum, quae assignantur pro funeribus, anniversariis; aliisve oneribus incertis et extraordinariis. *S. C. C. in Mantuana Iubilationis 16 Mart. 1737.*

c) Ratione absentiae a choro *ea amittitur distributionum species, quae secundo loco posita est,* praemiique loco pro iis, qui choro intersunt constituta est. *Cap. un. de Cler. non resid. in 6; Trid. Sess. 21. c. 3. de Ref.; 22. c. 3. de Ref.; 24. c. 12. de Ref.* Licet enim et tertia et quarta species absentibus denegetur, id tamen fit non in poenam absentiae, sed quia instar salarii pro labore inito tribui solet. *Scarf. l. 2. t. 2. n. 22.*

d) Praedictae *distributiones amittuntur ab iis,* qui ita absunt, ut ne iuris quidem fictione interesse dici queant: quae fictio iuris in genere iis favet, quos infirmitas vel iusta et rationabilis corporalis necessitas, aut evidens Ecclesiae propriae utilitas excusat, *C. un. de Cler., et Trid. ll. cc.;* itemque ab iis, qui etsi choro adsint, cum aliis tamen non psallunt. *Bened. XIV. Inst. 107.*

e) Quod attinet ad modum, ac leges quibus harum distributionum partitio et veritas absentiae definitur, regula generalis est, *quod distributionum partitio et veritas absentiae iuxta leges capitulares computentur:* proinde 1°. ut *proportionem habere* debeant ad singulas horas canonicas et alias functiones, quae in servitio chori continentur, cuiusmodi est e. g. missa conventualis, vel quae toti Capitulo communes sunt, licet extra chorum peragantur, cuiusmodi est celebratio Capituli. Haec autem partitio iuxta singulas horas aut functiones determinari debet in statutis, in quibus ratio etiam haberi potest dierum

magis sollemnium, vel qui magis indigeant stimulo ad excitandam canonicorum diligentiam.

2°. Ut iuxta praedictam partitionem, *cedere debeant in eorum tantum beneficium,* qui vel absolute vel moraliter physice praesentes sunt, salvis iustis excusationibus, de quibus infra. *Moralis* autem illa *praesentia* statutis capitularibus determinari debet, ita tamen ut nimia facilitas evitetur, cuiusmodi esset, si quis moraliter praesens matutino dicatur, qui absoluto iam primo nocturno in chorum advenerit.

3°. Ut unus vel plures constituantur, qui absentes a choro vel in eo tacentes adnotent, quique *punctatores* dicuntur. *Bened. XIV. Instit. 107. n. 44.*

4°. Ut in absentiis notandis detrahendisque distributionibus quaevis *collusio* aut condonatio excludatur. *Trid. Sess. 24. c. 12. de Ref.*

5°. Dixi modo, *ut absentium distributiones praesentibus* accrescant, *arg. Conc. Trid. Sess. 21. C. 3. de Ref.;* sed tamen quae distributiones dignitatibus, personatibus atque officiis assignatae sunt, quae non ex massa communi redditus habent, sed distinctos ac privatos, pro exercitio munerum et pro complemento particularium onerum, quae iis iniuncta sunt, *Fagn. in C. Quia nonnullis 3. de Cler. non resid. n. 12. sqq.,* debent accrescere in commodum fabricae Ecclesiae, aut si haec non indigeat, in usum alterius pii loci, arbitrio Ordinarii. *Trid. Sess. 22. C. 3. de Ref.*

6°. Ut eae distributiones, quae non habent naturam praebendae, sed personalis servitii ac laboris praemium sunt, libere possint ad haeredes transmitti, etiamsi nondum fuerint exactae. *Scarf. ad tit. 9. l. 2. n. 37.*

IV. Restat ut videamus, **quaenam sint iustae excusationes ad chori servitium omittendum.** In duas species dividi eaedem possunt. Prima est earum, quae ita a choro excusant, ut etiam distributiones absentibus reservent; altera est earum, quae excusant quidem a choro, sed amissis distributionibus.

Itaque **excusant** I°. **plane ita ut etiam distributiones sinant exigi** (ea tamen sub conditione, ut agatur de illis, qui alioquin choro adesse soliti erant, *Ben. XIV. Inst. 107. n. 45. 51;*

Girald. P. 1. Sect. 358. § Non debentur ; Barbosa de Can. C. 24. n. 45) caussae, de quibus mox dictum est, adeoque

a) *infirmitas,* quae legitime probata sit, et iudicio boni viri eiusmodi habeatur, quae adesse choro non sinat, *Bened. XIV. l. c. n. 47.* (potest enim ex utraque parte peccari, vel nimiae indulgentiae, e. g. si levis quispiam capitis dolor ut iusta causa admittatur, vel nimiae severitatis, e. g. si is morbus tantum pro iusta causa admittatur, qui chorum adire omnino impediat, cum satis sit eiusmodi esse, ut chorum adeundo possit augeri, etsi quandoque quis possit domo exire....); etiamsi patientis causa contracta fuerit, *cf. Barbosa de Canon. C. 24. n. 27 ;* vel extra civitatem dum is, qui infirmus est, legitime ab ea abesset, salva contraria consuetudine. *Bened. XIV. l. c. n. 46 ; Scarf. l. 2. tit. 9. n. 2. sqq.*

Huc revocari potest immunitas a choro una cum facultate percipiendi distributiones, quae iam concedi solet Canonicis vel beneficiariis, qui *XL. annos in eadem Ecclesia,* licet non in eodem beneficio, sive ut titulares, sive ex parte ut coadiutores, ex parte ut titulares, *Ferr. v. Distribut. a. 3. n. 3. et 26,* munere suo perfuncti sunt, *Bened. XIV. Inst. 107. n. 64 ;* his tamen legibus 1. ut assidue et laudabiliter servierint, *Bened. XIV. l. c. ;* 2. ut computari non debeant anni, quibus abfuerint vel caussa studiorum vel ex indulto ad aliud munus peragendum, *Ferr. l. c. n. 2 ;* 3. ut revocari ab Episcopo ad chorum possint, si divini cultus detrimentum id exigat. *Bened. XIV. l. c.*

b) *Iusta et rationabilis corporalis necessitas,* quo e. g. refertur 1) caussa pestis; 2) inimicitiarum: unde, si choro accedant, gravium iniuriarum ingruat periculum (quamvis contrarium sentiat Fagnanus *tom. 3. pag. 139*); 3) *iniustae intra carcerem detentionis, Bened. XIV. l. c. n. 50. sqq.,* quae scilicet constat ex favorabili iudicis sententia. *Bened. XIV. l. c.* Est autem favorabilis, quae absolvit, *S. C. C. in Lauret. Distributionum § Super puncta 17 Sept. 1722,* quaecumque fuerit clausula, sive *ex deductis, sive tamquam non repertus culpabilis, sive non molestetur, sive firmo remanente processu, sive alia melior:* non autem, quae fisco iam satisfactum esse decernit per clausulam *Ex quo satis ;* 4) *iniusti exilii ;* 5) *iniustae censurae,* quae adesse choro impediat, *Scarf. l. c. n. 38 ;* et si quid aliud est huiusmodi.

c) *Evidens Ecclesiae propriae utilitas,* i. e. vel Ecclesiae, in qua beneficiarius absens suum beneficium habet, *Reiff. De Cleric. non resid. n. 199,* vel ipsius Capituli, *Bened. XIV. l. c. n. 54;* quidquid contra statutum esse videatur in *Cap. Cum non deceat. 30 de Elect. in 6,* quod caput, nisi de extraordinariis distributionibus loquatur, iisque praesertim, quae testatorum voluntate nonnisi inter physice praesentes dividendae sunt, decreto Concilii Tridentini, *Sess. 24. c. 12. de Ref.,* abrogatum esse dicendum est.

Unde lucrantur distributiones, 1°. Canonici tum *Theologus* tum *Poenitentiarius,* vel qui eius loco deputatus est; tum qui animarum curam in eadem Ecclesia habent, cum ratione muneris sui abesse cogantur a choro, *Bened. XIV. l. c. n. 55; S. C. C. in Venusina 4 Dec. 1762. § In tribus; et in ead. 30 Iul. 1763 ad VI;* 2°. Canonici *assistentes* Episcopo pontificalia in ipsa civitate vel in eius suburbiis exercenti (quia hoc est onus capitulare iuxta decretum Tridentini, *Sess. 24. c. 12. de Ref.;* ex declaratione tamen S. Congregationis Concilii locum non habet si extra civitatem et suburbia; quod patet, secus deserere deberent residentiam), non autem privatim rem sacram facienti, *S. C. C. in Bosanensi Visit. ss. lim. 6 Febr. 1734. § Ad ineundam,* neque dioecesim obeunti, *Bened. XIV. l. c. n. 59;* 3°. Canonici ipsum Episcopum *in visitatione sacrorum Liminum comitantes,* vel eamdem visitationem Episcopi loco peragentes, *Bened. XIV;* 4°. qui pro Ecclesiae propriae servitio *pulsant organum* absque ullo stipendio, *S. C. C. in nullius Putignani 6 Maii 1741 ad 4. et in Ferent. 7. Iun. 1760. § Et haec;* 5°. ex peculiari privilegio Clementis XI, qui certis per annum diebus, in Regularium domibus spiritualibus exercitiis vacant tribus tamen sub conditionibus, i. e. ut adsit Episcopi facultas; ut non omnes simul id agant Canonici; ut extra tempus Adventus vel Quadragesimae aut solemniorum festorum idem fiat. *Bened. XIV. l. c. n. 63.*

Contra quia non agitur de utilitate Ecclesiae propriae, distributiones amittunt, dum muneri suo vacant, *Canonici,* qui Episcopo inserviunt iuxta *Cap. de Caetero de Cler. non resid.; S. C. C. in Venusina 30 Iul. 1763 ad I; Bened. XIV. l. c. n. 58;* Vicarius generalis, Examinatores Synodales, ministri Camerae Apostolicae, e. g. subcollectores spoliorum; Ministri S. Inqui-

sitionis, *Girald. P. 1. Sect. 358,* qui absunt studiorum caussa, *Girald. l. c. 387;* aliique huiusmodi.

d) *Indultum iubilationis,* ut supra.

Appendicis loco nonnihil addendum est de quaestione circa 3^m^. et 4^m^. speciem distributionum, utrum et ipsae exigi queant ab absentibus, cum aliqua ex praedictis causis praesto est. De qua quaestione licet diversae et fere contrariae habeantur S. C. C. resolutiones, haec nihilominus satis certe videntur posse pronunciari: *a*) Si obstet vel *fundatorum voluntas, S. C. C. in Bosanen. Visitationis ss. Lim. 6 Febr. 1734* § *Agendo sq.; in Segobrig. Indult. 9 Febr. 1765 ibi;* expressa voluntas, et in *Tarracin. Distribut. 30 Iun. 1804 ibi,* sive expressa sive praesumpta; vel *consuetudo* aut *statutum* Ecclesiae, *S. C. C. in Reatina Iubilationis 28 Apr. et 12 Maii 1770 et in Asculana Litt. a. post. 20 Nov. 1830 ad IV,* exigi omnino non posse; *b*) si ex iis, quae dicta sunt, nihil obstet, anniversaria fixa sive tertiam distributionum speciem, adde et fallentias absentium, i. e. augmentum distributionum quas absentes amittunt, posse exigi. *S. C. C. in Lauret. 11 Iul. 1744.* § *Haec et 2 Dec. 1775.*

Contra autem, quae sunt extraordinaria et adventitia, i. e. quartam distributionum speciem exigi non posse, *S. C. C. in dicta Reatina et Romana Iur. Canon. 5 Maii 1703;* multoque minus emolumenta, quae ob cadaverum associationem percipi solent. *S C. C. in Tarracin. Distribut. 30 Iun. 1804.*

II°. **Causae** vero **quae a chori servitio excusant quidem sed amissis distributionibus,** sunt sequentes:

a) *In genere* quicumque ex alia iusta caussa absunt ac illae, quae recensitae sunt, sive illa sit e. g. ex aliqua necessitate sive propria (excepta corporali de qua supra) sive aliena (ea excepta, quae est Ecclesiae propriae) sive sit ex Christiana charitate, sive etiam ex evidenti Ecclesiae vel alienae vel etiam universalis utilitate, *Girald. l. c. 358,* salvo semper apostolico Indulto, quod etiam distributiones percipere sinat.

b) *In specie* memoratu digna est caussa studiorum, quae licet iusta caussa sit, ut quis a chori servitio ea durante, per legitimum indultum liberetur, *C. Super specula De Magistris; Cap. Cum de divers. de Priv. in 6; Trid. Sess. 5. C. 1. de Ref.;* nihilominus a distributionum amissione non liberat, *C. Licet*

de Praeb.; Card. Petra ad Constit. IX. Bonif. VIII. n. 18. 19, atque insuper has requirit conditiones: 1°. ut non agatur de Coadiutoribus, *Girald. l. c. doct. 358;* 2°. ut indultum petens XXV. annum non attigerit, *id. l. c. arg. ex Decreto Inn. XII. 8 Maii 1693,* quod extat in eius Bullario parvo p. 262; 3°. ut eiusmodi indultum regulariter ultra quinquennium non concedatur, *C. Super specul. De Magistris;* imo in Ecclesiis Urbis regulariter non ultra triennium. *Cit. Decreto Inn. XII.*

321. *Declaratur 2m.* **Residentia Canonicis praescribitur,** *Trid. Sess. 24. c. 12. de Ref.,* ita: 1) ut per novem menses in eorum Ecclesiis residere debeant, nisi longius servitii tempus ipsarum Ecclesiarum constitutiones vel consuetudines, quae servandae sunt, exigant: minus vero servitii tempus reprobatur omnino etiam caussa statuti vel consuetudinis, utut immemorialis: quae ex uno Romani Pontificis indulto valet sustineri.

2) Unde ex *Trid. cit.* patet dari tres vacationis menses coalescentes ex 90 diebus continuis vel interpolatis, modo simul canonici non absint, α) ultra tertiam partem; β) neque Adventu, Quadragesima etc. ut de Episcopo diximus vel amplioribus anni festivitatibus.

3) Tenentur autem residere tum *materialiter* tum *formaliter. Materialis residentia* haec est, ut in ea civitate vel oppido, ubi extat Ecclesia, commorentur: *formalis* ut divinum officium persolvant in Ecclesia quisque sua, in choro, suo habitu, statis horis integrum. Poenae in absentes eaedem quae contra absentes a choro.

III. HONORES, PRAEEMINENTIAE, OFFICIA IN CAPITULO.

Summarium. — Ad onera 1) consequuntur iura, honores seu praeeminentiae; 2) nominatim recensentur, quae dicuntur dignitates et personatus, et quaedam officia in Ecclesia Cathedrali, e. g. Poenitentiarii et Theologi.

322. *Declaratur 1m.* Quoad iura et honores notandum, praeeminentias omnes, quae competunt capitulo, eas esse vel *ex iure* scripto, vel ex consuetudine, vel ex privilegio.

Quod attinet ad ius scriptum satis constat ex Decretalibus, ex Tridentino, ex Caeremoniali Episcoporum, quaenam honorificentiae atque praerogativae competant Capitulo Cathedralis Ecclesiae, quod cum sit *Senatus Episcopi,* ab omni contradistinguendum iuxta formam a sacris ritibus praescriptam. Hinc certum est, Cathedralis Capitulum, si collegialiter intervenit, praecedere semper Capitulum Ecclesiae Collegiatae ac Parochum et quemcumque alium Praelatum et Rectorem, quamvis qualificatum in propria Ecclesia. Excipe Vicarium Generalem Episcopi, qui habet praecedentiam super Capitulum. Ceterum in facti alicuius contingentia, inspiciendum est ius scriptum sacrorum canonum, praesertim Tridentini et Caeremoniale.

Quoad *consuetudinem* diligenter observandum, an vere ea adsit, ut Capitulo haec vel illa honorificentiae species exhibeatur: an ea fuerit legitime praescripta; an extendatur de casu ad casum, de loco ad locum, de persona ad personam; nam consuetudo est strictae interpretationis.

Quoad *privilegia,* plures horum vi aliquibus Capitulis competunt praeeminentiae: α) In his autem animadvertendum est: an ea fuerint deperdita vel per non usum vel per contrarium usum, vel per revocationem factam a legitimo superiore, vel per sententiam particularem propter abusum. β) Quod si ea subsistunt, per privilegium derogans iuri alterius, e. g. Episcopali, restringendum est quantum patitur proprietas verborum, quia non praesumitur Pontifex velle huic iuri derogare, nisi id expresserit: nec tale privilegium extenditur ad alios casus ob similitudinem.

Cuiuslibet Capituli ius est, 1) ut collegium efformare ac proprias constitutiones a Sede Apostolica vel ab Episcopo probatas, legitimasque habere consuetudines possit.

2) Ut iis exceptis in quibus subduntur Episcopo, iure gaudeant sibi proprio, quo regantur.

3) Potest proinde Capitulum celebrare quodlibet Canonicorum collegium: ad servandum enim amplificandumque cultum Dei atque ad rerum administrationem tuendam et moderandam, cogendi sunt Capitulares conventus, de quibus

communiter statutum est, ut non habeantur die festo, neque tempore, quo divina persolvantur officia.

4) Si qua difficilis deliberatio capitulariter expediri debet, opportunum erit, ut is, qui capitulum indicendi ius habet, significet et tempus, et quaenam ratio, vel causa conveniendi.

5) Ius convocandi Capitulum ad primam eiusdem dignitatem pertinet, atque haec facultas libera est et independens ab Episcopo, nisi agatur de rebus mensae episcopalis vel in quibus Episcopus iuxta sacros canones Capitulum audire tenetur.

6) In omnibus Capituli deliberationibus, praesertim in electionibus Capitularibus cuique servanda est libertas.

7) Quod *maior pars* Canonicorum congregatorum censuerit, illud firmum et decretum sit: e contra irritum prorsus quidquid statutum non sit hoc modo.

8) *Secretarius* Capituli acta diligenter excipiat, eaque libro suo referat.

Heic porro animadvertendum est ad illud quod dici solet, in actibus capitularibus *decisionem attendi maioris partis:* maior enim dicitur prae numero, et sanior prae consilio quod ex aetate, dignitate, prudentia et pietate aestimatur. Maioritas autem duplex est, absoluta nempe quoad omnes, et relativa quoad singulos; e. g. si inter votantes duodecim quibus nunc actu constet Capitulum, quinque pro Caio, quatuor pro Sempronio et tres pro Lucio suffragia ferunt, maioritas relativa est pro Caio. In decisionibus Capitularibus maioritas absoluta requiritur, h. e. decisio capitularis debet habere maiorem suffragiorum partem relate ad omnes praesentes, qui saltem duas tertias Canonicorum omnium partes regulariter efformare debent. Hinc si Canonici, e. g. sint octodecim, duodecim debent esse praesentes in Capitulo, et septem saltem debent in unum convenire, quae pars sanior esse etiam semper praesumitur, nisi de contrario constet: atque ita decisio dicitur efficax. Quod si sermo esset de iis, quae Canonicis non ut Collegio, sed ut singulis competunt, e. g. aliquid conferre ex proprio patrimonio vel aliquam liberalitatem sine causa necessitatis aut pietatis facere ex bonis aliis ecclesiasticis sibi obvenientibus, non sufficeret maioris aut sanioris partis decisio, sed con-

sensus omnium necessarius foret iuxta *Reg. 29. Iur. in 6: Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.*

Diximus duas Collegii partes *regulariter* praesentes esse debere: nam id non habet locum, cum iidem Canonici vocati ad Capitulum iniuste accedere recusent, aut cum accedere nequeant, quia sic recusantes se faciunt a Capitulo alienos, *C. 19. de Elect.,* et impotentia aliquorum non debet aliis et Ecclesiae obesse. Sic hisce in casibus, ubi tres tantum Canonici praesentes essent, deliberare possent, quin imo ubi duo vel etiam unus, in quo Capitulum adhuc subsistere censetur, *Scarfant. ad Ceccoperium l. 4. t. 2. n. 16;* nam licet Capitulum non possit ab uno inchoari, quia tres saltem ad Capitulum efformandum requiruntur, ab *uno* tamen *conservari potest.*

Tandem 9) *ad Capitulum omnes sunt invitandi canonici vocales,* qui in ordinariis capitulis, diebus statutis, habendis, vocantur tacite, cum dies interpellet pro homine: *nominatim* vero vocandi sunt cum de extraordinariis, atque maioribus agatur negotiis: atque etiam absentes ab urbe, modo in provincia reperiantur, praesertim cum res sit de alicuius beneficii collatione, de cessatione a divinis, de alienatione bonorum Capituli, de electione Vicarii Capitularis et huiusmodi..., vel si adest consuetudo. *Reiff. in tit. de Iis quae fiunt a maiore parte* etc. Dixi *nominatim,* quin unquam quis contemnatur sive illum non vocando, sive positive inhibendo ne ad Capitulum accedat vel unus ex illis qui vocem habent in Capitulo seu in sacris constituti sunt. Aliter enim, si vel unus per contemptum non vocetur, Capituli sententiam vel evertere valebit, si repugnet, vel magis eam confirmare, si ratam habeat.

In specie *Canonici Ecclesiae Cathedralis ius* habent ut in iis, in quibus sacri canones disponunt ab Episcopo consensum vel consilium Capituli requirendum esse, hoc munere ab Episcopo non priventur. Etsi in conventibus Capitularibus non possit Episcopus adesse, aut si adesset ob consuetudinem, nullum suffragium ferre in re ad Capitulum spectante; tamen, si agatur de re ad dignitatem episcopalem pertinente, ius habet Capitulum convocandi, eique praesidendi. Patet autem posse Episcopum exigere a Capitulo observantiam legum canonicarum; singulos capitulares iudicare et punire: contra autem ipsum

Capitulum universum interdicti poenam infligere, si exemptum non sit: quod si sit exemptum, procedet iuxta Tridentinum *Sess. 25. C. 6. de Ref.*

323. *Declaratur 2m.* **Praeeminentiae et officia praesertim Cathedralis Ecclesiae.**

I. **Praeeminentiae** in Capitulo appellantur Dignitates, Personatus et Officium, quae saepe promiscue accipiuntur; stricte tamen loquendo in eo differunt quod, 1°. *Dignitas* est honoris praerogativa cum iurisdictione in foro externo; 2°. *Personatus* est honoris praerogativa sine iurisdictione, ita ut qui personatum habent, ratione huius praerogativae alios praecedant in choro, processionibus et similibus; 3°. *Officium* est administratio rerum ecclesiasticarum sine honoris praerogativa et sine iurisdictione, quale officium habere dicuntur custos, thesaurarius...

II. Dignitates non uno eodemque nomine, sed singulae suo proprio vocantur. Vocari autem solent archidiaconus, archipresbyter, praepositus, decanus, abbas, prior, primicerius, cantor, scholasticus, cappellanus magnus, custos, sacrista..., ex quibus de iure communi dignitates dicuntur tantum archidiaconus, archipresbyter.

III. Quae autem et quot in hac vel illa Ecclesia sint dignitates dignoscitur ex institutione et fundatione Ecclesiae, ex auctoritate Ordinarii, ex voluntate testatoris per legitimam auctoritatem confirmata, et ex consuetudine... Alibi archidiaconus dicitur prima dignitas, alibi secunda: in aliis Ecclesiis prima dignitas est archipresbyter, in aliis decanus. Usus et consuetudo ecclesiarum te plura docebit.

IV. Etsi olim prima dignitas esset praeeminentia *cum iurisdictione,* ut archidiaconatus; tamen hodie, revocata ad Episcopum fere omni iurisdictione, praeter primas in choro sedes atque alia honorifica iura, i. e. in sacris omnibus praecedere functionibus, horis canonicis, ad conventus Capitulares Canonicos collegas vocare... tamen *nulla iurisdictione* gaudent huiusmodi dignitates, ideoque *ventosae* et *inanes dignitates* a canonistis appellantur. Quod dum dicimus, nolumus concludere hoc tempore veras dignitates non esse eas, quae hoc nomine in Ecclesiis, praesertim Cathedralibus, adhuc insigniuntur. Ex praxi enim ceu verae dignitates habentur, tum eae quae

olim iurisdictionem habuerunt adnexam, tum quae ex statuto vel consuetudine ut tales admittuntur. Has certo agnovit Tridentinum, *Sess. 24. c. 12,* ubi ait: « Quum dignitates in Ecclesiis, praesertim cathedralibus, ad conservandam augendamque ecclesiasticam disciplinam fuerint institutae, ut qui eas obtinerent, pietate praecellerent, aliisque exemplo essent, atque Episcopos opera et officio iuvarent; merito qui ad eas vocantur tales esse debent, qui suo muneri respondere possint ».

V. Dignitates Cathedralium non sunt de gremio et corpore Capituli, quod per solos Canonicos constituitur: nisi ex consuetudine vel statuto Ecclesiae vocem habeant in Capitulo.

VI. Iura et privilegia dignitatum ex dictis patent, scilicet, etiam ubi non sunt de Capitulo, antecedunt Canonicos tum in choro, tum in processionibus, tum in aliis actibus extra Capitulum. Si sint de Capitulo praecedunt etiam in actibus capitularibus. Ad primam Dignitatem spectat, *a*) impedito Episcopo, exercitium functionum, quae dicuntur pontificales, sive sint sive non sint de Capitulo, adeo ut neque Vicarius Generalis Episcopi, neque Vicarius Capitularis praedictas functiones sibi possint usurpare. In iis autem functionibus (quibus diebus *cf. S. R. C. decret. 3 Dec. 1672. et 9 Sept. 1883*) nequit prima Dignitas aliquem sibi substituere: quia si ipsa vel nequit, vel nolit, functiones illae de iure pertinent ad eum, qui proxime succedit ratione dignitatis; *b*) Episcopo solemniter celebranti ad ipsam spectat fungi officio presbyteri assistentis; *c*) Episcopo tandem aegrotanti 1^a. dignitas Viaticum defert; atque illius mortui funera celebrat. *Caer. Episc.*

VII. Obligationes etiam patent ex dictis. 1. Quotidie choro interesse, et deficiens punctari debet sicut alii omnes; 2. alta voce psallere debet, et suo exemplo alios ad psallendum excitare. Ipsi porro tribuenda omnia errata et malefacta ceterorum, si de iis eos arguere negligat.

Prima dignitas pro diversa Ecclesia diverso nomine nuncupatur: alibi enim est archidiaconus, alibi archipresbyter, alibi praepositus vel decanus. Ubi dignitates non habentur, primus seu senior inter canonicos officio eius fungitur. Prima dignitate aut seniore Canonico defuncto, impedito vel absente, se-

quens ei succedit, quâ opus est, et statuta Ecclesiae constituunt.

VIII. In specie 1) Archidiaconatus prima post episcopalem est dignitas: et amplissima olim fuit Archidiaconorum potestas, adeo ut oculus Episcopi diceretur. *C. 1. de Off. Archidiac.* Tanta archidiaconorum auctoritas beneficio erat adnexa, unde *Vicarii nati* dicerentur: nec eam amitterent, nisi beneficio ipso amisso, atque adeo inamovibilis illa et perpetuo durans etiam post mortem Episcopi. Distinctum ab Episcopo tribunal habebant, ut ab ipsis ad Episcopi tribunal appellaretur. *Cap. Romana 3. de Appell. in 6.*

Hanc porro amiserunt Archidiaconi ob propriam avaritiam, superbiam et elationem contra Episcopos, quam amissionem modo expresse, modo tacite Concilium Tridentinum approbavit. *Sess. 24. c. 3. 18. 20. de Ref.; Sess. 23. c. 7.*

Nunc archidiacono competit ius assistendi Episcopo generales ordinationes celebranti, et ordinandos vocandi, sive ipse sit prima, secunda aut alia dignitas. *Clem. VIII. Ex quo in Eccl. Dei.* Petit quoque archidiaconus, dum diaconos et presbyteros ordinandos praesentat, utrum sciat illos dignos esse, quod ipse affirmat, licet illorum examini non adfuerit, nec adesse debeat.

2) *Archipresbyter* est sacerdos ceteris presbyteris praepositus, iurisdictione quidem inferior, ordine vero maior archidiacono, archipresbyter dictus, quia primus est presbyterorum reliquisque praeest.

3) *Decanus* ille est, qui decem praeest viris; et praescindendo a numero is dicitur, qui inter aliquos eiusdem ordinis vel status primas tenet, aut iisdem praeficitur.

4) *Praepositus* regulariter dicitur ille, qui aliquibus praefectus est, et ex usu in pluribus capitulis prima dignitas praepositus est.

5) *Primicerius* quasi primus in officio, in quo constituitur, in quibusdam capitulis etiam dignitas dicitur et quandoque etiam prima appellatur.

6) *Scholasticus* erat, qui pueros literas, artes ac disciplinam docebat eosque in bonis moribus instituebat: scholasteria

olim simplex erat officium; at postea in titulum beneficii ac dignitatis constituta fuit. *Trid. Sess. 23. c. 18. de Ref.*

7) *Cantor* etiam in pluribus Cathedralibus dicitur dignitas: ad ipsum spectat dirigere chorum in iis, quae sunt dicenda et cantanda; distribuere lectiones, prophetias et similia. At communiter inter officia recensetur; de quibus iamnunc.

Inter **officia** omnibus Canonicis communia recensentur sequentes: 1°. Tenentur α) Canonici Episcopum revereri, eumque associare, cum accedit et recedit ab Ecclesia; β) Comitiis capitularibus interesse, nisi legitime excusentur, quod etiam tunc evenire potest cum omnia in Capitulo sine lege, sine ordine et sine modo geruntur.

2°. Ecclesiae Cathedralis Canonici tenentur infra duos menses, a die adeptae possessionis praebendae, coram Episcopo et Capitulo fidei professionem personaliter emittere, alioquin fructus praebendae ipsi ius amittunt. Hoc porro onus Collegiatae Canonicis et Dignitatibus a iure communi non imponitur, nisi gerant curam animarum.

3°. Canonici Ecclesiae Cathedralis, cum sint Consiliarii nati Episcoporum, quoties Episcopus eos in consilium suum adhibet, tenentur suam edere sententiam: et culpa non caret, qui reticet, aut sententiam suam non palam promit, tametsi praevideat ab Episcopo respuendam. *Bened. XIV. de Syn. XIII. 1. 7.*

4°. Denique, *in specie* Canonici tenentur munia seu officia quisque sibi decreta subire, ne Vicario Capitulari quidem excepto. Cetera inter notandum: *a*) officium canonici theologi est sacram Scripturam interpretari singulis diebus festis, nec minus quadragies per annum, quo loco (modo publico et laicis patenti), qua hora et super qua parte eius censuerit Episcopus. Ac demum per se non per alium, nisi Episcopo ex iusta causa permittente: et si forte ipse sit iubilatus, aut decrepitus, aut infirmus, Episcopus ei alium substituet. *b*) Canonici Poenitentiarii officium est, confessiones dioecesanorum, quasi Episcopi loco, excipere his solum diebus et horis, quibus chorus agitur. Verum in Quadragesima, Adventu, quatuor temporibus et maioribus anni solemnitatibus, necesse habet adesse mane in Confessionario, etsi non vocatus. Vacat mensibus conciliariis, exceptis diebus, quibus poenitentes frequentiores

ad confessionem accedere solent. Dum autem confessiones audit in Ecclesia, et ipse, quasi revera praesens, lucratur distributiones etiam fortuitas. *Cf. D'Annib. Summ. v. 3. § 491. 492.*

Utrumque officium prout nunc obtinet, Tridentina Synodus statuit. Nam in *Sess. 5. c. 1. de Ref.*, « ne coelestis ille ss. librorum thesaurus, quem Spiritus Sanctus summa liberalitate hominibus tradidit, neglectus iaceat », statuit et decrevit, quod in illis, in quibus praebenda, praestimonium..... pro lectoribus sacrae theologiae deputatum reperitur..... Episcopi eos, qui praebendam obtinent ad ipsius sacrae Scripturae expositionem et interpretationem per seipsas, si idonei fuerint, aut per idoneum substitutum ab ipsis Episcopis.... eligendum.... cogant et compellant. De cetero vero praebenda, praestimonium aut stipendium huiusmodi nonnisi personis idoneis, et quae per seipsos id munus explere possint, conferantur, et aliter facta provisio nulla sit et invalida etc. Ut scilicet fideles ab haereticorum fallaciis (praesertim quoad sacras Scripturas interpretandas) facilius arcerentur, atque divinarum literarum sufficientem haberent notitiam, Synodus Tridentina praecepit in Ecclesiis Metropolitanis vel Cathedralibus, atque etiam in alicuius insignis oppidi Collegiatis, praebendam primo vacaturam, praeter quam ex causa *resignationis* aut incompatibilitatis, destinandam esse ad hoc, ut aliquis specialiter deputatus inter Canonicos haberetur, qui clero et populo christiano sacras Scripturas explicaret. Hic audit *Canonicus Theologus,* qui eiusmodi munus habere nequit, nisi Doctor sit in sacra Theologia, aut huius Lauream intra annum suscipiat.

Porro officium *canonici Poenitentiarii* constituit eadem S. Synodus *Sess. 24. c. 8. de Ref.;* ibi enim iubet instituendum esse ab Episcopo Canonicum, qui magister sit vel Doctor aut licentiatus in sacra Theologia, vel in iure canonico, aetate XL. annorum, vel aptior sit pro loci qualitate, qui peculiari munere, fidelium confessiones excipiat. Benedictus XIV. *Const. Cum illud (penes Lucidi de Visitat. ss. Lim. ed. 1883)* statuit tam in Italia, quam in insulis adiacentibus theologalem et poenitentialem praebendam, nonnisi *per concursum* esse conferendam. Mitto cetera officia, e. g. *Primicerii,* qui est primus in officio in quo constituitur, nisi alicubi sit dignitas, *tit. 25. l. 1. De-*

cretal.; Cantoris, sive qui praeest choro psallentium et scholae cantorum; *Sacristae,* qui *tit. 26.* dicitur sacellanus a parvo sacco, putant aliqui, in quo ecclesiasticas pecunias secum ferebat: hinc pluribus in Ecclesiis Thesaurarius erat et Cimemiliarcha a loco praesertim, in quo vasa et vestes sacrae ceteraque ad ministerium ecclesiasticum supellex reponitur et asservatur, sacrarium inde dictum et sacrista, qui huius loci thesauri custodiam habeat: mitto officium *Custodis,* qui *tit. 27.* ad custodienda cetera et minus pretiosa Ecclesiae utensilia deputatur.

Coronidis gratia aliquid addendum *a*) circa Canonicos supranumerarios et *b*) circa canonicatuum collationem.

Ad 1^m. quod spectat: Canonici ultra numerum pro Capitulo adsignatum admissi, vocantur supranumerarii: quorum duplex est species, altera eorum, qui ad simplicem honorem sine praebenda et sine expectativa admittuntur in Canonicos: et ideo honorarii nuncupantur. Dixi sine expectativa quae erat in usu constituens 3^am. speciem supranumerariorum ante Tridentinum: sed per hoc Concilium deinceps abrogata est. *Sess. 24. C. 19.* Romae, in Germania, Italia, Gallia aliisque regionibus viget usus Canonicos honorarios creandi doctrina et meritis insignes. Canonicus honorarius vocem non habet in Capitulo, neque ad cetera ius habet, praeterquam ad nominis praerogativam et insignia honorifica. Quos tamen honoris titulos ut *suis* raro, caute, et nonnisi probatissimis et optime de Ecclesia meritis concederent Episcopi, mandavit Sacra Cong. Conc. *16 Sept. 1884; alienis* vero nullum unquam conferant honoris signum inscio et invito Ordinario.

Altera species Canonicorum supranumerariorum est eorum, qui in Capitulis numeratis, ultra numerum antiquum, mediante fundatione et erectione *novae praebendae* recipiuntur in Canonicos. Dicitur *Capitulum numeratum* tum, cum per statutum determinatus ita fuit numerus Canonicorum, ut neque minui neque augeri possit. Quod fit *a*) vel ab ipso Pontifice Romano; *b*) vel ab Episcopo de consilio capituli; *c*) vel a diuturna consuetudine, determinante numerum Canonicorum et irritante augmentum. *Barbos. de Canon. C. 3.*

Quoad 2^m. Vidimus supra ad Episcopum simul et Capi-

tulum regulariter pertinere collationem canonicatuum et Dignitatum: modo ex regulis Cancellariae Romano Pontifici non sit reservata. In hac simultanea collatione aequale est ius Episcopi et Capituli: cuius iuris exercitium, vel vocum aequalitas ad vitandam confusionem in praxi, dividi posset ita, ut per alternas vices collatio fiat ab Episcopo vel Capitulo.

TITULUS XXIV.

DE CONCILIIS OECUMENICIS.

NOTIO, PARTITIO, OBIECTUM.

Summarium. — *a*) Concilii notio, partitio, *b*) obiectum indicatur Concilii Generalis.

324. *Declaratur 1^m.* Suis in sedibus manentes singuli Episcopi in suas solum particulares Ecclesias potestatem habent, ideoque singuli ab aliis seorsim, et independenter operantur: at in Synodum collecti *a*) conferunt simul operationes, consilia et suffragia ut ex omnium actibus unus actus fiat; *b*) nec solum in suam Ecclesiam potestatem exercent, sed vel in universam provinciam, si s. Synodus est provincialis, vel in totam Ecclesiam, si Synodus sit oecumenica. Haec porro collatio omnium actionum in unam, licet ab Episcopis manentibus in suis sedibus haberi possit, tamen ordinarie cum simul coeuntes Episcopi sua consilia sibi invicem communicant, atque suffragium ferunt, tunc plenius et efficacius obtinetur id, quod quaeritur. Ex modo dictis patet duplex esse concilium, generale unum et provinciale alterum: cui addenda est tertia congregatio sive conventus, Episcopi nempe cum suis Clericis dioecesanis, et appellatur Synodus dioecesana. Et nos agemus de Conciliis oecumenicis; de Conciliis provincialibus; de Synodis dioecesanis.

Ex **notione** autem, quam tradere solent Doctores, e. g. *Devoti Instit.* § *38*, patet agendum nobis esse de obiecto Conciliorum generalium, de personis, quibus ea coalescunt, de partibus, quas eaedem personae implere possint, de Concilii

firmitate ac legitimitate, atque tandem de ordine in ipsis servando. Nam haec est notio : « *Generale Concilium illud est, ad quod omnes, qui possunt seu Ordinarii Ecclesiae Episcopi, aliique, quibus ex privilegio competit, Romani Pontificis auctoritate vocantur, ad Ecclesiae negotia, una cum eo, cum deliberandi facultate agendo* ».

325. *Declaratur 2^m^*. Ad **obiectum** Conciliorum generalium quod spectat, ecclesiastica sunt negotia, quorum scilicet universae Ecclesiae interesse potest. Hinc *a*) iusta causa ea convocandi est Ecclesiae necessitas, sive ea pertineat ad eiusdem incolumitatem servandam, sive ad bonum augendum ; atque *b*) adeo perperam a nonnullis affirmatum est, citra casum haereseos convocari Concilium generale non posse ; cum absurdum sit in ceteris necessitatibus, quae absque Concilio, neque satis plene, neque satis commode depelli valeant, hoc praecise Ecclesiam opportuno remedio privari.

QUAE PERSONAE AD CONCILIUM OECUMENICUM VOCANDAE.

Summarium. — Personae, quibus coalescunt Concilia oecumenica, duplicem in classem sunt distinguendae : 1) in eorum, qui proprio ac nativo iure, i. e. Episcopi Ordinarii, 2) et in eorum qui ex privilegio eisdem intersunt, quales sunt alii quotquot Romanus Pontifex admittere solet.

326. *Declaratur 1^m^*. Quod debeat distingui haec duplex classis, ipsum discrimen inter ius proprium et nativum ac ius participatum ex alieno beneficio, ex privilegio, exigit.

Quod **Episcopi ius habeant proprium et nativum** prob. 1) singuli Episcopi catholici id habent proprium prae ceteris fidelibus, ut sint magistri authentici verique iudices, etsi non supremi in causis fidei : ergo ipsi ius habent ut convocentur in conciliis et definiant. Prob. *consequens* : nam definire ea, quae agenda et credenda sunt, est munus proprium pastorum, quales sunt Episcopi, ipsique sunt ii, qui ex divina institutione Ecclesiae regimen constituunt, et idcirco Ecclesiam universam iuridice repraesentant. Unde potest quidem Pontifex abstinere a Concilio oecumenico evocando : si tamen illud evocare vult, debet Episcopos omnes convocare : *omnes,*

inquam, ut oecumenicum sit; et ceteroquin par est in unoquoque ius ad illud.

2) Ex effato celeberrimo Concilia non fiunt nisi Episcoporum.

3) Ipsi sunt Rectores Ecclesiarum suarum, iurisdictionem ordinariam in Ecclesia obtinent, licet nondum consecrati. « *Quos Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei* », scilicet ius habentes docendi et cogendi. Dixi *licet nondum consecrati*, quia iurisdictio, h. e. ius docendi et regendi, non per consecrationem proprie obtinetur, sed per missionem Romani Pontificis.

4) Id exigit quoque ratio Concilii, qua oecumenicum. Nam spectari potest ac debet, quatenus oecumenicum est ratione habita oecumenicitatis seu repraesentationis iuridicae totius Ecclesiae per omnes Pastores et Doctores eius. Et licet Romanus Pontifex Ecclesiam iuridice repraesentet; unde est et dicitur Pastor oecumenicus: Concilium tamen Oecumenicum dicitur, in quo per omnes alios quoque legitimos Pastores et authenticos Doctores Ecclesia iuridice repraesentatur. Concilium enim unionem plurium dicit, unde illud vocatur oecumenicum, quod coalescit his omnibus, qui Ecclesiam universam possunt iuridice repraesentare, sed Pastores et Doctores... sunt soli Episcopi.

327. *Declaratur 2^m^*. I) Ex **privilegio** Romani Pontificis et **consuetudine,** eius auctoritate inducta, vocantur quoque ad Concilium cum iure suffragii decisivi: 1) Cardinales, quippe qui consilio et industria sua iuvant Romanum Pontificem in regimine totius Ecclesiae; 2) Generales Ordinum Regularium; 3) Abbates consecrati et habentes iurisdictionem, quia hi Episcopalis iurisdictionis participationem obtinent. *Cf. Bellarm. de Conc. l. 1. c. 15.* II) Exemplo Concilii Tridentini et Vaticani: in quibus patet rationem, qua praesertim tum Abbates tum Praepositi Generales Ordinum Regularium admissi sunt, eam fuisse ut pars illa in concilio repraesentaretur, cui praesunt. *Cf. Cecconi, Storia del Concilio Ecum. Vatic. p. 1. t. 1. l. 2. c. 1. a. 1.*

QUAE PARTES COMPETANT PATRIBUS CONCILII OECUMENICI.

Assertum. — Partes autem, quae eisdem in Concilio competant, 1) **duae sunt legislatorum et iudicum, quas quidem unusquisque exercet non in eam tantum fidelium partem, quae sibi commissa est, sed in Ecclesiam,** 2) **universam sive iure ab universae Ecclesiae Primate communicato, sive quoad Episcopos iure proprio supposita divina Conciliorum institutione. Quorum veritas ac natura in eo sita est, quod** 3) **singuli auctoritate propria (sive communicata ea sit a Romano Pontifice, sive divinitus delata), leges ferunt ac sententias dicunt, atque universos fideles obligant.**

328. Triplex est pars asserti: 1. quod sint iudices et legislatores; 2. exercentes potestatem in universa Ecclesia; 3. propria auctoritate iudicantes aut decernentes.

Declaratur 1ª. pars. Vidimus supra ipsos singulos in sua dioecesi esse legislatores, authenticos magistros, et iudices. Atque eamdem potestatem seorsim independenter a ceteris exercere. At in Synodum collecti 1. conferunt simul operationes, consilia et suffragia, ut ex omnium actibus unus fiat actus; 2. non solum in suam Ecclesiam, sed in unam Provinciam, si Synodus sit provincialis, vel in universam Ecclesiam, si Synodus sit oecumenica: porro haec collatio actionum, consiliorum, suffragiorum in unam actionem, per se obtineri potest ab Episcopis etiam manentibus in suis sedibus ac esset proin Synodus aequivalens quoad partem formalem: tamen plenius et efficacius talis collatio haberi potest ordinarie cum simul coeuntes Episcopi sua consilia invicem sibi communicant, suffragiumque ferunt. Unde Episcopi coacti in Synodum differunt tum ratione actionis, quae una est in universam vel partem Ecclesiae, tum ratione potestatis, quae eiusmodi actionis principium est.

Iamvero existentes in Concilio sunt veri Iudices non meri consultores. Nam ius illud non amittunt Congregati, quod ex munere suo habent singuli in suis Ecclesiis, imo ex coniunctione cum supremo Capite, ius illud potius perficitur, quatenus ampliatur eius extensio. Sunt utique iudices inferiores,

a quorum sententia appellari potest: sed hoc non aufert rationem iudicis, quamvis gradum auferat iudicis Supremi.

Quatenus autem in Concilio una cum Pontifice Summo iudicant, decernunt, **veri iudices** sunt, **veri legislatores.** Nam sententia Concilii ut talis, semper habita fuit ut legislatoria et iudicialis; atqui sententia Concilii seu conciliaris non habetur, nisi universitas vel maior aut sanior pars Episcoporum quoque consentiat. Nam etsi Romanus Pontifex ex se solo possit definire, aut legem condere; nequit tamen, ut decretum Conciliare, id proponere, *nisi sacro approbante Concilio:* tum ex rerum naturis, quia sententia conciliaris supponit concilium seu coetum plurium. Ergo cum sententia conciliaris sit iudicialis et ad conciliarem requiritur consensus dictus Episcoporum, hic erit iudicialis et legislatorius: atqui hic consensus talis esse nequit, nisi Episcopi sint iudices et legislatores, quatenus in Concilio sunt, seu conciliariter agunt.

329. *Declaratur 2ª. pars.* Episcopi ideo in Synodum oecumenicam adunantur, ut **leges ferant in universam Ecclesiam** sive quoad fidem et mores, sive quoad rem vere disciplinarem. Nam, ut supra vidimus, non singuli ferunt legem, aut decreta condunt pro suis Ecclesiis, sed omnes simul ad unum actum concurrentes, legem aut decretum sanciunt pro universa Ecclesia: ergo unus est actus Conciliaris, qui immediate refertur ad universam Ecclesiam. Ad hoc enim vocantur ex omnibus provinciis Episcopi, ut potestas suprema exseratur in actum quatenus vel obliget universam Ecclesiam, vel aliquam partem eius semper peremptorio modo: sed potestas peremptoria et inappellabilis in aliqua societate de se est in universam illam societatem. Ergo.

330. *Declaratur 3ª. pars.* **Propria auctoritate id officium iudicis et legislatoris exercent.** Nam actus conciliaris sive decretum sit disciplinare, sive definitio quoad fidem et mores, est actus potestatis legiferae, est actus auctoritatis docendi et iudicandi in causis fidei, docendi scilicet fideles et sententiam iudicialem ferendi erga ipsos fideles; sed Episcopi hanc habent auctoritatem, ac proinde vere definiunt, quamvis in se et seorsim spectati seu praescindendo a Romano Pontifice non peremptorie. Cum vero concipiuntur in Concilio simul docere

cum Romano Pontifice, et ab eo assumantur in consortium suae supremae auctoritatis, suffragium eorum dupliciter considerari potest, *absolute,* scilicet secundum proprium valorem, quem habent propter propriam auctoritatem singulorum etiam simul sumptorum, et *relative,* prout est elementum unius definitionis, decreti, confirmationis universalis, quae est definitio et confirmatio conciliaris. Primo modo spectatum eorum suffragium est definitio incompleta confirmans confirmatione authentica, sed nondum irreformabili, doctrinam: Si sumatur secundo modo: quoniam uniuntur simul cum Romano Pontifice, et ex omnibus simul existit actus definitionis conciliaris, quae peremptoria est, Episcopi omnes una cum Romano Pontifice definiunt peremptorie, quia vere sunt cum ipso causa illius unius actus, qui est definitio Conciliaris: ergo Episcopi definiunt vere auctoritate: seu si definitio generice spectetur; at si specifice sumitur pro peremptoria definitione, ita quoque definiunt, quatenus simul docentes et decernentes cum Romano Pontifice edunt cum eo actum, qui est definitio irrefragabilis et peremptoria.

331. Scholion. Dictum est supra supposita divina Conciliorum institutione. Haec enim est retinenda sententia, quatenus etsi non asserantur Concilia ex iure divino praecipiente rem necessariam absoluta necessitate et orta ex ipsa Ecclesiae Constitutione, tamen ex iure divino suadente et consulente rem utilem, aut praecipiente rem necessariam in quibusdam adiunctis, necessitate orta ex ipsis adiunctis, ut fini prudenter provideatur. Hac in re distinguenda est Concilii substantiae institutio a modo non pertinente ad ipsam substantiam, et tempore, quo celebrantur Concilia: sed nil ex scriptura et traditione extundi potest, quod certa quaedam tempora determinet ad celebranda Concilia. Ergo.

Quoad substantiam affirmandum est omnino divinae institutionis. Nam oecumenica Concilia 1) fuerunt semper praecipuum medium gubernandi Ecclesiam, uti semper habitum est in universa Ecclesia; quoniam, dicit Bellarminus, « semper fuit in Ecclesia Dei consuetudo, ut ad res dubias explicandas Concilia Episcoporum haberentur ». Atqui absonum videtur, quod Deus non revelaverit praecipua saltem media guber-

nandae Ecclesiae. 2) Per verba *quaecumque alligaveritis* videtur Christus instituisse iudicium coetus Episcoporum in iis, quae ad Ecclesiam pertinent. Nam verba *Quodcumque etc.* dicunt auctoritatem supremam collatam Petro: ergo a pari. 3) Concilium oecumenicum est subiectum infallibilitatis in docendo, sed cui competat infallibilitas, aliunde peti nequit, quam ex Christi promissionibus.

DUAE CONDITIONES A PATRIBUS IN CONCILIO OECUMENICO SERVANDAE.

Assertum. — Eorumdem exercitium duplici conditioni alligari sive ex ipsa rei natura, sive ex divina Ecclesiae constitutione; i. e. *a*) **ut in iudiciis fidei, quae natura sua varia esse non potest, secundum rem iudicatam, si qua forte praecesserit, sive alterius Concilii, sive solius Romani Pontificis, non autem contra illam iudicandum sit;** *b*) **ut cum Romano Pontifice, sine quo Ecclesiae corpus truncum et acephalum est, Concilii Patres in sententiis ac legibus ferendis coniuncti esse debeant, ita ut illae eiusdem confirmatione indigeant, ut firmae sint ac legitimam habeant exequutionem.**

332. *Declaratur 1^m^.* **Prima conditio est ut iudicent secundum rem iudicatam, si qua forte existat.** Ante omnia fac distinguas *duplex examen dubitativum et comprobativum:* illud incipit a dubio rei supponens rem, qua de agitur, esse dubiam, et ignoratur verane sit an falsa, unde examen eo spectat, ut veritas rei, si est, innotescat. Comprabativum rem ipsam supponit certam, sed motiva inquirit, ex quibus res fiat clarior aut certior: unde incipit non a dubio rei, sed a dubio de existentia aliorum motivorum, vel de qualitate aut de natura eorum; sed hoc secundo tantum examine uti possunt Patres in Concilio cum sententiam ferunt, quoad rem iam iudicatam, si qua forte praecesserit, sive alterius Concilii sive unius Romani Pontificis ac de fide agitur, ita ut secundum, non contra illam, iudicent: 1) si enim definitio Concilii oecumenici aut Romani Pontificis ex Cathedra loquentis ex se est infallibilis ac proinde irreformabilis, repugnat ut de ea amplius liceat dubitare.

2) Leo M. ad Theodoretum asserit, Episcopos in Concilio oecumenico Chalcedonensi ius habere examinis circa rem ab ipsis definiendam, et hoc examen esse non dubitativum, sed comprobativum. Nam *ep. 93. ad Patres Chalcedonenses,* et praesertim *ep. cit. ad Theodor.* ait: « quae nostro prius ministerio definierat Deus, universae fraternitatis irretractabili firmavit assensu »; quod praedicatum *irretractabili,* Leo tribuit non doctrinae ab Episcopis traditae, sed eorum assensui, quod tunc assensus est irretractabilis cum doctrina, cui adhaeret mens, iam est ex se irrefragabilis, ideo scilicet irretractabili firmanda assensu, quia est in se irretractabilis, h. e. non amplius tamquam dubia tractanda; eam definivit Deus. Ergo.

3) Idem servatum est in pluribus Conciliis, a quibus actum est illud idem, quod antea ab aliquo alio actum fuerat. Sic definitum fuerat in Lugdunensi II. Spiritum Sanctum a Patre Filioque procedere; Romanum Pontificem in universum Orbem tenere primatum, quod hoc idem definivit Concilium Florentinum.

333. *Declaratur 2^m^.* Definitio aut decretum Concilii oecumenici est actus supremae iurisdictionis in Ecclesiam, et Magisterii universalis, cui tota Ecclesia necessario parere debet, quod in Episcopis sine coniunctione cum Romano Pontifice nullatenus constituunt supremam iurisdictionem, imo haec tota residet in uno Romano Pontifice. Ergo. *Cf. Palmieri th. 25. n. II.*

ERROR IN HAC RE FEBRONIANORUM.

Assertum. — Quod ex dictis consequitur, perperam a Febronianis asseri eiusmodi conditionibus, utramque potestatem et legislatoris scilicet et iudicis ab Episcopis abrogari, concilia autem inutilia effici.

334. *Declaratur.* Quandoquidem sub utraque conditione semper verum est, Episcopos auctoritate propria leges ac sententias ferre, ac fideles obligare, adeoque veros iudices ac legislatores esse: sua vero cum Romano Pontifice concordia et consensu efficere, ut melius comprimatur pravorum contumacia, debiliumque infirmitati consulatur: unde manifeste Conciliorum utilitas ac necessitas apparet.

Imo α) quoad primam conditionem rei iudicatae in iudiciis fidei servandae, Febronianorum assertio non modo ecclesiastico, verum etiam civili iure erronea est; quandoquidem eadem conditio etiam in civilibus iudiciis servari debet. *L. 1. Ex quibus causis maiores XXV. annis, ibique Glossa. Cf. Palm. n. X. Th. XXVII.* 1°. Episcoporum actus consequens, idem manens quoad substantiam, potuisset praecedere; quod si fuisset tunc actus iudicialis, erit etiam nunc. 2°. Episcopi instituto examine causam cognoscunt *a*) ex auctoritate, quam habent custodiendi, vindicandi et docendi fidem; *b*) ex eadem auctoritate extensa quidem per Pontificem ad universam Ecclesiam, attamen ipsis, quoad certam partem gregis propria, et per quam iure divino idonei sunt ad hanc amplitudinem auctoritatis accipiendam, sententiam ferunt, doctrinamque confirmant cum Romano Pontifice: et *c*) ex eadem auctoritate sententia eorum procedens fertur in subditos fideles, qui eos audire debent: unde *d*) per consensum Episcoporum exsistit sententia conciliaris; atqui haec est iudicialis. Ergo.

β) Quoad alteram, quae Romani Pontificis confirmationem exigit, assertio Febronianorum cum ipso pugnat Febroniano Systemate, quo nimirum (licet per iniuriam) exequutionem habere non posse 1) leges Pontificis absque placito Episcoporum; 2) leges generatim ecclesiasticorum praesidum absque placito regio; 3) leges omnes sive ecclesiasticas sive civiles absque populi acceptatione: neque tamen in eodem systemate existimatur abrogatam esse a Romano Pontifice, ab ecclesiasticis Praesidibus, ab omnibus denique Principibus legislatoris auctoritatem.

CONTRA DUOS ALIOS ERRORES.

Assertum. — Minus etiam proprie a nonnullis Theologis Conciliorum de causis fidei iudicia in duplicem classem distingui: in iudicia auctoritatis, quae scilicet ex intimo caussae merito seu ex intima caussae cognitione deducatur; et in iudicia adhaesionis, quae ex extrinseca auctoritate, i. e. quae ex antecedente re iudicata feruntur.

335. *Declaratur.* Ex *Zaccaria Antifeb. vindic. dissertatione IV. (6. n. 6. seq.)* cum utraque dicenda sint *iudicia auctoritatis,* quae

nimirum auctoritate iudicantium et feruntur et fideles obligant: illa autem distinctio confundat naturam ac vim iudicii cum fundamentis, quibus ipsum innititur.

DE CONVOCATIONE, PRAESIDENTIA, CONFIRMATIONE CONCILII OECUMENICI.

Assertum. — Ad legitima ac firma Concilia requiritur 1) ut legitima indicantur auctoritate, i. e. a Romano Pontifice; 2) ut convocentur omnes Episcopi Ordinarii generali evocatione, quae omnibus maioribus Christianis Provinciis innotescat, etsi non omnes adesse necesse sit, Bellar. l. 1. c. 17; 3) ut Romanus Pontifex sive per se sive per legatos praesideat; 4) ut libertas sententias dicentium non laedatur, vi scilicet iniuste illata; 5) ut peractum Concilium a Romano Pontifice confirmetur, etiamsi eius legati eidem adfuerint ita, ut absque ea confirmatione neque infallibilitatem neque vim ullam habeat.

336. Iamvero requisita Conciliorum ut legitima ac firma sint, quinque praecipue recensentur, nimirum:

Declaratur 1^m. **Ut legitima indicantur auctoritate, i. e. a Romano Pontifice,** *quandoquidem Concilii generalis convocatio est actus sua natura ecclesiasticus, idemque potestatis supremae, cum de obligandis totius Ecclesiae Episcopis agatur.* Potestatem autem supremam *unus* habet in *Ecclesia Romanus Pontifex.* (Nota nos de casibus ordinariis agere, non extraordinariis illis, quibus e. g. quoad hypotheses de Papa dubio, vel haeretico, qui nolit Concilium convocare, quaeque hypotheses et a Canonistis fiunt, quibus in casibus a Collegio Cardinalium convocari Concilium debere aiunt ad effectum tantum vel haereticum deponendi, vel certum Pontificem constituendi. *Cf. Schmalz.*).

Unde sequitur *a*) Perperam Protestantes ac Febronianos laicis Principibus eiusmodi auctoritatem asseruisse; argumentum autem, quod ex facto priorum octo conciliorum deducunt, vanissimum esse, α) **cum in facto peccet**; quandoquidem certum est legitimam saltem eorumdem convocationem fuisse Romanorum Pontificum assensu, ceu constat de quatuor prio-

ribus ex solemni legatorum Romani Pontificis testimonio adversus Dioscorum edito, in actione 1ª. ipsius *IV. Concilii, i. e. Chalcedonensis,* eo quod Concilium (quod Ephesinum Conciliabulum fuit) absque Romanae Sedis auctoritate convocasset, his nimirum verbis ab iisdem legatis, nemine refragante, prolatis: *Quod numquam factum fuit, numquam licuit.*

Item de iisdem quatuor Conciliis, deque duobus in sequentibus ex prosphonetico ad Imperatorem, sexti ipsius Concilii, i. e. Constantinopolitani III.

Item de iisdem sex prioribus et septimo Concilio implicite quidem, sed gravissime in *act. VI. ipsius septimi Concilii, i. e. Nicaeni II,* ubi reiicitur Iconomachorum concilium hac de causa, quia nimirum « *non habuit cooperantem illius temporis Papam, vel sacerdotes eius, neque per legatos, neque per encyclicam epistolam ut postulat lex Conciliorum* »; explicite autem ex epistola Hadriani I. ad Tharasium; denique *de octavo* ex epistola Hadriani I. ad Basilium Imperatorem; β) partim **vero peccet in iure**; quandoquidem cum ex rei natura et Ecclesiae constitutione evidens sit, non posse concilia ecclesiastica a laicis principibus convocari, quidquid contra factum reperiatur, id iusti argumenti loco esse non potest, sed alterutrum suadet, aut iniuriam factam esse, aut illam non quidem *formalem,* sed materialem atque exequutoriam, aut ad summum integralem fuisse convocationem: quae quidem triplici ex causa principibus permittebatur 1°. ut quaevis offensionis occasio evitaretur, quia conventus publicos leges civiles vetabant, *L. 3. § In summa ff. de Collegiis; L. 2. de Extraord. crim.;* 2°. ut adversus contumaces praesidium ab iis haberetur; 3°. ut itineris expensas et concilii tempore alimenta subministrarent, quibus Episcoporum paupertas sufficere non poterat. *Charlas de Lib. gallic. l. 5. c. 3. sqq.; Zaccaria Antifeb. P. 2. l. 4. c. 1.*

b) Perperam item Febronianos censuisse, si Pontifex concilium convocare nolit, eodem invito posse illud celebrari: argumentum autem deductum a *Papa dubio* nullum est: quandoquidem Papa dubius Papa est nullus; deductum ab hypothesi Papae *haeretici* et nullum est, quia sicut homo mortuus non est homo, ita Papa haereticus non est Papa, *Aug. Triumphus in summa de Eccl. potestate, quaest. V. art. 1;* et iniurio-

sum, quia plenissima et numquam interrupta omnium Pontificum, quot hucusque extiterunt, inductio, eam hypothesim iniuriosam facit; denique deductum ex similibus aliis hypothesibus Papae *manifeste scandalosi, manifeste simoniaci,* i. e. simonias exercentis, patrimonii ecclesiastici *manifeste dissipatoris,* laborat falso supposito, quia falso supponitur (quidquid alii dixerint) iis casibus verum haberi posse Concilium adversus Pontificem; quia illis etiam in casibus dicendum esset: « *Prima Sedes a nemine iudicatur* »: adeoque etiamsi comitia aliqua haberi e re esse censeretur, ea tamen non essent Concilium, quae scilicet iudicandi legesque ferendi vim haberent, sed coetus essent inferiorum, qui tantum obsecrare, admonere, obedientiam in rebus manifeste iniustis denegare, atque ut alii quoque denegarent, curare possent. *Cf. Zaccar. Antifeb. P. 2. l. 4. C. 1.*

337. *Declaratur 2^m^.* **Episcopi ordinarii generali evocatione,** quae omnibus maioribus christianis provinciis innotescat, licet non omnes adesse necesse sit. *Bellar. de Conc. l. 1. c. 17.* Dixi *ordinarii,* quia agitur de iurisdictione exercenda, saltem *maioribus provinciis,* quia prudentem hunc limitem exigit Ecclesiae utilitas, atque necessitas, et quia moraliter impossibile foret omnem orbis terrarum angulum pervadere. Unde sequitur *a*) generali evocatione facta, licet maxima Episcoporum pars non accedat, Oecumenici qualitatem concilio non detrahi: quod patet ex facto, e. g. Concilii Ephesini, quo Episcopi vix ducenti convenere, cum una Africa eo tempore trecentos fortasse haberet. *b*) Ipsos tamen Episcopos tenere ad Concilium accedere, nisi legitime impediantur, *arg. ex Can. 4. et seqq. dist. 18,* quod patet ex auctoritate vocantis, et ex episcopali officio. *c*) Ex accedentibus neminem excludi posse, nisi excommunicatus sit, aut rei partes agere debeat.

338. *Declaratur 3^m^.* **Ut Romanus Pontifex sive per se, sive per legatos praesideat,** *Cf. Zaccar. l. c. C. 2,* patet ex facto.

In dubium revocant quinque priora Concilia: at primo Osius, qui vel ab ipsis Arianis Praeses Synodorum appellabatur; ridiculum autem est alio nomine eum praesedisse, quam Romani Pontificis, de quo testatur inter ceteros Eusebius; ter-

tio praefuit Cyrillus nomine S. Sedis; quarto Legati Leonis M. praefuerunt, Paschasius etc.....

Quod quidem quadruplici praesertim in iure situm est; 1°. ut primam sedem habeat; 2°. ut methodum rerum agendarum praescribat; 3°. ut ordinem vel pacem turbantes coerceat; 4°. ut primus subscribat.

Ex quibus sequitur, *a*) Concilium Constantinopolitanum I. cui Romanus Pontifex non praefuit oecumenicum non fuisse, nisi cum eiusmodi defectus Romani ipsius Pontificis confirmatione sanatus est. *b*) Sedem, quaecumque illa fuerit, quae imperatoribus aliquando in Conciliis permissa est, non iure praesidis, sed honoris caussa, iisdem fuisse delatam, atque inde est, quod nonnisi post omnes Episcopos iisdem subscripserunt, quemadmodum testatus est ipse Basilius Imperator in *Conc. VIII. i. e. Constantinop. IV. act. X. sub fine.*

339. *Declaratur 4^m^.* **Ut libertas sententias dicentium non laedatur;** *vi scilicet iniuste illata,* per se patet, cum omnis deliberatio id exigat.

340. *Declaratur 5^m^.* **Ut peractum Concilium a Romano Pontifice confirmetur,** *etiamsi eius Legati eidem adfuerint, ita ut absque ea confirmatione, neque infallibilitatem, neque vim ullam habeat, Cf. Zaccaria l. c. c. 4; Charlas de Libert. gall. l. V. c. 8. 9;* quod patet ex vi primatus, atque hinc ex Ecclesiae canone perpetuo servato, de quo graeci etiam homines testantur, *Socrates l. 2. c. 8. et 17, et Sozomenus l. 3. c. 10;* denique ex praxi perpetuoque ipsius Ecclesiae iudicio, quae Concilia a Romana Sede non confirmata semper repudiavit, cuiusmodi e. g. fuere Mediolanense anni 355, ubi plus quam trecenti aderant Episcopi; Ariminense an. 363, ubi plusquam sexcenti convenerant, aliaque non pauca. *Cf. Schm. in prooem. n. 342. seqq.*

Unde sequitur *a*) Perperam Febronianos Romani Pontificis confirmationem in ea re tantum constituere, ut sit publica quaedam declaratio, legitimas solemnitates fuisse adhibitas.

b) Perperam item ad imperitorum mentes turbandas varios sensus ab iis distingui verbi *confirmare.* Sive enim *assentiendo,* sive *ratum habendo,* sive *auctoritatem impertiendo* (qui tres sensus sunt, quos ipsi distinguunt) Romanus Pontifex Concilium

confirmet, dummodo firmum sit, ab eiusmodi confirmatione obligandi vim illud accipere et absque ea irritum esse, id satis est.

c) Perperam quoque et Febronianos et Gallicanos asseruisse Concilium generale Romano Pontifici praeeminere auctoritate *Zaccar. Antifeb. vind. P. 2. Dissert. IV. c. 5. et seqq.; Charlas de Lib. Eccl. gall. l. VIII. ad V. et Th Th.*

d) Perperam denique, at non sine turbatione totius status Ecclesiae, a sententia Romani Pontificis appellatum aliquando fuisse ad futurum Concilium; quam proinde temeritatem merito damnarunt sub poena excommunicationis ipso facto incurrendae, *Pius II. Constit. Execrabilis 18 Ian. 1459, et Iulius II. Constit. Suscepti regiminis 1 Iul. 1509,* qui etiam addit eiusmodi criminis reos pro veris et indubitatis schismaticis et de catholica fide male sentientibus habendos esse et nuper sacrosancta Vaticana Synodus damnavit et reprobavit quando *Sess. 4. cap. 3.* § *Et quoniam...* docuit et declaravit: « Quare a recto veritatis tramite aberrant, qui affirmant licere ab iudiciis Romanorum Pontificum ad Oecumenicum Concilium tamquam ad auctoritatem Romano Pontifice superiorem appellare. Si quis itaque ». *Cf. Zacc. Antif. P. 2. l. 4. c. 5.*

DE ORDINE SERVANDO.

Summarium. – Ad ordinem quod spectat 1) circa materias in Concilio tractandas, 2) is tenendus, qui a Romano Pontifice vel eius legatis sit definitus; 3) ut Generalibus Congregationibus veluti praeparatorii speciales seu particulares coetus praemittantur; 2) circa personas, quo ordine scilicet illae sedere debeant, sic erit, ut in Tridentino et Vaticano servatum est, scilicet: 1. Legati Romani Pontificis, 2. Cardinales, 3. Patriarchae, 4. Archiepiscopi et 5. Episcopi: omnes secundum tempus promotionis suae.

341. *Declaratur 1^m.* Restat ut de Ordine dicamus, qui in Oecumenicis Concilii teneri debet, quique ad duplex Caput referri solet.

I. Ad **materias** in Concilio tractandas, de quibus haec animadvertenda: *a*) ordinem in iis tractandis eum tenendum esse,

qui a Romano Pontifice sit definitus. Qui si a Concilio aberit, nihilque praescripserit, cura ordinis methodique definiendae ad eiusdem legatos devolvitur, qui tamen in rebus praesertim gravioribus, ut suavius agant, Patres in Concilio coactos recte consulent; *b*) Sapienti consilio exemploque plane imitando in Tridentina Synodo institutum esse, ut Congregationibus generalibus particulares quidam coetus praemitterentur, quibus materia, generali congressui subiicienda, apte praepararetur, tranquilleque prius examinaretur, idque ad praecavendas tum confusionem, tum privatas conspirationes, tum denique deliberationes inopinas, quae turbolenti cuiuspiam ingenii eloquentia extorqueri fortasse possent.

342. *Declaratur 2^m.* II. **Ad personas** i. e. ad ordinem, quo illae sedere debent; qui porro eiusmodi esse debet, ut 1°. sedeant Legati Romani Pontificis; 2°. Cardinales, *Eug. IV. Const. Non mediocri 1438;* 3°. Patriarchae; 4°. Archiepiscopi; 5°. Episcopi, habita ratione temporis promotionis ad Ecclesias. *Pius IV. Constit. Sicut ea, 1 Ian. 1560.*

III. Occasione ultimi Concilii Oecumenici Vaticani in Constitutione Pontificia *Multiplices 27 Nov. 1869,* ordo servandus in Concilio praescribitur, determinatur quinam sint vocandi, sive ex iure, sive ex privilegio, quamnam Patres inter se praeeminentiae rationem servare debeant, quaenam sint aptiores methodi, quibus discussiones conciliares habeantur, easque moderandi... Huic Constitutioni postea, scilicet *20 Feb. 1870,* quaedam ad faciliorem negotiorum expeditionem decreta addita fuerunt. *Cf. Cecconi Storia del Conc. Ecum. Vat. Part. I. t. 1. l. 2. c. 1. sqq... et praef. art. 1.*

TITULUS XXV.

DE CONCILIIS PARTICULARIBUS.

Praenotandum.

343. Agunt *de Conciliis Provincialibus Stephanus Quaranta* et *Bouix,* edito tractatu: agit *Cardinalis Petra, Comm. ad Constit. unic. Honor. II. Sect. 1, et Fagn. in Cap. 25. de Accusat. et in C. 10. de His quae fiunt a Praelatis.* Formulas autem

pertinentes ad celebrationem et ordinem Concilii Provincialis videsis apud *acta Eccles. Mediolanen. P. VIII.*

Particularia Concilia vel *Patriarchalia* vel nationalia sunt; quae a Primate aut Patriarcha ex toto tractu, qui eorum iurisdictioni subest, coguntur; vel *Provincialia,* quae a Metropolita ex provincia sua, vel *Dioecesana,* quae ab Episcopo ex propria Dioecesi convocantur. Cum autem ea, quae de Provincialibus statuta sunt, Patriarchalibus quoque ac nationalibus debita proportione conveniant, hinc egisse satis sit. 1. de Provinciali, 2. de dioecesana Synodo. Nationalia aut patriarchalia dici solent plenaria non simpliciter, sed relate ad nationem, in qua et pro qua habita sunt: haec antiquitus in Africa celebriora fuerunt, atque hodie iterum celebrari caepta sunt e. g. Baltimori, in America septemtrionali. Etsi per se necessaria non sint eiusmodi Concilia plenaria, tamen ea perutilia esse sanus quisque affirmabit.

I. DE CONCILIO PROVINCIALI.

Quid sit, quando, a quibus celebrandum Concilium provinciale, quae vis insit eius decretis.

Summarium. — Lex est 1) celebrandi quibusvis trienniis provinciale Concilium; 2) in quo Episcopi ita 3) deliberant circa suae provinciae negotia, 4) ut eorum decreta omnes eiusdem provinciae fideles obligent.

1. NOTIO, TEMPUS CONCILII PROVINCIALIS.

344. *Declarantur.* Concilium *provinciale* est *coetus publicus Episcoporum ad eamdem provinciam pertinentium, qui regulariter ab eorum Metropolita cogitur, vocatis vocandis de iure vel consuetudine, eodemque praeside agitur ad deliberandum de ecclesiasticis provinciae negotiis. Petra Comm. l. c. n. 15.* Lex autem recensetur, *Trid. Sess. 24. C. 2. de Ref.,* ubi etiam tempus, quo celebrandum est, indicitur quibuslibet scilicet trienniis. Porro id vix unquam factum est, accedente, iustas ob causas, Romani Pontificis dispensatione. Ceterum provinciale concilium non negligendum sed cogendum: praeter Tridentini legem, mos

est et traditio Ecclesiae universae, in qua prius bis in anno, tum semel, tandem quolibet triennio iussum est illud celebrari. Hanc Ecclesiae consuetudinem ostendit historia, duplicis, ut cetera praetermittamus, praesertim controversiae de die Paschatis celebrandi, atque de baptismo ab haereticis collato.

Animadvertendum porro est *a*) *quoad tempus*, posse frequentius celebrari quolibet triennio, modo adsit suffraganeorum consensus, vel iusta causa aperienda S. C. C.

b) *Quoad modum* celebrandi provinciale Concilium, omnes, qui iure vel consuetudine vocandi sunt per edictum generale, vel per litteras singulis datas, quae simul exprimant diem (plerumque post octavam Paschae), et locum (qui regulariter est metropolitana Ecclesia) futuri concilii, vocari debent: dum populus in singulis paroeciis monitus pro eius felici exitu preces fundit.

c) *Inchoato Concilio*, ii, qui huic intersunt talem vitae rationem servent, ut piis operibus exerceantur, conviviis aliisque laicalibus actionibus submotis.

d) *Ordo porro servandus* ab ipsis in sedendo, in subscribendo, in dicenda sententia, erit: I) ut Metropolita, quive eius vice fungitur, mitra omnibus pretiosiori redimitus praecedat; II) tum sequantur 1. qui prius Archiepiscopi nunc episcopalem cathedram obtinent; 2. ceteri Episcopi comprovinciales iuxta tempus ordinationis, et si quis inter eos exemptus sit, supparem praecedat; 3. Episcopi titulares ad Concilium admissi; 4. Capitula Ecclesiarum Cathedralium, si capitulariter interveniant; 5. Abbates; 6. Commendatarii; 7. Dignitates; 8. Procuratores Episcoporum; 9. Canonici Cathedralis Ecclesiae, si uti singuli interveniant; 10. Collegiatarum Archipresbyteri; 11. Si qui sunt Parochi. *Petra ad Const. un. Honorii II. Sect. 1. n. 60. seq.*

e) *Praemitti adhuc debet* α) professio fidei ab iis, qui a promotione ad Episcopatum accedunt primum ad Concilium provinciale; β) decretum de praeiudicio non afferendo ob eum sedendi ordinem in Concilio, qui tunc adhibetur; γ) decretum de non recedendo a Concilio ante eius dissolutionem, nisi ex causa cognita et de licentia Metropolitae; δ) deputatio ministrorum Concilii, qui sint scilicet secretarii, promotor, notarii,

sive Generalis sive particularium Congregationum; ε) admissio atque interrogatio singillatim ac secreto facienda testium synodalium, i. e. eorum, qui in praecedente Concilio per singulas dioeceseos electi fuerant ad ea investiganda, quae sint correctione digna, *C. 25. de Accus., ibique Fagn. n. 2;* ζ) Lectio decretorum Pauli III. et Pii IV. *de Residen.; Trid. Sess. 25. c. 11. de Ref. Cf. Petra. l. c. n. 79, aliorumque canonistarum et Bellarmini tract.*

f) Tum unusquisque loco suo proponere potest, quod e re esse existimet, ut pro maiore suffragiorum numero res definiatur.

g) Tandem dimissionem Patrum suffragatio decernat: et ante dimissionem Concilii fiant acclamationes cum gratiarum actione, atque ordine debito omnes inter se dent osculum pacis. *Petra l. c. n. 16.*

II. Quibus personis Concilium Provinciale coalescat.

345. *Declaratur.* In quo *Episcopi deliberant* etc. indicantur nempe personae, quibus Concilium provinciale coalescat, et an necessario hae convenire teneantur. Personarum porro quadruplex est gradus, in quorum 1°. est ipse Metropolitanus, quive eius locum tenet; in 2°. recensentur, qui votum habent decisivum; in 3°. qui consultivum, in 4°. qui ad ea tantum exponenda, quae sua intersunt, ad Concilium admittuntur, atque vocentur.

De Metropolita quaeruntur duo: 1. *quid ipse in Concilio provinciali valeat, et* 2. *quando ei alius suffici debeat.* Quoad 1^m^. hoc dici generatim potest, Metropolitam in Concilio provinciali esse eiusdem caput ac praesidem, haud maiori auctoritate, quam praecipui iudicis ita, ut Concilio quadamtenus etiam subsit. *Petra ad Const. Ap. Hon. II. Sect. 1. n. 41. collatis 75. 92. et 98.*

Unde 1) *qua caput et praeses est Concilii,* potest *a*) Concilium convocare, *C. 25. de Accus., Conc. Trid. Sess. 24. c. 2. de Ref.; b*) eidem praeesse; ita tamen, ut praeter praeeminentiam in sedendo, et subscribendo, id tantum agere valeat, ut curet unumquemque suo loco sententiam dicere, neque Con-

cilium turbare; non autem posset sine assensu Concilii, aut hoc dissolvere, aut cuiquam Episcopo, etiamsi inurbane contra ipsum se gesserit, censuram infligere vel silentium indicere, aut iubere aliquem exire, vel intrare, aut libellum aliquem legi vel reiici. *Petra l. c. n. 72; Fagn. in C. 25. de Accus. 98. seq., ibiq. S. C. C.* Insuper *c*) potest totius Concilii sententias suo nomine inscribere, easque de consilio et consensu suffraganeorum pronunciare: ita ut si Archiepiscopus pronuntiare sententiam aliquam nolit, eadem ferri a ceteris non possit, sed in eo casu Romanus Pontifex sit adeundus, *cf. Petra l. c. n. 72. seqq.*, quia, suspecto Archiepiscopo, totum Concilium habetur suspectum.

2) Metropolita *qua merus iudex est,* licet praecipuus, una cum ceteris potest *a*) in sententiis sive decretis ferendis maiori suffragiorum numero cedere, imo eum cedere oportet. *Petra ad Const. un. Honorii II. Sect. 1. n. 41. 69. 71. b*) Episcopi, non obstante Metropolitani praesentia, uti possunt in Concilio veste linea, quae audit Rocchetto, una cum Mozzetta. *Petra l. c. n. 64.*

3) **Ex eo porro quod Metropolita Concilio quadamtenus subest,** sequitur *a*) Concilium de querelis adversus Metropolitanum recte cognoscere easque definire, *Fagn. in C. 25. de Accus. n. 41,* eiusque negligentiam, praesertim circa Seminarii erectionem, corripere. *Conc. Trid. Sess. 23. C. 18. de Ref. v. Quod si Cathedralium:* licet de ipsa eius persona atque statu iudicare nequeat. *Petra l. c. n. 86.* Hinc cum eius possit negligentiam supplere circa administrationem iustitiae, nec non cognoscere de causis appellationum interpositarum a Metropolitano ad Concilium; tamen non potest eum excommunicare, sed debet eum denuntiare Summo Pontifici; *b*) Concilii ipsius decreta servari a Metropolitano debent, nec variari ab eo possunt. *Arg. ex Clem. 1. de Sent. Excom. v. Quod etiam.*

Quoad 2^am^. quaestionem, *quando scilicet et quis suffici Metropolitano debeat* in Concilii provincialis convocatione et regimine, statutum est, Metropolitano legitime impedito, eius vices geri ab Episcopo antiquiori ex suffraganeis, *Trid. Sess. 24. C. 2. de Ref.; Fagn. in C. 25. de Accus.; Petra ad dict. Const. un. Hon. II. Sect. 1. n. 31;* ac proinde neque a Metropolitae

Vicario generali, neque a Capitulo Metropolitanae Ecclesiae, aut, Sede vacante, ab eius Vicario Capitulari, neque tandem ab Episcopo exempto, licet ex ipsa provincia sit, et ceteris antiquior. *Petra l. c. n. 19. et Fagn. l. c. n. 16. et seq.*

Ceteri Episcopi qui secundum Metropolitam votum in Concilio decisivum habent, sunt I°. *iure proprio,* ii scilicet, qui Ordinarii appellantur, atque adeo *a*) suffraganei; *b*) Praelati, qui iurisdictionem quasi episcopalem habent, *Petra l. c. n. 39. coll. II. 28. seqq.; c*) Episcopi, vel iurisdictionem quasi episcopalem habentes, qui exempti sunt, quique scilicet ex decreto Tridentini, *Sess. 24. c. 2. de Ref.,* tenentur eligere aliquem vicinum Metropolitanum (possunt autem eligere eum etiam, qui non habeat suffraganeos, *Petra l. c. n. 32. ibiq. S. C. C.*), in cuius synodo Provinciali interesse debent. *Petra l. c. n. 29.* Hic autem notandum quod Episcopi ceterique Praelati exempti, qui intra Romanam Provinciam sunt, eligere Metropolitanum non debent. *Petra l. c. n. 30. ibique Fagn. et S. C. C.* Res est manifesta. Horum enim Metropolita est Summus Pontifex: unde fit, ut simul confundantur ius exemptionis et ius metropoliticum.

II°. *Iure communicato a*) Episcopi titulares, si ad Concilium invitati sunt; *b*) Procuratores suffraganeorum absentium, si Concilio placuerit; secus enim voto tantum consultivo fruentur, *Fagn. in C. 10. De His quae fiunt a Prael. n. 54; Petra l. c. n. 39; c*) qui a consuetudine ius habent, *Trid. Sess. 24. C. 2. de Ref.; Fagn. l. c. n. 38; Petra l. c. n. 43;* vel a privilegio apostolico, *Petra l. c. n. 40,* vel a Metropolita, toto consentiente Concilio. *Cf. Prosper de Augustino in notis ad summam Bullarii Stephani Quaranta v. Concilium prov. § 28. Quaero.*

Alii tandem sunt qui I. consultivum dumtaxat votum habent, scilicet *a*) Capitula Ecclesiarum Cathedralium et Collegiatarum, quasi episcopalem iurisdictionem habentium, *Petra l. c. n. 24. et 36; Fagn. in C. 10. de His quae fiunt... n. 3. et 40,* seu eorum deputati, *Fagn. l. c. n. 9. et 53; b*) Abbates etiamsi Commendatarii tantum sint, *Fagn. l. c. n. 47. et 53; c*) quicumque denique a consuetudine ius habent, vel a privilegio Sedis Apostolicae, vel a Metropolitano, toto assentiente Concilio.

II. Qui nullo voto fruuntur, iique sunt, qui se laesos existimant, et ad iustitiam petendam accedunt, *Petra l. c. n. 45,* qui addit, praeter hanc causam laicos neque ad decidendum, neque ad consulendum admitti debere, allatis ea de re Sacrae Congregationis Concilii resolutionibus.

Quoad **obligationes quibus praedictae personae tenentur.** I. Hae duae sunt praecipuae, 1. accedendi scilicet ad Concilium; 2. et ab eo ante eiusdem dissolutionem non recedendi, *C. Si quis autem Dist. 18, Conc. Trid. Sess. 24. c. 2. de Ref.,* sub poena privationis communionis aliorum Episcoporum usque ad futurum Concilium, vel etiam (trina tamen monitione praemissa) proprie dictae excommunicationis (1); *Petra ad d. Const. Hon. II. Sect. 1. n. 3;* quae censura si lata fuerit per canonem, tolli poterit etiam ab Archiepiscopo; si per sententiam, nonnisi ab ipso Concilio. *Petra l. c. n. 112.*

II. Praedictae autem obligationes iis tantum incumbunt, quibus iure proprio competit votum decisivum, vel quibus necessitas ad Concilium accedendi ex consuetudine nata est. *Arg. Conc. Trid. Sess. 24. c. 2. de Ref.; Fagn. C. 10. de His quae fiunt, n. 42.* Excipiuntur autem 1°. *Episcopus non consecratus,* licet possessionem episcopatus sui adeptus fuerit, qui vocandus quidem est, et ad Concilium accedens votum habet decisivum, sed accedere non cogitur; 2°. successor Episcopi, post vocationem ad Concilium demortui, nisi et ipse denuo vocetur. *Petra l. c. n. 106. seqq.*

III. Quae autem sint causae, quae a praedictis obligationibus excusent; quomodo allegandae sint; quam habeant conditionem adnexam et quamdiu durent, paucis indicandum: 1) Causa, ut legitima sit, ex gravi necessitate oriri debet ita, ut iuxta *Gloss. in can. Placuit dist. 18. v. Aegritu-*

(1) Distinguitur excommunicatio quaedam medicinalis non proprie dicta: quae sit separatio ab Ecclesia, neque censura est; quae scilicet consistat in negatione communionis, cuius nempe vi ceteri Episcopi negant communionem cum eiusmodi Episcopo. Id autem fere est in abrumpendo officii episcopalis commercio, adeoque in reiiciendo Episcopi sic excommunicati litteras, quae antea dicebantur *Formatae,* neque proprias eidem mittendo. Formatarum autem triplex erat classis: *Dimissoriae* (eaedem hodie), *communicatoriae* (nunc testimoniales) et *commendatoriae.*

dine, levis febricula vel vetus quartana non sufficiat. *Petra l. c. n. 105.* 2) Allegatio facienda est per litteras ad Metropolitanum, additis legitimis probationibus. *Petra l. c. n. 108. et seq.* 3) Eam habet adnexam conditionem, ut Procurator cum speciali mandato mittendus sit ad ea, quae acta vel decreta sunt in Concilio recipienda. *Petra l. c. n. 110.* 4) Tamdiu autem prodest seu excusat, quamdiu durat; atque adeo impedimento cessante, qui abest compelli potest, additis etiam poenis, ad accedendum. *Petra l. c. n. 110.*

III. Ad quae obiecta se porrigat et qui cesset Concilii Provincialis potestas.

346. *Declaratur. Circa provinciae negotia ita deliberent etc.* attingimus nempe potestatem Concilii provincialis; de qua quaeri potest 1. quae sint eiusdem obiecta, seu ad quas causas extendatur; 2. quomodo cesset aut suspendatur. Quoad 1^m^. generatim dici potest Concilium provinciale causas maiores non posse attingere; quoad cetera in re legifera a nimia statutorum multitudine abstinere debere, *Petra ad d. Const. Hon. II. Sect. 1. n. 98;* neque adversus ius commune aut Romanorum Pontificum decreta, quidquam constituere posse; in re autem iudiciali, neque ea posse sibi subiicere, quae ad forum Archiepiscopali superius iam sint delata, neque ea ad se avocare, quae coram Archiepiscopo, aut locorum Ordinariis sunt iam introducta; nisi quatenus id ius permittit. *Fagn. in C. 25. de Accus. n. 54. et seq.* Ceterum auctoritate sua ea complecti, quae pertinent vel ad moderandos mores, vel ad corrigendos abusus, vel ad controversias componendas.

Hinc patet Concilium provinciale 1. de causis fidei iudicare non posse, nisi forte agatur 1°. de manifesta haeresi, ita ut iudicium sit potius de persona, quam de doctrina; 2°. de re facili, de qua inter Doctores nullum sit dubium; 3°. de casu, in quo mandatum Sedis Apostolicae habeatur, *Bellarm. de Conc. l. 2. C. 10,* ubi ad haec tria capita exempla redigit Conciliorum provincialium, quae de causis fidei iudicasse dicuntur. *Cf. Zaccaria Antif. P. 2. l. 1. c. 3. et Antif. Vind. dissert. 5. c. 1.* 2. De causis gravibus criminalibus adversus aliquem Epi-

scoporum item agere non potest Concilium, ita ut ne inquisitionem quidem instituere queat eo etiam fine, ut processum transmittat ad Apostolicam Sedem, nisi mandatum ab eadem ea de re datum fuerit. *Trid. Sess. 24. c. 5. de Ref.; Petra ad Const. II. Leon. IX. Sect. 1. n. 24.* Eademque generatim dicenda sunt de iis, quae summo Pontifici utcumque reservantur, de quibus *cf. Fagn. in C. Perniciosam de Off. Ord. n. 55. ad 71.* 3. Indulgentias iis maiores, quae Episcopis permittuntur, non potest concedere. *Petra ad Const. Hon. II. l. c. n. 160.* 4. Neque potest extra Synodum alicui committere, nisi forte agatur de casu in iure expresso, negotia indefinita, i. e. quae dissoluto Concilio nondum definita fuerint. *Fagn. in C. 25. de Accus. n. 48.*

Haec non potest: quae autem possit diximus supra in genere, scilicet ad corrigendos abusus, ad controversias componendas, ad moderandos mores. Queis insuper adde: Concilium provinciale iudicat de licentiis ab Archiepiscopo vel suffraganeis datis circa relaxationem residentiae, *C. Tr. Sess. 23. c. 18. de Ref.;* de forma procedendi in examine promovendorum ad episcopatum, *Trid. Sess. 24. c. 1. de Ref.;* de causa iusta visitationis per Archiepiscopum faciendae dioecesum suffraganeorum, *Trid. Sess. 24. c. 3. de Ref.;* de causis minoribus criminalibus Episcoporum, *Trid. Sess. 24. c. 5. de Ref.;* etiam per deputandos ab eodem Concilio; de causis uniendorum episcopatuum, vocatis iis quorum interest, et facto diligenti examine a Tridentino, *Sess. 24. c. 13. de Ref.;* de forma examinationis circa promovendos ad parochias, *Trid. Sess. 24. C. 18. de Ref.;* de locationibus bonorum ecclesiasticorum contra ius canonicum factis. *Trid. Sess. 25. c. 11. de Ref.* Admonet Episcopos concubinarios. *Sess. 25. c. 14. de Ref.* Designat personas, quibus causae mandentur a Sede Apostolica. Hae personae debent esse saltem quatuor per singulas dioeceses, et earum designatio est transmittenda ad summum Pontificem. *Sess. 25. c. 10. de Ref.* Supplet negligentiam Episcoporum, non solum quoad seminarii erectionem, sed speciatim quoad decreta. *C. Trid. de Regul. Sess. 25. c. 22. de Reg.*

Quod pertinet ad alteram quaestionem, quamdiu nempe duret, satis est advertere Concilii provincialis potestatem ces-

sare 1. si Archiepiscopus tamquam suspectus merito allegatus fuerit; eo enim in suspicionem vocato, totum Concilium suspectum dicitur, *Petra l. c. n. 102. seq.;* 2. per appellationem ad Romanum Pontificem, *Petra l. c.,* nisi tamen de eiusmodi materia agatur, in qua nonnisi in devolutivo appellatio admittitur. *Bened. XIV. Const. Ad militantis 30 Mart. 1742.*

IV. De vi decretorum Concilii Provincialis.

347. *Declaratur.* Leges provincialis Concilii obligare omnes fideles illius provinciae non est ambigendum: modo tamen ipsum Concilium 1°. approbetur a Sede Apostolica, ad quam proinde eius decreta mittenda sunt; 2°. ut intra sex menses promulgetur.

Quoad approbationem animadvertendum est *a*) eiusmodi approbationem a Romano Pontifice petendam esse, qui conciliaria acta per Sacram Concilii Congreg. recognosci; et si opus sit emendari curat, *Sixtus V. Const. Immensa 1 Febr. 1588,* ubi agit de Congregatione VIII., i. e. de Sacra Congr. Conc.; *b*) eiusdem naturam sitam esse in revisione atque emendatione, ne quid contra canones ibidem statuatur; non autem in proprie dicta confirmatione, licet aliquando eam quoque Romanus Pontifex adiecerit. *Petra l. c. n. 124.*

Quoad publicationem notandum, *a*) eam faciendam esse a singulis Episcopis in propriis dioecesibus, quam primum fieri potest, ita tamen ut approbatio Apostolicae Sedis praecesserit, *Can. fin. dist. 18. et Petra l. c. n. 117. et 122; b*) effectum eiusdem esse, ut statutis conciliaribus omnes provinciae subditi obligentur; *S. C. C. apud Fag. in C. Etsi, de His quae fiunt, n. 51. et seq.;* ita tamen, ut eiusmodi obligatio sit ad poenam non ad culpam, nisi Concilium ipsum secus declaraverit. *Petra l. c. n. 120.*

II. DE DIOECESANA SYNODO.

Summarium. — Synodi dioecesanae 1) notione et legislatore indicatis, breviter exponitur: 2) ad eam quinam, 3) et a quo sint vocandi, quos 4) inter officiales erunt eligendi; 5) obiectum, circa quod deliberandum sit; tandem Synodi duratio eiusque decretorum vis et auctoritas.

1. Notio Synodi Dioecesanae.

348. *Declaratur.* Definitio: « *Synodus dioecesana est coetus virorum ecclesiasticorum* ab eorum Episcopo coactus, ut una cum eo consilia sua conferant de negotiis, quae ad pastoralem dioeceseos curam pertinent ». *Bened. XIV. de Synodo dioeces. l. 1. c. 1. n. 4.* Ex qua intelligitur *a*) ipsam non posse appellari *sanctam* Synodum, cum haec appellatio sit tantum oecumenici Concilii: neque eius decreta *canones* dici possunt, quia hoc nomine veniunt leges universales pro tota Ecclesia: sed vocantur potius statuta. Hac posita notione, antequam de legislatore, breviter de tempore, loco et modo celebrationis dicendum.

Quoad **tempus,** antiquitus semel vel bis in annum eiusmodi Synodus cogebatur; Tridentinum confirmavit quod Innocentius III. in *C. 25. de Accus.* iam constituerat, ut scilicet *quotannis* celebraretur: et hoc ius est vigens; quamvis in praxi non adeo stricte urgeatur. *Trid. c. 2. Sess. 24. de Ref.*

Locus, quo cogenda Synodus est ordinarie in ipsa civitate episcopali vel saltem intra dioecesim, aut si extra, accedente venia Episcopi territorii.

Modus convocandi est, *a*) ut saltem per edictum generale, qui de iure vel consuetudine vocari debeant, vocentur indicto die et loco, qui, uti dicebam, Ecclesia Cathedralis esse solet; quae si duplex sit, alternatim solet eligi ad simultates vitandas: licet Episcopo integrum sit in quolibet suae dioecesis loco Synodum celebrare; *b*) ut populus quoque per singulas paroecias praemoneatur ad preces pro felici exitu D. O. M. fundendas.

II. Quis legislator in Synodo Dioecesana.

Porro ad legislatorem quod spectat, principium bene prae oculis tenendum est, unus Episcopus in Synodo est iudex et legislator. Unde ad quaestionem, quas partes habeat Episcopus in sua Synodo si haec cum Provinciali Concilio comparetur; hac una formula respondetur « quod ipse non modo eiusmodi Synodi est praeses, sed unus est, qui in eadem ius habeat ferendi leges ».

Hinc sequitur *a*) ad eum pertinere non modo synodum indicere, eique praeesse, verum etiam res deliberandas proponere, eosque (nisi de re agatur in qua Capituli consensum iura exigunt, e. g. cum agitur 1°. de interesse Capituli; 2°. de praeiudicio Ecclesiae in alienationibus, unionibus; 3°. de Capitulis exemptis), auditis aliorum sententiis suo arbitrio definire, adeoque decreta et suo nomine inscribere et solum subsignare seu subscribere.

b) Contra nil posse, inconsulto saltem Capitulo, tamquam synodicum decretum promulgare; nisi forte Sacra Congregatio Concilii eiusmodi vitium sanet. Dixi tamquam *synodicum decretum* quandoquidem non est dubitandum, Episcopum etiam extra synodum habere ius ferendi leges adeoque eadem posse auctoritate sua indicere.

III. Quinam vocandi ad Synodum Dioecesanam.

349. *Declaratur.* **Quinam ad eam vocandi sint.** Horum nomina et ordinem recenset Benedictus XIV. *de Synod. l. c.*, ita tamen, ut triplicem distinguas classem: I^{a}. est eorum qui *vocari debent* et adesse tenentur sive inter eos, qui exempti non sunt, sive inter eos, qui exempti sunt: 1) Praelati seu Abbatis non exempti, sive saeculares sive Regulares; 2) qui dignitatem aut personatum aut officium habent; 3) Canonici Ecclesiae Cathedralis saltem non iubilati; 4) Parochi et Vicarii curati perpetui, neque proinde ad nutum amovibiles; 5) quibus consuetudo eiusmodi ius atque onus detulit; 6) inter eos, qui iurisdictione Episcopi eximuntur, vocandi sunt parochi alias exempti, sive Regulares, sive qui Praelato nullius subduntur, cuius terri-

torium vel intra Episcopi dioecesim est, vel eiusdem Cathedrali est vicinium.

II^a. est eorum qui *praetermitti* quidem possunt, sed vocati si fuerint, adesse tenentur: 1. Vicarii tum Generalis tum foranei; 2. Canonici Collegiatarum saltem per suos deputatos, si extra locum morentur, ubi synodus habetur; 3. Canonici iubilati; 4. alii Ecclesiae Cathedralis beneficiati, qui Canonici non sunt; 5. superiores conventuum, qui sex non alunt religiosos, adeoque Episcopi iurisdictioni subduntur; 6. Abbates conventuum, quorum monasterium capitulo generali aliorum monasteriorum eiusdem ordinis non subditur, e. g. cum solitarium sit, i. e. nullam habeat coniunctionem cum ceteris eiusdem ordinis monasteriis; 7. quibus consuetudo tale onus detulit.

III^a. est eorum, qui *nonnullis tantum in casibus compelli* ad Synodum possunt, i. e. si agatur vel de morum disciplina, vel de re ad omnes clericos pertinente, clerici omnes sunt, qui vel simplex tantum beneficium obtinent.

Ad obligationes quod attinet, quibus hi tenentur, cum ad unam illarum redigantur, ut ad Synodum accedere neque ab ea sine venia Episcopi recedere debeant: hinc duo tantum, quae inde dimanant, satis est animadvertisse, *a*) accedere negligentes arbitrio Episcopi puniendos esse, etiam si quoad cetera exempti sint, excepta mulcta pecuniaria quoad Regulares, *Bened. XIV. de Syn. l. 3. c. 12. n. 1. seq.*, puniri autem possunt etiam per censuras, *Cf. Girald. P. 2. Sect. 128, b*) qui a legitima causa impediuntur, eam Episcopo significare debere, qui iudicibus ad id deputatis, examinari eamdem curabit: legitimam vero causam esse gravem necessitatem, et in specie quoad parochos, defectum alterius sacerdotis, cui proprias oves committant et maxime, si qui in paroecia periculose tunc infirmentur.

IV. A QUO VOCANDI IN SYNODUM DIOECESANAM.

350. *Declaratur.* **A quo sint vocandi.** Ab initio exactior regula est si dicatur: « Persona legitima ad indicendam Synodum is est, qui episcopalem iurisdictionem proprie dictam

habet » : adeoque synodum indicere : *a*) potest suo iure 1. Episcopus ; 2. Vicarius Capitularis sede vacante constitutus, modo a priori Synodo annus effluxerit (iuxta communiorem sententiam apud *Bened. XIV. l. c.*) ; 3. Vicarius apostolicus, qui ad Ecclesiam vacantem regendam missus est, *Bened. XIV. l. 2. c. 5. 9. 10 ; b*) potest ex *speciali mandato* summi Pontificis Vicarius Apostolicus, qui Episcopo in sua sede existenti datus sit Episcopi Vicarius generalis. Excepto Cardinali Urbis Vicario, qui si velit, potest sine speciali mandato synodum dioecesanam Romani cleri indicere ; *c*) non potest Praelatus inferior, licet habeat territorium prorsus separatum ibique iurisdictionem quasi episcopalem exerceat, nisi forte alterutrum concurrat 1°. Privilegium apostolicum, qua tale ius eidem conferatur ; 2°. vetus consuetudo, qua probetur, eius quoque praedecessores tali iure usos.

V. Leges circa ordinem modumque servandum.

Coacta iam Synodo, leges, quae eam ordinent, hae sunt *a*) **quoad durationem,** ut tres dies, nisi aliud rerum necessitas Episcopo suadeat, qui dies propriis supplicationibus solent singuli consecrari quemadmodum videre est in Pontificali Romano ; *b*) quoad ordinem in sedendo, ut primum locum habeat Episcopus, qui pontificalibus vestibus indui solet. Deinde sequuntur ceteri in sacris quisque vestibus, quae suae dignitatis suive ordinis propriae sunt, de quibus *Bened. XIV. l. c. l. 3. c. 11,* scilicet 1. Vicarius generalis ; 2. Canonici et Beneficiati Ecclesiae Cathedralis, quatenus capitulariter interveniant ; 3. Abbates ; 4. Canonici Ecclesiarum Collegiatarum, quae intra civitatem sunt iuxta antiquitatem et dignitatem Ecclesiae suae ; 5. Item qui extra civitatem sunt, eademque ratione habita ; 6. Vicarii foranei, qui Canonicis Ecclesiarum Collegiatarum eatenus cedunt, quatenus hi capitulariter interveniant ; 7. Plebani seu Archipresbyteri rurales, nisi usus obtinuerit, ut una cum parochis promiscue sedeant ; 8. Parochi, qui non secus ac Plebani ac Vicarii Foranei iuxta tempus suae promotionis sedeant.

VI. OFFICIALES ELIGENDI.

351. *Declaratur.* Officiales sunt duplicis speciei, scilicet ad 1^m^. speciem spectant, qui ab ipso deputantur ad synodum celebrandam; ad 2^m^. speciem spectant, qui eliguntur in ipsa Synodo et iudices vel examinatores synodales audiunt. Ad 1^m^. igitur speciem referendi sunt *Promotor* synodi, qui celeriter omnia peragenda curabit; *Secretarius,* qui futurae sessionis edictum affigendum curet, Canonicos Cathedralis et insigniorum Collegiatarum ante 1^m^. sessionem nominatim ipse vocet, ceteros per socium; schedulas pro clericorum examine antea paret, ac omnia tandem ordinatim fieri studeat; *Secretarii socius* inter cetera, decreta Synodi alta voce legit; *Notarius,* absentes notet, in fine cuiuslibet sessionis scribat ad instantiam procuratoris Synodi eorum nomina, qui professionem emittunt, eorum denique omnium, quae in Synodo decreta et statuta sunt, instrumentum diligenter conficiat; *Praefecti synodales,* qui omnes clericos generatim ad se arcessent, eorumque vivendi rationem inquirunt ita, ut pars aliqua cleri singulis praefectis assignetur; *Procurator Cleri,* qui scilicet Episcopo proponat ea, quae in votis sunt Cleri; *Iudices querelarum* et excusationum, qui controversias praecedentiae in synodo componant, et rationes cognoscant ad eam non accedentium.

Ad 2^m^. speciem referuntur officiales, qui in ipsa synodo deliguntur et sunt aut *Iudices sic dicti*, aut *examinatores synodales.* Quatuor communiter eliguntur *iudices synodales,* in dignitate aut personatu constituti, vel saltem Canonici Ecclesiae Cathedralis. Opportunum etiam erit, ut eligantur Doctores vel Licentiati in Theologia aut iure canonico: ipsis enim a Sede Apostolica committuntur causae ventilandae in dioecesi. Modus, quo eiusmodi iudices eliguntur, in eo est ut Episcopus eligat, *audita tamen synodo;* quamvis eiusdem consilium sequi non teneatur. Examinatores porro synodales sic dicuntur, quia in synodo eliguntur et specialiter deputantur ad examinandos candidatos in concursibus ad Ecclesias parochiales. Hi porro examinatores in synodo et cum approbatione synodi eligendi sunt ita, ut si quis ex propositis ab Episcopo, reiiciatur a

maiore synodi parte, alius substituatur, qui sit a Synodo adprobatus. Hi autem non minus quam sex, nec ultra quam 20 esse possunt: ornati autem sint sacrae Theologiae aut Iuris canonici laurea vel licentia: vel alii clerici tam saeculares, quam regulares ex ordine quoque mendicantium, qui ad tale officium magis idonei viderentur.

His substitui solent iudices et examinatores prosynodales, quos vocant, tum quia intra annum a Synodo elapsa ob mortem alicuius e synodalibus, requisitus numerus est complendus; vel quia si post annum non celebretur synodus, prout exigit Concilium Tridentinum, Episcopus ex accepta a Sacra Congregatione Concilii facultate de consensu Capituli eos nominat. Ad iuramentum denique iudices et examinatores emittendum tenentur in ipsa synodo, si praesentes fuerint, secus coram Episcopo tantum vel eius Generali Vicario se fideliter functuros esse munere suo: nec possunt ab examinandis, pro suo munere fungendo, citra simoniae crimen quidquam accipere. *Bened. XIV. de Syn. l. 4. c. 7. et seqq.*

VII. De obiecto Synodi Dicecesanae.

352. *Declaratur.* **De obiecto synodi dioecesanae** haec dici possunt: I. *In genere* illud versari in iis, quae pertinent ad rectam dioecesis administrationem, praesertim vero ad morum disciplinam rite servandam, *Bened. XIV. de Syn. l. 6. c. 1. n. 1. et l. 13. c. 5. n. 12; a*) in instruendis singulis circa propria officia et praesertim sacerdotibus quoad rectam sacramentorum administrationem, ita tamen, ut de quaestionibus, quae in scholis agitantur, nil definiatur; *b*) in abusibus publicisque vitiis detegendis corrigendisque; *c*) in edendis legibus ad disciplinam custodiendam opportunis, ita tamen, ut nil statuatur quod iuris communis aut superioris cuiusvis potestatis constitutionibus contrarium sit.

II. *In specie* haec in synodo agi et iuri et consuetudini consonum est, licet eadem (praeter synodalium examinatorum electionem) etiam extra synodum perfici ab Episcopo posse dubitandum non sit: *a*) ut Concilii Provincialis decreta, quod proxime habitum sit, publicentur, *Bened. XIV. l. c. l. 7. c. 1. n. 3;*

b) ut Cathedraticum Episcopo quotannis solvendum decernatur et exigatur, *l. 3. c. 6. et 7; c*) ut casus Episcopo reservandi definiantur (reservatos in synodo adverte manere tales etiam mortuo Episcopo, e contra, si extra synodum); *d*) ut redituum ratio a Seminarii deputatis exigatur, *Bened. XIV. l. c. l. 5. c. 11; e*) ut examinatores synodales, qui scilicet per unius anni spatium parochialibus ecclesiis praeficiendos examini subiiciant, sex ad minus, uti diximus, neque tamen plures viginti, omnesque *idonei* nominatim seu personaliter eligantur, et a Synodo per suffragia secreta sive publica approbentur.

VIII. Quae vis Dioecesanae Synodo insit.

353. *Declaratur.* De vi synodalium statutorum breve est dicere, ea, per se, obligare omnes quotquot sunt Episcopo subiecti, atque in dioecesi et de dioecesi sunt; cum tamquam verae leges sint eiusmodi constitutiones synodales; quae tum nulla indigent approbatione, ut obligare incipiant statim ac in synodo promulgantur: tum vigere pergunt etiam post mortem Episcopi, donec a successore in Synodo vel extra synodum renoventur. Disputatur autem inter Doctores, an morte Episcopi cessent leges episcopales extra synodum latae.

PARS TERTIA

TITULUS XXVI.

DE REGULARIBUS.

354. Post expositam communem doctrinam de potestate ordinis et iurisdictionis iuxta varios gradus, quibus duplex Hierarchia distinguitur, accedimus ad ea, quae Regularium eorumque status sunt propria, propter quae etiam religiosi laici ex privilegio censentur clerici. Unde heic nil attinet dicere, quae ad Regulares privum pertinet relate ad varios, quos scandunt gradus potestatis sive ordinis sive iurisdictionis. Status autem religiosi inquiremus 1°. naturam et institutionem; 2°. tum de perfecto statu religioso loquentes, prius quaedam innuimus; 3°. de probatione, quod est stadium inchoationis; 4°. deinde ipsam religiosam professionem spectabimus, quod est stadium perfectum; 5°. tandem pauca quaedam de Congregationibus regularibus votorum simplicium summis labiis trademus, una cum privilegiis et exemptionibus Regularium propriis.

I. NATURA ET ORIGO IURIDICA STATUS RELIGIOSI.

Assertum. — 1) **Statuta ordinis religiosi proprie dicti natura asserimus,** 2) **statum Regularium quoad substantiam esse divinae, licet quoad modum ecclesiasticae sit institutionis. Porro** 3) **Ecclesiae quoad determinatos ordines exclusivum inest ius eos approbandi et Canonicis legibus moderandi;** 4) **potestati autem civili sicut et cuilibet Catholicorum, quantum ipsos attinet, agnoscendi, protegendi, atque omnia Religionibus iura sarta tecta tuendi, gravissima incumbit obligatio.**

355. *Declaratur 1^m.* scilicet **Natura et elementa status religiosi.** « Supponendum est (inquit Suarez *de Relig. Tract. 7. l. 2. c. 1. n. 1.*) iuxta communem Ecclesiae usum, statum religiosum quasi per autonomasiam et stricta significatione appellari perfectum monachorum seu regularium statum, qui se Deo

totaliter consecrant et tradunt, tria vota de tribus principalibus consiliis paupertatis, castitatis et obedientiae perpetuae emittendo ». Et postquam docuerit dari et religiosum statum late sumptum, eorum nempe, qui se offerunt divino cultui per aliquam divinorum consiliorum observationem, unius voti, e. g. castitatis, prosequitur: « Sic enim iuris canonici interpretes in *rubrica de Regularibus* docent, nomen religiosi vel regularis stricte sumptum significare eum, qui tria substantialia vota in religione approbata professus est: late vero comprehendere omnes, qui per aliquod votum et specialem vivendi modum Dei servitio consecrantur ». Unde definitio: Religiosus est *persona, quae emissis votis paupertatis, castitatis et obedientiae in approbata aliqua religione vivit, ut perfectionem sectetur.*

Porro in hac definitione omnia elementa indicantur, quae essentiam status religiosi proprie dicti constituunt: quaeque percipiuntur etiam in definitione status religiosi apud omnes auctores communi: *Religio seu status religiosus est fidelium ad Christianae charitatis perfectionem tendentium, editis votis perpetuae paupertatis, castitatis et obedientiae, stabilis in communi vivendi modus ab Ecclesia approbatus.*

I^m. Elementum est « **tendere ad perfectionem charitatis** est scopus essentialis religiosae professionis. Finis charitatis est totum adhaerere Deo et se illi coniungere ». Quo posito ita arguo cum *S. Thoma 2. 2. q. 186. a. 1, utrum Religio importet statum perfectionis:* « Respondeo dicendum quod.... id quod communiter multis convenit, antonomastice attribuitur ei, cui per excellentiam convenit; sicut nomen fortitudinis vindicat sibi illa virtus, quae circa difficillima firmitatem animi servat.... Religio autem est quaedam virtus, per quam aliquis ad Dei servitium et cultum aliquid exhibet. Et ideo antonomastice religiosi dicuntur illi, qui se totaliter mancipant divino servitio, quasi holocaustum Deo offerentes. Unde Gregorius dicit *super Ezechiel., homil. 20. inter medium et finem: Sunt quidam, qui nihil sibimetipsis reservant: sed sensum, linguam, vitam atque substantiam, quam perceperunt, omnipotenti Deo immolant.* In hoc autem perfectio hominis consistit, quod totaliter Deo inhaereat.... et secundum hoc religio perfectionis statum nominat ». *Cf. ibid. et aa. 3. 4. 5. 6.*

Attamen dicitur in definitione quod sectetur perfectionem seu ad eam tendat, quia non requiritur ut ipse, sicut Episcopus, actu possideat perfectionem seu actu sit perfectus; nec requiritur ut tendat per omnes actus, sed per eos, qui ordinis proprii regulis taxantur.

II[m]. Elementum **emissis votis** etc., quia media quibus efficaciter ad perfectionem tenditur, sunt tria vota substantialia paupertatis, castitatis et obedientiae; quibus continetur executio consiliorum evangelicorum, et a communi christianorum vita religiosi discriminantur.

Requiruntur *a*) quidem haec tria consilia paupertatis, castitatis et obedientiae in exercitio posita. α) « Nec aestimet Abbas, quod super habenda proprietate possit cum aliquo monacho dispensari: quia abdicatio proprietatis sicut et custodia castitatis adeo est adnexa regulae monachali, ut contra eam nec summus Pontifex possit licentiam indulgere ». *C. Cum ad Monaster. 6. in fine, de Statu monach.* β) Ratio est quia, cum status religiosus ex vi institutionis suae tendat ad perfectionem, debet observare ea, de quibus Christus in Evangelio dixit: *Si vis perfectus esse, vade, vende.... sunt eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum caelorum. Qui vult venire post me abneget semetipsum et sequatur me:* atqui hisce continentur tria evangelica consilia, quae amplexati sunt Apostoli omnes (plura Collegia clericorum, Ascetae, Coenobitae, Mendicantium Ordines et clerici regulares deinceps), teste S. Petro: *Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te.....* γ) quia per ista: 1) *negative,* tolluntur potissima charitatis impedimenta per abdicationem bonorum temporalium, per detestationem voluptatum carnalium, et per abnegationem suipsius; 2) *positive,* per ea homo perfectius se consecrat et unit Deo.

Cum enim homo tria principalia, nempe animam, corpus et bona temporalia possideat, haec omnia per tria illa vota plene Deo consecrantur: *Primum,* scilicet anima per obedientiam, qua religiosi voluntas, se subiiciendo dispositioni superioris, plene Deo consecratur ita, ut Religiosus non habeat amplius velle et nolle, ut expresse dicitur in *C. Si religiosus 21. de Elect. in 6; C. Religiosus de Testam. 2. in 6; C. Religiosi 5. de Sepulturis in 6. Secundum,* scilicet corpus plene consecratur Deo

per castitatem, dum per eam omni voluptati carnali propter Deum renunciatur. *Tertium,* scilicet bona temporalia consecrantur Deo per paupertatem.

b) Ut haec consilia evangelica voto perpetuam obligationem continente firmentur. Status enim firmitatem ac perpetuitatem denotat saltem ex parte voventis. Atqui haec firmitas, stabilitas, perpetuitas aliter haberi nequit quam votis. Nam per solum propositum nondum intelligitur vera firmitas, quae de se debet esse perpetua, cum obligatione scilicet permanendi in tali vitae genere usque ad mortem. Haec firmitas non potest haberi per vinculum intrinsecum, i. e. ab extrinseca potestate proveniens, quale est praeceptum; cum consilia non cadant sub praecepto: consequenter obtineri debet per vinculum ab intrinseco proveniens, scilicet per voluntarium consensum eius, qui talem statum assumit, quod non est aliud, nisi vinculum voti.

III^m^. Elementum est **ut haec vota emittantur in aliqua religione approbata a Sede Apostolica.** « Cum enim Ordines religiosi profiteantur et fidelibus sequendam proponant tutam securamque viam ad perfectionem evangelicam, necesse est, ut omne errandi periculum in hac gravissima morum materia per approbationem Ecclesiae removeatur adeo certa auctoritate, ut summus Pontifex in approbandis religiosis Ordinibus ex singulari Dei providentia, errare non posse censeatur ». *Zech Hierar.* § *435-36.* Haec approbatio pertinebat olim ad Episcopos pro religiosis suae cuiusvis dioecesis. Sed haeretici Waldenses alias dicti *Pauperes de Lugduno,* qui superstitiosum vivendi modum pro religioso inveniebant, seque secundum evangelicam doctrinam vivere iactabant, occasionem dederunt Constitutioni Lateranensis Concilii sub *Innoc. III. Ne quis de cetero novam inveniat religionem. Cf. de Religiosis domibus 9.* (III. 36), scilicet absque speciali Sedis Apostolicae approbatione.

Hanc *approbationem* Ecclesiae distinguunt Doctores in *iudiciariam* et *practicam;* illa ad intellectum, haec ad voluntatem pertinet. Per *iudiciariam* Pontifex, praemisso maturo examine, iudicat interius et authentice declarat exterius, hunc vivendi modum esse sanctum sine ullo errore et superstitione, et tam

in fine, quam in mediis viam perfectionis obtinere; ideoque esse aptum, ut in statum erigatur et consecretur. Approbatio iudiciaria, ut patet, est potius *negativa,* quae necessario quidem requiritur, sed sine practica non sufficit: non enim omne id, quod in se bonum est, in Rempublicam invehi expedit. Rationem non inveniendi novam Religionem Innocentius III. adducit hanc, « ne nimia Religionum diversitas gravem in Ecclesiam Dei confusionem inducat ». Per *practicam,* positiva ratione coetus personarum illarum erigitur in communitatem proprie dictam religiosam.

Porro haec Ecclesiae approbatio necessaria est. Quo clarius hac in re procedatur, sedulo distinguenda sunt substantia status, ac modi, quibus illa substantia determinata exsistat. Iamvero quoad substantiam, seu secundum se consideratus, status religiosus institutus est ab ipso Christo Domino in Nova Lege, si vero quoad peculiarem et determinatum modum vivendi seu Regulam, originem suam debet institutioni ecclesiasticae. Porro haec institutio seu approbatio Ecclesiae modo pertinet ad essentiam status religiosi, quatenus hic nequeat existere *sine determinato modo,* et quilibet modus approbari debeat ab Ecclesia et quidem hodierno iure ab Ecclesia Romana. Hinc distinguitur fundamentum a determinato modo existendi. Accedit quod ordo religiosus proprie dictus *canonicis iuribus gaudere non potest sine Ecclesiae approbatione,* uti patet; atqui haec iura constituunt ipsum in specie Ordinis religiosi. Adverte nos loqui de statu Regularium spectato ad modum *socialis institutionis.* Quaelibet enim socialis institutio, qua talis, subiicitur potestati totius Ecclesiae approbantis vel permittentis. Et cum agatur de positivis iuribus acquirendis, quae ab ipsa pendent Ecclesia, praesertim si quaelibet nova Religio sit prohibita, positiva approbatio requiri modo videtur ipsius Ecclesiae. *Cf. Bellarm. et Suarez penes Bouix de Reg. P. I. Sect. 2. Prop. XII.*

IV^m^. Elementum est **ut is, qui haec vota religiosa emisit, voverit et promiserit vivere sub certa aliqua regula seu constitutionibus et sub praelati seu superioris iurisdictione** et potestate speciali, qui illa vota per se, vel per alium loco sui constitutum, acceptet et ipsum re-

ligiosum sibi subiectum habeat. *Schmalzgr. l. 3. tit. 31. de Regul. n. 13. et Suarez.* Patet id ex definitionibus suprapositis communiter receptis, ubi dicitur sub certa communi regula.

Quod debeat acceptari probat *P. Zech* § *434.* « Per vota substantialia se homo consecrat Deo et religioso Ordini tradit, ac perpetuo obligat non tantum pro foro interno, sed etiam pro externo ad effectus quosdam speciales: non igitur sufficit solus Professi consensus, sed necessario requiritur, ut haec traditio nomine Dei et religionis ab aliquo acceptetur, *C. 13. et 16. de Regul.,* ubi ob validitatem monachatus exigitur etiam acceptatio.

Sed **an debeat vivere vitam communem ad substantiam status religiosi.** *Cf. Schmalz. l. c. n. 20.* Resp. Affirmative, spectato iure ecclesiastico novo et hodierno, *Suarez, Pellizar, Pirhing. C. fin. de Religios. dom. et C. unic. eod. tit. in 6,* ubi statuitur, vota religiosa seu professionem religiosam debere fieri in Religione approbata a Sede Apostolica, quod secundum praesentem Ecclesiae consuetudinem Sedes apostolica non approbat, nisi statum coenobiticum seu in communi viventium sub uno capite seu praelato ecclesiastico et sub una regula approbata ad Christianam perfectionem tendentium: ergo, ut quis fiat religiosus, debet fieri membrum Communitatis et in communi vivat, vel saltem habeat necesse est communem Praelatum et Regulam, sub qua vivat spectato iure ecclesiastico novo et hodierno. Si enim ex natura sua vitam communem requireret, id esset vel ratione status vel ratione perfectionis: quod *non ratione status,* quia hic dicit tantum immobilitatem, *non perfectionis,* quia etiam solitarius ad hanc tendere potest. Huc faciunt quae *Petra Comment. in Constit. Apost., Const. nona Gregor. IX. t. 2. n. 9:* « Non potest institui Religio secundum aliquem vivendi modum communem cum solis substantialibus votis religiosi status sine additione aliquarum observantiarum, quibus status ille ad peculiarem religionem seu vivendi modum determinetur. Quia sicut substantia non potest esse, vel operari sine accidentibus, ita nec religionis status sine regula et vivendi modo ac ordine: qui quidem nullatenus potest praefiniri a peculiari hominum iudicio ».

Unde etsi status religiosus in sua natura potest concipi sine isto vel illo modo accidentali, tamen sine omnibus stare nequit, sicut substantia creata non potest naturaliter sine omnibus accidentibus consistere. Huc facit integer *n. 6. 7. c. 1. Lib. II. Tract. 7. de Relig.Suar.*

Porro haec quatuor elementa nunc certe naturam constituunt seu substantiam status religiosi proprie dicti, prout penes omnes certum ex dictis esse debet. Quaecumque autem hisce elementis superadduntur, habentur ut accidentalia, quae modum potius diversum determinant quoad religiosum statum. Diversi enim modi concipi possunt tendendi ad illam evangelicam perfectionem per tria vota in communitate sub praelato vivendo; ratione habita diversitatis quoad *Regulam;* quoad *vitam* in communi ducendam, an *contemplativam, activamne* an *mixtam;* quoad *media,* exercitia spiritualia et corporalia; quoad *modum vivendi exteriorem* plus minus austeritatis praeseferens; quoad *intensitatem tendendi in ipsam perfectionem* per regulas strictioris vel laxioris observantiae... et alia innumera, per quae, veluti per quaedam magis particularia consilia, ad substantialia pervenitur.

Coroll. Ex dictis sequitur, Ecclesiae ius competit impedimenta statum religiosum dirimentia constituendi et constituta removendi; *cf. Nilles disput. can. De iuridica vot. solemnit. n. 4,* prout iam usa est tali iure n. 5.

356. *Declaratur 2m.* **Quoad substantiam, divinae, quoad modum, Ecclesiasticae est institutionis.** Ad discrimina quod attinet inter varios Regularium Ordines, haec nonnisi ex iis, quae substantiae status religiosi accedunt, derivanda sunt, si quidem communia non propria sunt, quae supra diximus ad essentiam pertinere et esse institutionis divinae. Vidimus quae ad substantiam seu naturam status religiosi pertinent, breviter nunc indicamus, quae ad ipsum status religiosum accidentia sunt, antequam probemus 2m. partem.

Quoad accidentalia status religiosi. Prima quaestio agitanda est, an *solemnitas votorum pertineat ad substantiam* vel *ad accidentia status* ita, ut, sine ipsa, status religiosus proprie dictus haberi nequeat; et *Respond.* pertinere ad *accidentia.* Certum est, solemnitatem ante ecclesiasticam institutionem non fuisse in Ecclesia textu expresso in *C. Quod votum unic. de*

Voto et voti redempt. in 6, ubi: *Nos igitur attendentes quod voti solemnitas ex sola constitutione Ecclesiae est inventa.* Nec statuit aliquo decreto eam deinceps tamquam ad essentiam pertinere, saltem uti conditionem, sine qua non; imo contrarium aperte statuit *Greg. XIII. Constit. Ascendente Domino,* quod Religiosi societatis Iesu, qui peracto novitiatu primam Professionem emittunt, pro veris habeantur religiosis, non obstante quod nonnisi simplicia tunc edant vota: « *Nos considerantes voti solemnitatem sola constitutione Ecclesiae inventam esse, triaque eiusmodi societatis vota, tametsi simplicia, ut substantialia Religionis vota ab hac Sede fuisse admissa, illaque emittentes in statu Religionis vere constitui* » etc. Ista tamen vota simplicia debent emitti in Religione approbata.

Porro **solemnia** dicuntur quae nomine Ecclesiae ab habente potestatem legitimam acceptentur: inducunt perpetuum ac mutuum vinculum inter voventem et ordinem, in quo vota nuncupantur; producunt quosdam iuridicos effectus, e. g. matrimonium ratum dissolvere et simul impedimentum dirimens ad novum matrimonium contrahendum constituere. **Simplicia,** si quo ex istis essentialibus destituantur.

Accidentia cetera praecipua sunt, quibus discriminatur unus ordo ab altero. Discrimina porro, quibus differunt inter se Ordines religiosi, desumuntur 1) ex fine cuiusque proprio ac particulari, ad quem quisque Ordo est institutus; 2) ex diversis mediis et spiritualibus exercitiis, quibus ad finem suum tendit et ad ipsa vota servanda utitur. Utrumque autem proponitur per Regulas et Constitutiones cuiusque Ordinis: hinc diversae Religiones, quae diversas Regulas aut constitutiones habeant. Dixi *diversas Regulas aut constitutiones;* nam plures sunt ordines, qui eadem utuntur Regula, sed tantum diversas Constitutiones habent: imo communiter a Doctoribus nonnisi quatuor Regulae approbatae numerantur: 1. *Regula S. Basilii,* qua pene omnes Monachi Graeci et Ecclesiae orientalis; 2. *S. Augustini,* qua Canonici Regulares et Eremitae S. Augustini, Praemonstratenses, Dominicani, Ordo Servorum B. M. V.; 3. *S. Benedicti,* qua Benedictini, Cistercenses, Cluniacenses, Camaldulenses, Caelestini etc.; 4. *S. Francisci,* qua Minores de Observantia, Conventuales, Capuccini, Tertii Ordinis de Poeni-

tentia etc. utuntur. – Peculiarem ac ceteris distinctam habent Regulam Carthusiani, Minimi S. Francisci de Paula, et Societas Iesu.

Ex dictis intelliguntur distincti *Monachi* et *Canonici* aut *Clerici Regulares*. Canonici enim aut Clerici Regulares ex primaria *Fundatorum intentione ad clericales functiones destinantur:* secus Monachi. Attamen monastici Ordinis professores ex primaeva sua institutione incapaces, aut inhabiles nequaquam sunt censendi ad functiones clericales, cum et aptissime eas exerceant, et praecipuus monachorum institutor S. Benedictus sacerdotes et clericos in monasteria sua suscipi permittat; et ab Abbate dignum de suis eligi velit, qui in Presbyterum aut Diaconum ordinetur. Tot ac tanti autem Sanctissimi Viri, ex Ordine monastico in Presbyteros, Episcopos, et Summos Pontifices ordinati omnibus temporibus fuerunt, ut multa regna salutem, Sedes autem pontificia plurimum ornamenti inde retulerit. Tota ergo differentia est in eo, quod monachorum institutum in primaria intentione Fundatorum non requirat in suis cultoribus clericales Ordines, aut habilitatem ad eosdem, quam tamen in suis exigit institutum Canonicorum aut Clericorum regularium.

Communis est Doctorum *distinctio Ordinum* et *Congregationum regularium in quatuor periodos:* quarum 1ª. a Deciana persecutione decurrit ad saeculum VI., et dicitur *epocha monachismi orientalis;* 2ª. a saeculo VI. ad saec. XI., dicta *epocha monachismi occidentalis;* 3ª. a saeculo XI. ad saec. XVI., epocha *Fratrum mendicantium;* 4ª. a saeculo XVI. ad nos, *epocha clericorum Regularium:* quibus epochis indigitatur ortus et vigor praecipuus, non quod modo desierint. Iamvero instituta regularia huius 4ᵃᵉ. periodi non quidem tamquam accessoriam sicut 2ª. periodus nec tamquam comprincipalem sicut in 3ª., sed tamquam principaliorem profitentur vitam clericalem; ita ut prius clerici, quam Regulares concipiantur, et potius regulam accedere clericatui quam clericatum regulae: qua in re clerici regulares imitantur Canonicos regulares: a quibus ceteroquin differunt, quod Canonici regulares choro unius particularis Ecclesiae addicantur, isti Clerici Regulares, instar mendicantium, vitam ambulatoriam profiteantur.

Ratione vitae alii dicuntur ducere *vitam contemplativam,* qui Deo et divinarum rerum contemplationi principalius vacant; ut sunt ordines monastici, qui nomine suo solitudinem profitentur. Item ordo Canonicorum Regularium et etiam quorumdam Clericorum Regularium, qui ordinatur ad opera vitae contemplativae; inter quae praecipue sunt ea, quae aguntur in divinis mysteriis, ad quae ordinatur directe ordo Canonicorum et quorumdam Clericorum Regularium. Alii *vitam activam,* qui ad exteriora charitatis officia ex primario instituti sui fine excurrunt, e. g. equites religiosi Melitenses et Teutonici, Fratres de Misericordia de Redemptione Captivorum. Alii *vitam mixtam,* quos proprium institutum ad spiritum contemplationis cum exterioribus actibus ad salutem proximi pertinentibus coniungendum obstringit, quales sunt ordines Praedicatorum S. Dominici, Minorum S. Francisci, Societatis Iesu. Vitae rationem eorum, qui monasticam sectantur si consideremus, dicendum, sectatores S. Benedicti, S. Bernardi etc. in his partibus, et hodie et semper tenuisse vitam mixtam.

Ratione finis diversi, diversitas habitationum dimanat iuxta celebre effatum: « *Bernardus valles, montes Benedictus amabat. Oppida Franciscus, magnas Ignatius urbes* », scilicet illi profitentes contemplativam vitam amant montes et valles, ut a saecularium conversatione semoti quietius Deo vacent; isti finem animarum salutis intentum, ubi sunt animae in oppidis et urbibus opportunius consequantur: hinc illi figuntur loco stabili, isti ex dispositione superiorum ad mutanda domicilia semper sunt parati, ad proficiscendum eo, ubi utilior videbitur eorum opera.

Ratione rigoris maioris vel *minoris* in voto paupertatis differunt ita, ut alii administrationem tantum atque usum, alii omne dominium etiam rerum suarum abdicent. Antiqui monachi usum tantum abdicasse videntur, sicut scholastici Societatis Iesu ad aliquod tempus. Hodie per votum solemne paupertatis inducitur incapacitas dominii in singulis religiosis, quorum aliqui dicuntur *mendicantes,* qui ex regula et professione sua, nec in communi habere redditus aut possessiones possunt, e. g. Ordines Praedicatorum, Minorum, Eremitarum S. Augustini, et Carmelitarum. Ex concessione tamen Tri-

dentini, *Sess. 25. c. 2. de Ref.*, omnibus monasteriis et domibus etiam mendicantium possidere licet bona immobilia, exceptis domibus *S. Francisci Capuccinorum* et eorum, qui *Minores de observantia* vocantur; quibus suo modo adnumerantur *domus professae Societatis Iesu.*

Ratione chori differunt ita, ut habeant vel non, verum quidem est, nonnullos putasse e. g. Canum, vix religionis nomen mereri Ordinem choro non adstrictum, sed ab essentialibus supra expositis falsum omnino et nonnisi rerum suarum nimio abrepti studio, id dicere videntur. Qui non habent, cum sint animarum curae valde intenti, compensant chori ornamentum ministerio apostolatus etc.

Ratione victus etiam differunt. Plures enim a carnibus semper abstinent, e. g. Carthusiani, Carmelitae discalceati, Minimi etc.; alii frequentioribus ieiuniis se affligunt; alii communi victu, iuxta Ecclesiae ritum et consuetudinem hominum honestae sortis, utuntur. Cuique mortalium familiae certi mores pro corpore et generis atque officiorum conditione.

Ratione vestium plures etiam differunt inter se: et quamvis habitus non faciat monachum, diversitas tamen aliqua vestium inter laicos et regulares, inter ipsos Ordines et varias unius Ordinis Congregationes, ex vario populorum aut temporum usu inducta, servanda est tum ad discernendos religiosos a laicis, tum ad varias horum professiones inter se, tum ut pio vestium significatu, Religiosi admoneantur virtutum suae professioni propriarum. Unde tanta veneratio habitui religioso, praesertim mendicantium, accessit, ut eum osculantes dicantur consequi indulgentias. *Lezana Summ. quaes. Reg. v. Habitus Regularis n. 12. 13.*

Cf. penes *Zech* summam capitum, quae a pontificiis constitutionibus decreta sunt circa vestitum Regularium.

Ratione occupationis ordinariae, alii incumbunt etiam labori ordinario manuum, alii extraordinarie. Hodiedum, si excipiantur monachales ordines, quoad mendicantes ceterosque religiosos proprie dictos, qui clerici Regulares audiunt, labor ordinarius manuum laicis semper incumbit, Fratribus quandoque, Patribus aut Dominis, qui audiunt, in sua quaque Religione vel numquam vel recreandi animi causa. Sacerdotes

enim Ordinum mendicantium et Clericorum regularium, aut scholae docendo, aut Ecclesiae ministeriis praedicando et confessiones excipiendo intenti sunt.

357. *Probatur 2^m^*. **Christus Dominus fuit institutor.** Hisce accidentalibus et substantialibus expositis, solvitur quaestio, **Quis fuit horum institutor** : et respondetur parte 2^a^. « **Status religiosus secundum suam substantiam seu essentiam non ab aliquo puro homine, sed immediate a Christo Domino fuit institutus** ». Propositio sic sumpta est communis Patrum et Doctorum.

Christus Dominus saepe exhortatus est ad tria consilia stabiliter sectanda, *cf. ll. cit. supra:* « *Vade, vende omnia, quae habes* etc. *Sunt eunuchi, qui seipsos castraverunt. Abneget semetipsum et sequatur me. Qui non reliquerit patrem, aut matrem, aut uxorem* » : atqui hisce continetur natura status religiosi proprie dicti, etiam traditio sui, *cf. Suarez l. 3. c. 2. n. 6,* quam religiosus in manibus praelati facit. *a*) Et re quidem vera dicitur *abneget semetipsum:* abnegat enim se maxime homo (ut Patres omnes exponunt) quando se privat sua propria voluntate et libertate propter Christum ; quia hoc est maxime proprium hominis ut sic, prout significat το semetipsum : atqui per illam traditionem sic se privat.

Constat *b*) etiam ex το « *sequere me* » Christus Dominus non solum docuit, sed et instituit dicta substantialia, praesertim quoad votum obedientiae, quae requirit *traditionem factam homini ut vicem Dei tenenti et acceptanti traditionem nomine Dei,* quod hoc fieri nequit ex sola rei natura ; sed oportet ut Deus positive ostenderit, se velle hunc modum contractus inire cum homine, et quod alicui dederit facultatem ut nomine suo illum perficere valeat, quod hoc fecit verbis: « *sequere me, abneget semetipsum ut sequatur me* ». Nam per haec verba vocabat *homines ut sese omnino illi traderent in perpetuum* obsequium et servitutem, seipsis, ut sic dicam, et suo dominio se spoliantes et in illum transferentes. *Vocabat autem omnes:* ergo το *sequatur me* intelligebat non tantum de propria persona physica, sed de sua persona morali, h. e. de illis, qui illum in terris semper repraesentaturi erant per potestatem ab ipso datam.

c) Adde, si esset iuris ecclesiastici tantum status religiosus posset Ecclesia dispensare quod nequit: *Innoc. III. C. Cum ad monasterium in 6. de Statu monachor. in fine:* « *abdicatio proprietatis sicut et custodia castitatis adeo est adnexa regula monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere* »; ubi *Glos. v. Abdicatio:* « Papa non potest dispensare ut monachus habeat proprium, existendo monachus, sed de monacho potest facere non monachum ». Ergo cum Christus Dominus instituit substantialia status religiosi, sane ipse est immediatus Institutor.

Sed an *Ecclesiae approbatio est ex iure divino?* Ratio est sequens: publica professio consiliorum evangelicorum est ex institutione divina: sed cum ad publicam professionem consiliorum in Ecclesia requiratur non solum tendentia ad perfectionem, sed tria vota in Religione approbata, quaeritur an haec Ecclesiae approbatio sit iuris divini?

Resp. Non videntur Doctores hac de re unanimes: Bouix ait, probabilius hanc approbationem non esse iuris divini. Nos malumus sequi Suaresium, qui *de Relig. Tr. 7. l. 2. C. 15. n. 15,* ait: « Notanda est differentia inter necessitatem hanc (approbationis) ante vel post ecclesiasticam prohibitionem: nam ante prohibitionem non peccaret, qui suo prudenti iudicio et arbitrio modum religiose vivendi inveniret, et honestum et ad perfectionem utilem eum iudicando erigeret et socios reciperet, qui secum illum profiterentur.... nihilominus tamen ad Praelatorum Ecclesiae curam pertinuisset tunc talem introductionem, praesertim cum extensione et propagatione, non admittere, donec ab eis examinaretur et probaretur; quia hoc sine dubio per se necessarium est ad bonum Ecclesiae regimen; et ideo in Praelatis Ecclesiae non deest potestas ad prohibendos hos vivendi modos non examinatos, nec per Ecclesiam, i. e. Ecclesiae Pastores approbatos ».

Ex quibus Suaresii verbis patet, Ecclesiae approbationem sive expressam sive tacitam sive ut elementum essentiale, sive ut conditionem sine qua non, necessariam semper fuisse. Quod etiam sine Suaresii auctoritate intelligitur: nam status religiosus exigit *publicam professionem consiliorum evangelicorum:* secus non est status pertinens ad publicum religionis exerci-

tium: atqui Christus ipse potestati Ecclesiae suae subdit quidquid pertinet ad publicum religionis exercitium, et ad animarum salutem atque perfectionem efficaciter obtinendam: ergo.

Si quis autem insistat: quod est ex iure divino semper extitit; atqui approbatio, qualis nunc esse debet, *expressa* scilicet ab Apostolica Sede, non semper fuit, et tamen Ordines religiosi semper extiterunt: ergo non est ex iure divino nec proin est de substantia:

Resp. α) Apostolica Sedes tunc permittebat Praelatis Ecclesiasticis, ut in dioecesi quisque sua expresse, vel tacite approbaret Ordines religiosos. β) Ceterum quaecumque facta fuerit immutatio seu determinatio, non incongrua comparatio fit a Doctoribus status religiosi determinandi cum determinatione ἐν ατομω materiae et formae sacramentorum. Sicut enim determinatio ἐν ατομω aliquorum sacramentorum nunc spectat ad horum essentiam, ita et expressa approbatio seu erectio ad dignitatem status religiosi, nunc pertinet ad essentiam eius; sed Christus adhuc dicitur omnium Sacramentorum Institutor; ergo etiam status religiosi; quamvis ad hunc in concreto habendum requiratur Ecclesiae adprobatio.

358. *Probatur* 2^{m}. huius 2^{ae}. partis asserti, scilicet: **Quoad accidentalia religiosi Ordinis, haec sunt ecclesiasticae institutionis.** Quamvis enim Christus statum religiosum instituerit secundum substantiam, tamen accidentalia reliquit determinanda Ecclesiae: sicut cum ipse instituerit Sacramenta quoad substantiam, accidentia vero Sacramentorum reliquit determinanda Ecclesiae, uti fert communis Theologorum opinio: hoc evidenter patet quoad solemnitatem votorum. Nam *C. fin. de Religios. domib. et C. un. eod. in 6,* statuitur vota religiosa seu Professionem religiosam debere fieri in religione approbata a Sede Apostolica; statuitur quod secundum praesentem Ecclesiae consuetudinem Ecclesia non approbat, nisi statum caenobiticum, i. e. commune viventium sub uno capite seu Praelato ecclesiastico, sub una regula approbata ad christianam perfectionem tendentium: quod per regulam approbatam obtinetur modus determinatus tendendi ad perfectionem mediantibus consiliis evangelicis: ergo.

Ex dictis igitur probatum manet 2^m. membrum huius 2^ae. partis, statum scilicet religiosum quoad modum determinatum vivendi per hanc vel illam regulam est iuris ecclesiastici, quia *l. c.* dicitur quod approbatio Ordinum religiosorum soli Romano Pontifici sit deinceps reservata. *C. fin. de Religios. domib. Cf. Bellarm. l. 2. de Monach.*

Coroll. I. *Ex quo sequitur posse Ecclesiam apponere conditiones quas vult,* ut fecit 1. in ordine ad matrimonium, quod nunc invalide contrahitur a solemniter professo: non antea, h. e. prioribus saeculis; 2. ad vinculi firmitatem, cum antea professus solemniter poterat libertati omnimodae dimitti; 3. quoad paupertatem cum antea capax dominii erat.

359. Coroll. II. *Ergo status religiosus numquam deerit in Ecclesia.* Hinc sequitur fieri numquam posse, ut publica (licet forte non civiliter agnita), consiliorum evangelicorum professio desit in Ecclesia, adeo ut clerus ille, qui dicitur saecularis, quatenus talis, per se non sit simpliciter necessarius. Quamvis Clericatus sit divinae institutionis, quatenus tamen *saecularis est Clerus,* est mera Ecclesiastica permissio; quia scilicet Ecclesia cum sacris ordinibus modo non coniungit obligando professionem omnium consiliorum evangelicorum, sicut imposuit professionem solemnem castitatis. Posset autem deinceps Ecclesia, si id expedire putaret, adnectere omnium consiliorum professionem: et tunc idem esset historice pertinere ad sacram Hierarchiam ac ad vitam religiosam. Quod novum non esset in Ecclesia, cum ab ipsius initio, Apostolis praeeuntibus, factum fuisse constat: unde restitueretur quod fuit ab initio. *Cf. Suarez.* τo *Clerus saecularis non semper fuit in Ecclesia....* E contra Religiosi semper fuerunt, et quidem semper religiosi sacris in ordinibus constituti, h. e. semper fuit clerus regularis: unde quod sit clerus, et quod sit regularis habent ex institutione divina. Et quoniam quae sunt divinae institutionis semper in Ecclesia Dei durare debent, e contra τo *esse clerum saecularem* non esse quid simpliciter necessarium; sequitur Ecclesiae magis utilem esse regularem Clerum. *Et re quidem vera, necessitas status religiosi videtur existere in Ecclesia Dei.*

Catholicam Religionem posse subsistere sine religiosis ordinibus, minime vero carere posse Clero saeculari, error est quorumdam

non modo Protestantium et Iansenistarum, sed et illorum Catholicorum, qui osores sunt Ordinum religiosorum, suumque odium etiam ostendunt (sub quodam honestatis praetextu) cum vel iura negligunt, vel aliquod violant, existimantes obsequium se praestare Deo, vel adolescentes a Religione retrahunt etc., aientes tempus non esse amplius horum Ordinum iure civili in societate extinctorum, omniaque illorum iura naturaliter accrescere, saltem Clero saeculari. Respondeo: *At ex iure divino semper manere debet Hierarchia constans Episcopis, Presbyteris et ministris pollentibus, in suo quisque gradu, potestate tum ordinis, tum iurisdictionis.* Sed inde non sequitur, ut stet Hierarchia, Clericum debere esse saecularem.

Ex alia vero parte probatur α) *regulares semper fore,* β) *atque eos aptiores esse ministeriis ecclesiasticis:* ergo. Probatur 1^m^. ex institutione Christi, et 2^m^. ex modo vivendi et auctorum Doctorum praesertim S. Thomae. Tales porro ministri, Pontifices etiam Summi, et Presbyteri assumi possunt omnes e clero regulari ad omnia officia clericorum propria obeunda; ergo non est necesse ut clerici sint saeculares. *Cf. Bouix de Iure Reg. t. 1:* « Fingas totam Hierarchiam constare Regularibus, quid deesset Ecclesiae? nonne ipsi potius.... esset? Nemo pravum dixerit S. Eusebii Episcopi Vercellensis consilium, eosdem clericos constituendi, quos monachos: ergo saecularitatem supprimi, sicut in una dioecesi ita et in omnibus, per se et absolute non repugnat ».

E contra **status religiosus quoad substantiam in Ecclesia est omnino indefectibilis.** Ecclesia α) enim absque nota sanctitatis stare nequit, β) nota vero sanctitatis praesertim eximiae stare nequit absque publica professione consiliorum: quae γ) publica consiliorum professio, nonnisi per statum religiosum dari potest: ergo status religiosus est indefectibilis: 1^m^. patet.

2^m^. prob. Publica evangelicae perfectionis professio auctorem et institutorem habuit Christum Dominum; quod in Ecclesia sua Christus instituit, deperire non sinit, sed providentia sua sustinet atque permanenter conservat: ergo semper splendescet in Ecclesia publica consiliorum professio.

3^m^. prob. *Publica professio evangelicorum Consiliorum stare*

nequit absque castitatis, paupertatis et obedientiae observantia, voto firmata, ex eo, quod religiosi status essentia consistit in triplici voto perpetuo....

Unde falsa omnino assertio « necessarios esse in Ecclesia saeculares clericos, *statum autem religiosum minime* ». Nam non est necessarium esse saeculares clericos, quia *a*) si regulares essent clerici omnes, non peius sed melius sese haberet Ecclesia. *b)* Neque instituit unquam Christus aut praecepit aut hortatus est, ut clerici forent saeculares: imo si perpendantur hinc virtutes sublimis sanctitatis et perfectionis, quibus fulgere deberent omnes ecclesiastici viri, praesertim Diaconi, Presbyteri et Episcopi, maxime nunc temporis ad vitam sacerdotalem ducendam..., inde occasiones innumerae clero saeculari et difficultas magna prae temporibus adversis Ecclesiae continendi clericos in casta vita et totius formae virtute, rari potius erunt ministri Dei, qui degentes in saeculo integerrimam sacerdotalem ducant vitam; unde vita religiosa iam foret necessaria pro maxima parte....

Permissa autem, non necessaria in clericis saecularitas est, et ideo permissa, quia Christus non praecipiendo, sed suadendo omnibus statum religiosum instituit. At sicut quam Christus Dominus castitatem suasit dumtaxat et eam Ecclesia nunc exigit a suis ministris, ita quoad cetera consilia Ecclesia posset statuere.

360. *Probatur 3^m.* **Ecclesiae Romanae inest ius approbandi et quidem exclusivum** non cumulativum. Nam 1°. est medium ad sanctificationem animarum maxime conducens, et, supposita Christi institutione status religiosi in genere, valde necessarium. Dixi *ius exclusivum:* quia uni Ecclesiae competit potestas, in sacra scilicet, et in ea, quae pertinent ad cultum et Religionem, et in ea, quae praesertim ex institutione divina et ecclesiastica ad bonum maximum, tum individuorum tum universae societatis conducunt. Sed ordo religiosus determinatus pertinet ad cultum, atque in divina institutione fundatus conducit quam maxime ad haec bona etc. Ergo.

Nam *a*) status professionis evangelicae publicae consecrat homines Deo; atque adeo evadunt personae sacrae. *b*) Insuper Ordines religiosi ad Religionem seu cultum pertinent maxime

quia « Religio (ut ait S. Thomas *2. 2. q. 186. a. 1. in* θ) est quaedam virtus, per quam aliquis ad Dei servitium et cultum aliquid exhibet, et ideo antonomastice Religiosi dicuntur, qui se totaliter mancipent divino servitio, quasi holocaustum Deo offerentes ».

Bona et commoda quae religioso et societati nedum ecclesiasticae et civili obveniunt, mitto dicere, cum res sit manifesta vel in ipso odio, quo recentiora gubernia Ordines religiosos prosequuntur: S. Bernardi sententiam referimus solum: « Haec est sancta Religio, in qua homo vivit purius, cadit rarius, surgit velocius, incedit cautius, irroratur frequentius, quiescit securius, moritur confidentius, purgatur citius, remuneratur copiosius ». « A Professione infertur maximum bonum (ait Fagnanus in *c. 22. de Regul. n. 10. seq.*), et quamvis servitus monachalis dicatur districtior corporali servitute, tamen Religiosus servit Ei, cui servire regnare est ».

2°. De facto approbavit omni ferme aetate, hac praesertim nostra approbat, imo Sedes Apostolica, ut supra vidimus, sibi ius reservavit approbandi non modo Ordines religiosos, sed et Congregationes religiosas proprie dictas: ergo habet ius; absurdum enim esset et sanctae Dei Ecclesiae iniuriosum valde, si non haberet, asserere quod sibi usurparet....

Dixi *sibi Apostolica Sedes reservavit*, quia antiquitus Episcopi in sua Dioecesi Ordines religiosos etiam, non solum religiosas Congregationes approbabant. At Concilium Lateranense IV. an. 1215 statuit: « *Ne nimia religionum diversitas gravem in Ecclesia Dei confusionem inducat, firmiter prohibemus, ne quis de cetero novam Religionem inveniat; sed quicumque ad Religionem converti voluerit, unam de approbatis inveniat* ». *C. fin. de Relig. domib.* Quam legem innovans Concilium Lugdunense anno 1275, cunctas Religiones et Ordines mendicantes post Concilium Lateranense adinventos et carentes confirmatione Sedis Apostolicae, perpetuae prohibitioni subiecit.

Quod ius viguit ad nostram usque aetatem *a*) quoad religiones, in quibus est solemnis votorum professio; *b*) at quid de Congregationibus religiosis? Resp. Cum haec florescere coeperint, praesertim a tempore Concilii Tridentini, Pius V. geminis Constitutionibus maxime quoad coetus virorum pro-

hibuit, *Constit. Lubricum vitae genus 1 Dec. 1568,* huiusmodi conventus: in praxi autem quamvis tententur et incohentur sub auctoritate Episcoporum; tamen accedere postea debet approbatio Sedis Apostolicae: quae sequentem methodum adhibet in dictis approbationibus, prout haec in volumine continetur ad usum Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium edito.

1. Quando petitur approbatio alicuius Instituti debent exhiberi *literae commendatitiae* Antistitum locorum, in quibus domus reperiuntur.

Preces remittuntur Episcopo dioecesis, in qua prima fundatio vel domus princeps sita est, ut referat de fine seu scopo, de fundatione, de numero domorum, fratrum vel sororum, de medio sustentationis, deque utilitate, progressu, aliisque similibus.

2. Si Institutum recenter erectum fuerit, unam vel alteram domum dumtaxat habeat, nec opportunae constitutiones adhuc concinnatae fuerint, laudatur finis seu scopus fundatoris, vel finis seu scopus Instituti pro qualitate circumstantiarum.

3. Post congruum tempus, si Institutum satis sit diffusum, uberes fructus retulerit, et Ordinarii locorum illud commendaverint, decretum laudis conceditur Instituto, et aliquando etiam decretum *approbationis;* praesertim si constitutiones efformatae fuerint, nec in substantialibus graves difficultates prae se ferant: quod tamen approbationis decretum ordinarie ad aliud tempus solet differri. Communicantur *animadversiones* circa constitutiones.

4. Constitutiones autem non approbantur nisi per congruum tempus experientia comprobatae fuerunt, et ad tramites animadversionum reformatae.

Approbatio ut plurimum conceditur per modum *experimenti,* e. g. ad triennium vel quinquennium, et deinde, nisi aliquid obstet, decretum definitivum tribuitur.

5. In huiusmodi negotiis expediendis omnia debent referri Summo Pontifici. Quin imo Pius IX., in audientia habita die 22 Sept. 1854, mandavit ut in posterum supplicationes pro laudatione vel approbatione alicuius Instituti et constitutionum confirmatione, antequam quidquam a Sacra Congre-

gatione agatur, Summo Pontifici referantur. *Cf. Lucidi de Visit. ss. Lim. v. II. de Monial. c. 5. art. 2. De disciplina quam servat S. Congr. Episcop. et Reg. in approbatione Institutorum profitentium vota simplicia.*

Quae Instituta profitentium vota sive solemnia sive simplicia fuerint hucusque ab Apostolica Sede vel approbata tacite vel expresse, vel confirmata; cf. scriptores *de Ordinibus religiosis*, atque *de Congregationibus religiosis singulis*, nominatim *Bonanni degli Instituti ovvero Ordini monastici; Card. De Luca Il Dottore volgare lib. XIV. De'Regolari,* vel *eius Theatrum tom. XIV. De Regularibus.*

361. *Declaratur et prob. 4^m^.* Omnes debent agnoscere Ordines religiosos eisque iura omnia sarta tecta tueri..... omnes Catholici, tam Principes, quam subditi, tam laici, quam Clerici, Ordines ipsi religiosi etc. *Iura* tam ad intra quam ad extra. I. *Ad extra* praecipua sunt: 1. *habilitas ad munera ecclesiastica* prout ipsis tribuitur continua praxi et repetitis concessionibus Romani Pontificis, e. g. posse deputari ad curam animarum et obtinere beneficia ecclesiastica regularia, posse in scholis ad gradus academicos et cathedras promoveri, in examinatores synodales nominari; 2. *quoad sacra ministeria, tam in suis quam in alienis Ecclesiis,* ea posse exercere cum habent a Romano Pontifice missionem, e. g. Praedicationem et Sacramentorum Eucharistiae et Poenitentiae administrationem; 3. *libertas in moderandis Ecclesiis,* conventibus in eorumque bonis administrandis; *gaudere privilegiis,* praesertim exemptionis a iurisdictione episcopali in omnibus religionibus formalibus, ut aiunt; 5. et generatim ea omnia, quae in Bullis datis pro singulis Ordinibus continentur: ita ut iuridicos civiles effectus etiam habeant.

II. *Ad intra,* 1. posse statuta in Congregatione aut conventu generali condere; 2. Generales, Provinciales et Conventuales seu locales superiores posse exercere in subditos regulares non solum dominativam, sed et iurisdictionalem potestatem, qua uti veri Praelati in foro externo gaudent.

Hisce positis liquet 4^a^. pars. 1) Nam Catholici etsi Principes sint, qua Ecclesiae membra sunt, pro viribus tenentur conferre Ecclesiae, quae eidem tum necessaria, tum utilia valde

sunt, non arbitrio proprio sed eius, qui toti reipublicae christianae praeest: atqui hoc in casu non conferrent, si non agnoscerent, si non protegerent Ordines religiosos ab Ecclesia statutos, si neque eorum iura sarta tecta tuerentur: ergo.

2) Quemadmodum religionis ordinem evertit, in eamque est sacrilegus qui sacrificat, dum non est sacerdos; ita eiusdem ordinem evertit eamque violat, qui de ea quidpiam disponit, cum eius cura ad se commissa non fuerit, imo contra leges canonicas agat. Atqui tales existunt, qui haud agnoscunt, nec tuentur, sed contemnunt iura Regularium.

3) Religio est fundamentum felicitatis temporalis, qui finis est societatis civilis: ergo cavendum maxime est Principi civili, ne Religionis ordo violetur et turbetur; quod profecto contingeret, si Ecclesiae iudicia circa Ordines religiosos contemnerent aut negligerent. Una namque Ecclesia nosse potest quid vere ad religionem pertineat vel non, quidve ad eius bonum conferat, aut ei noceat.

Quod si fiat hypothesis, civilem potestatem legibus suis nolle agnoscere ab initio, aut iam agnitum supprimere Ordinem Regularium a S. Sede approbatum, tunc coram Ecclesiae subditis ordo ille adhuc debet agnosci iuribus suis ornatus. Potestas enim civilis nil valet in sacra, nullumque valorem habent eius actus Religiosos a domibus suis exturbandi, eosque privandi bonis ac iuribus: atqui actus eis denegandi civiles quosdam effectus nil aliud sunt, quam effrons contra Sanctam Romanam Ecclesiam perduellio. Hinc *Reg. Iur. 64. in 6:* « *Quae contra ius fiunt debent utique pro infectis haberi* »; et *Reg. 52:* « *Non praestat impedimentum quod de iure non sortitur effectum* ». Nemo autem ius suum amittit, eo quod vis ipsi inferatur. Porro cum civile gubernium contra leges Ecclesiae religiosas Communitates exturbat, disiicit, dispergit, per nefas agit et vim committit. Ergo Regulares sua iura non amittunt. Etiamsi haec iura et privilegia, a Romano Pontifice concessa, censentur personae morali ex membris dispersis coalescenti, tamen societas nequaquam destruitur per dispersionem aut interruptionem cohabitationis; cum remaneat vinculum, quo mutuo colligentur, scilicet auctoritas superioris et

ceterorum ipsi parendi obligatio, nec non vivendi iuxta normam praescriptam Instituti communis.

Unde manet in ipsis potestas Ordinem perpetuandi cum omnibus suis iuribus ac privilegiis, quia est ius collatum a S. Sede personae morali: omne ens morale vivit omniaque sua iura servat usque dum ultimum eiusdem membrum supersit. *L. Sicut ff. Quod cuiusque universitates.* Et Glossa in *C. Statutum 2. de Elect.*, ait: « *Ius Collegii bene remanet in uno* ». Pariter Glossa in *C. Gratum de Postul. praet.*, ait: « Universitas remanet in uno, sive ius universitatis... Licet Collegium desinet esse Collegium omnibus mortuis praeter unum, nihilominus ius Collegii seu universitatis remanet in illo per *L. Sicut municipii* § *Ultimo* »: atqui haec regula generalis est quoad quamlibet hominum collectionem. Unde 1°. contra horum Regularium et Sedis Apostolicae voluntatem nemo potest ipsorum bona apprehendere vel retinere. *Cf. Bouix l. c. p. 359.*

2°. Sed Ordo religiosus neque relate ad suos ius aliquod amittit in civili persecutione. Religiosi enim, etsi dispersi, votis tenentur: paupertatis, ita ut non sibi sed monasterio seu Religioni acquirant, resque haud incongruas et superfluas statui, sed necessarias et utiles sibi tantum comparare valent; castitatis votum manere per se patet; voto obedientiae subiecti remanent praelato suo, licet dispersionis tempore soleat in praelatum legitimum assignari a Romano Pontifice Episcopus loci, in quo versantur. Porro nequit Episcopus Regulares dispersos dioecesis suae in statu et conditione presbyterorum saecularium ita constituere, ut eximantur ab Instituti sui obligationibus et observantiis cum statu dispersionis compatibilibus.

II. QUI INGREDI POSSINT RELIGIONEM; QUALIS NOVITIATUS PONI DEBEAT.

Summarium. — Quodnam sit 1) subiectum capax regularis vitae, cuius 2) inchoationis stadium, probatio scilicet quoad tempus et modum ex Tridentino praesertim determinata, breviter exhibetur.

362. *Declaratur 1^m^*, scilicet **Qui ingredi possit vel non.** Cum vita regularis sit de meliori bono, omnibus patet ad eam

aditus, nisi a iure claudatur: clauditur autem: 1. *criminosis, Sixtus V. Bulla Cum de omnibus;* ne secus religio dedecoraretur, et ne rei sub hoc praetextu evaderent poenam criminis. *Criminosos* intellige, quos actis publicis constiterit apud saecularem curiam de crimine accusatos vel inquisitos fuisse. *Sixtus V. Const. Ad Romanam.* Advertatur quod Clemens VIII. *Const. In Suprema,* abrogavit, quoad sancitam nullitatem admissionis et professionis, dispositionem Sixti V.; 2. *infamibus,* qui cum in Clericos, multo magis in monachos recipi nequeunt; 3. *impuberibus* et minoribus sexdecim annorum, qui admitti ad professionem non valent; 4. *illegitimis,* si pater in eadem religione esset professus; 5. *corpore vitiatis,* ut sunt caeci, muti, morbo gallico correpti, amentibus furiosis; 6. *matrimonio consummato devinctis,* quia tale matrimonium est indissolubile etiam extrinsece; nisi tamen adsit consensus, vel nisi perpetua separatio fuerit legitime facta per sententiam Episcopi propter adulterium carnale vel spirituale, scilicet propter haeresim; 7. ob matrimonium spirituale *Ecclesiae particulari addictis,* e. g. Episcopis et maioribus Praelatis, qui absque Sedis Apostolicae auctoritate monachi fieri nequeunt, *Cap. Inter de Transl. Ep.;* 8. *iis,* qui parentes habent in gravi necessitate constitutos, et quos possunt sine animae praeiudicio iuvare; 9. *iis,* qui ob administrationem publicam vel privatam bonorum temporalium, ad reddendas rationes tenentur adhuc; 10. *iis,* qui non habent *necessarias animi dotes;* 11. *iis,* qui Episcopi testimonialibus, eius loci, in quo postulans religionem ultra annum moratus sit, carent, *S. C. super statu Reg. Decreto Romani Pontifices 25 Ian. 1848;* 12. *iis,* qui supernam non praeseferunt vocationem; 13. *iis,* qui in alia religione iam est professus, nisi transeat a laxiori ad strictiorem. *Trid. Sess. 25. c. 19. de R. Reg.;* quo etiam in casu transitus est illicitus, si fiat ex temeritate, aut levitate, aut in iacturam vel iniuriam proprii Ordinis, *C. Licet de Regul.,* ubi Innocentius III. praecipit perendam esse a superiore licentiam, licet necessarius non sit consensus extra casum privilegii specialis; 14. *iis,* qui ingenti aere gravati vel reddendis ratiociniis ita obnoxii, ut ex huiusmodi causis, vel molestia eis iam illata sit, vel timendum est, ne inferatur, *Sixtus V. Const. Cum de*

omnibus; quamvis si secus fiat, irrita non sit professio, *Clem. VIII. Const. In suprema;* 15. ex eadem causa prohibentur ingressu Religionis, *occupati vel inquisiti* coram iudice civili de gravi scelere, e. g. homicidio, furto et similibus. *Sixtus V. et Clem. VIII. Const. cit.* Sed de his iam diximus supra, ubi de criminosis. Unum notamus cum Suarez, *de Relig. tract. 7. l. 5. C. 5. n. 19,* accusatum posse religionem ingredi, si est absolutus, imo si damnatus ad poenam, hanc impleverit, nisi obstet bonae famae defectus... relate ad quosdam Ordines regulares.

Ad Clericos et beneficiarios quod spectat, ii omnes, etsi curam animarum habentes, sine Episcopi licentia, imo Episcopo contradicente, possunt ordinario et regulariter ingredi religionem *a*) *Can. Duae sunt 2. can. 19. q. 2; Bened. XIV. Breve Ex quo 14 Ian. 1747; b*) unanimi Doctorum Catholicorum sententia, *Th. 2. 2. q. 189. a. 7; c*) ex ipsa natura status religiosi, ut patet. *Bouix de Reg. t. 1. p. 544.*

Notamus quod clericus curam habens animarum, de suo Religionis proposito monere debeat Episcopum. *Bened. XIV. l. c.*

Dixi *ordinario et regulariter* ob duas exceptiones: quarum altera est, quod non possit ingredi Religionem Clericus, si Ecclesia grave detrimentum patiatur. *C. Licet de Regul.,* ibi: *Crederemus tamen quod posset Episcopus eum repetere, si ex transitu suo prima ecclesia gravem sustineret iacturam. Cf. et Benedict. XIV. Const. Ex quo.*

Altera exceptio est, si clericus *ex pacto* sese obligaverit ad serviendum dioecesi per aliquod annorum spatium.

Advertimus tandem, facultatem seu libertatem Clericorum ingrediendi Religionem intelligi debere etiam de ingressu in Congregationes cum votis simplicibus perpetuis approbatas: quod constat ex textibus citatis, ubi *religionis* nomine venit vita perfectior, seu status religiosus, atque ex declarationibus *S. Congr. Ep. et Reg.,* praesertim *3 Maii 1839.*

363. *Declaratur 2^m.* scilicet **de Novitiatu.** Religiosa probatio seu Novitiatus est velut stadium inchoationis vitae religiosae. Ante Tridentinum Concilium haec probatio maiori vel minori temporis spatio peragebatur: communiter triennium impendebatur ante professionem: nec actus ad professionem religiosam adeo fixa erat. Ast Tridentinum saltem annum sex-

tumdecimum expletum aetatis fixit pro dicta Professione, etsi non vetuerit seriori aetate illum emitti, aut religionem ingredi ante decimumquintum aetatis annum posse. In Tridentino decreto distinguenda sunt 1) *tempus* quantum et quale ad tyrocinium et professionem; 2) *modi* peragendi probationem; 3) speciatim vero ne laedatur libertas, praesertim *quoad bonorum renuntiationem.*

Quoad tempus iuxta Tridentinum debet α) poni tyrocinium β) per integrum annum saltem, in praeparationem ad professionem faciendam expleto saltem sextodecimo aetatis anno, sub poena invaliditatis, si tyrocinium non rite fuerit positum, aut si fuerit interruptum, vel si una dies aut hora anno tyrocinii, aut aetatis legitimae defuerit: h. e., novitiatus debet esse 1. integer et continuus; 2. absque labe simoniae; 3. illaesa libertate, praesertim quoad renuntiationem bonorum, quae duos menses ante solemnem professionem fieri tantum potest, et quoad spontaneum profitendi animum. Nunc autem quoad tempus transigendum ante professionem solemnem in ipsa Religione facta est quaedam immutatio S. C. Reg. decretis, nominatim ex *decr. Martii 1857.*

Quoad modum peragendae probationis, totum pendet a peculiaribus cuiusque instituti legibus: illud universum dici debet eo modo probationem peragendam, quo tyro religionem et vicissim religio tyronem plene cognoscat, antequam professio emittatur. Hinc varia experimenta.

Etiam relate ad modum probationis peragendae facta est quaedam immutatio. Nam cum ex rei natura et ex *Clem. VIII. Const. Cum ad regularem,* inquirendum sit, « *quo spiritu, qua mente* (postulans) *id vitae genus elegerit: quem finem sibi proposuerit: num zelo perfectioris vitae, an potius levitate vel humano affectu aliquo ducatur* », quo melius vocatio haec et habilitas postulantis ad regularem vitam dignoscatur, Sacra Congregatio super statu Regularium, *decreto Regulari disciplinae 25 Ian. 1848,* statuit faciendum duplex scrutinium, quorum alterum fieri debet a Superiore provinciali in provincia, alterum vero Romae a Superiore Generali iuxta varia puncta eodem expressa decreto. Posito a novitio integri anni tyrocinio lex erat, *Trid. Sess. 25. c. 16. de Regul.:* « finito tempore

novitiatus superiores novitios, quos habiles invenerint, ad professionem admittant, aut e monasterio eiiciant ».

At Sacra Concilii Congregatio asseruit iam sub Pio V., quod sanctitas sua concesserit ut Superiores possent prorogare novitiorum probationem, quando ii nondum religioni satisfecerint, modo spes adsit, eos futuros esse habiles intra sex menses. Sacra deinceps Congr. Episc. et Regularium, *decreto* praesertim *19 Martii 1857* statuit post novitiatum posse emitti tantum vota simplicia et professionem votorum solemnium non posse fieri, nisi post triennium a die emissorum votorum simplicium: quod profecto triennium quaedam ulterius probatio est.

Quamvis novitius Religionis privilegiis utitur, et regulas servans non possit absque rationabili causa a Religione dimitti, tamen ipse sua *gaudet libertate* redeundi ad saecularia vota: imo, ne haec laedatur libertas, duplex lex animadvertatur edita a Concilio Tridenrino *Sess. 23. c. 16*, quarum altera sub anathemate prohibet, ne novitius eiusque parentes et propinqui aliquid monasterio tribuant, excepto victu et vestitu; simulque praecipit ut novitio non perseveranti omnia sua restituantur: altera sub nullitatis poena vetat, quominus tyro aliquam renunciationem faciat, aut obligationem contrahat etiam favore cuiuscumque causae piae, et etiamsi accesserit iuramentum, nisi cum licentia Episcopi intra duos menses proximos ante professionem, ita ut actus vim habeat, ex *valida* professione solemni, quae reapse nunc ex Pii IX. dispositione sequatur post triennium a simplici professione; quod triennium duos menses antequam expiret, permittitur renuntiatio. Quae lex sapientissima est ad dictam libertatem tuendam, ne scilicet novitius eiusmodi renuntiationibus et obligationibus, suis spoliatus bonis, nisi in saeculo velit emendicare, in monasterio invitus manere cogatur.

Qua aetate et qualitate praediti esse debeant novitiatus moderatores, et quale horum regimen, diserte exprimitur in citata Constitutione Clementis VIII. A quo etiam habetur quod novitius *regulariter* sub nullitatis poena tyrocinium peragere debeat habitu religionis, *decr. 19 Martii 1603*, et in conventibus per Sedem Apostolicam in qualibet provincia deputandis.

Ex *C. Recolentes de Statu monach.*, habetur: « Dignum est, ut qui similem cum aliis vitam suscipiunt, similem sentiant in legibus disciplinam », quamvis in rigore ad regulas non teneantur. Etsi tandem novitii religionis votorum solemnium quoad peccata absolvi possint tam a confessariis Regularium, qui cum ipsis sub eadem obedientia vivunt, quam a sacerdotibus saecularibus, tamen Clemens VIII. Bulla *Regularis disciplinae* iubet, ut cura novitiorum in confessione audiendorum soli eorumdem magistro committatur; si novitii non sint religionis votorum solemnium, nonnisi apud approbatos ab Ordinario valent sacram confessionem peragere.

III. DE PROFESSIONE VITAE RELIGIOSAE.

Summarium. — Tradita tam late, quam stricte sumptae professionis 1) notione, huius praeter 2) subiectum capax, 3) effectus breviter recensentur: atque 4) indicatur quid constituat solemnem professionem.

364. *Declaratur 1^m^*. Late sumpta professio definiri solet: « *Promissio rite et libere facta legitimeque acceptata, qua quis se adstringit ad vota paupertatis, castitatis et obedientiae, iuxta proprii ordinis constitutiones observanda* ». At professio stricte sumpta est « *contractus ultro citroque obligatorius, quo quis per vota solemnia se Deo et religioni tradit, et religio vicissim eiusmodi traditionem acceptat cum onere ipsum voventem perpetuo retinendi, alendi, et tamquam filium iuxta regulam et institutum tractandi* ». Quae ultima praesertim definitio communis est, nobisque indicat, qualia esse debeant vota, ut valida sit professio. In primis distingui debet ex summario antecedenti duplex professio; altera scilicet votorum simplicium, altera votorum solemnium: vidimus enim posse dari verum proprieque dictum religiosum sine solemnitate votorum: et modo cetera substantialia adsint, posse consistere statum religiosum proprie dictum: iamvero antiqua regula quod « *monachum facit professio regularis* », etiam nunc obtinet. Ergo. Hinc verum quod asserit P. Nilles, *dissert. de Iurid. votorum solemnitate pag. 13*, « impedimento status religiosi, quod olim ex defectu votorum solemnium oriebatur,

per recentiorem legem sublato, etiam in Ecclesia latina iam sunt duae professorum classes, altera cum votis solemnibus, altera cum votis simplicibus tantum, quia in nova disciplina stabilienda, Occidentalis Ecclesia propius ad Orientalem accessit ». Ex duabus definitionibus nuper traditis prior votorum simplicium, posterior votorum solemnium professioni convenit.

Porro, ut vota sint valida, debent esse I. vel *solemnia,* vel *in Religione approbata simplicia,* cum hodie non approbatur aliquis coetus in Ordinem religiosum stricte sumptum, nisi habeat votorum solemnitatem; II. debent esse *emissa in manu legitimi superioris,* et relate ad stricte sumptam professionem, superior debet acceptare nomine Ecclesiae et se nomine Religionis obligare ideo, quia est contractus mutuus ultro citroque obligans; III. debet esse *professio expressa,* nec sufficit tacita: *expressa,* scilicet quae verbo, scriptura, aliisque signis consensum sufficienter declarantibus, exprimitur: *tacita,* quod facto aliquo continetur, e. g. gestando habitum Professorum, permittente superiore, ferendo suffragium in Capitulo; quod scilicet non oretenus, sed e. g. quod quis post probationem in Religione permaneat, cum professis versetur; eorum in censu habeatur, eorumque iuribus gaudeat Religione annuente. At quod tacita modo non sufficiat ex pluribus Sedis Apostolicae responsis decretum est, praesertim *17 Iulii 1858,* ubi n. 11, dicitur: « Ad valida emittenda vota solemnia post vota simplicia, requiritur professio expressa, et ideo professio tacita omnino abrogata est »; IV. tria substantialia vota emitti debent vel *explicite* vel *implicite promittendo* e. g. servare Regulam vel vivere secundum Regulam, vel promittendo obedientiam secundum Regulam; V. ut subiectum sit capax.

365. *Declaratur 2^m^.* **Capax autem erit subiectum,** si expeditum fuerit ab impedimentis, scilicet spectato iure Tridentino; et antiquiori incapax est subiectum, 1. si tyrocinium quoad modum et tempus supra indicatum non posuerit, e. g. sextumdecimum aetatis annum nondum expleverit, aut probationis annum non exegerit, aut vel per unam horam interruperit, exiens cum animo amplius non redeundi etc. 2. Qui peracta probatione iuxta Tridentinum, ex Pii IX. Constit. *Ad Universalis 7 Sept. 1862,* professus non sit tria vota simplicia,

in iisque triennium non permanserit. 3. Episcopi, nisi habeant a Romano Pontifice facultatem: quod dici de reliquis Clericis non debet, qui neque Episcopi indigent facultate. 4. Quicumque matrimonii vinculo ligentur, nisi agatur de matrimonio non consummato, et infra duos menses ab eius celebratione alter coniugum religionem fuerit ingressus. 5. Qui carent libertate ob metum, vel minas aut violentiam. Nam haec et similia impedimenta vel iure naturali ut 3^m. et 4^m., vel iure positivo ut 1^m. et 2^m. obsunt quominus professio valeat.

366. *Declaratur 3^m.* **Effectus praecipui votorum solemnium proprii** sunt: I. Exemptio coniuncta cum votis solemnibus a iurisdictione Ordinariorum et immediata subiectio Romano Pontifici.

II. Relaxatio irregularitatum.

III. Insuper professio dissolvit matrimonium ratum, et dirimit contrahendum. *C. 2. Ex publico et C. 14. de Conversione coniugatorum.* Quod si sit consummatum, inducit divortium perpetuum quoad torum et cohabitationem.

IV. Obligationem inducit perpetuo manendi in Ordine, in quo emittitur professio, una cum observantia Instituti. Ex ipsa namque definitione patet praeterea vim habere: ut *a*) profitentem efficiat religiosum, eumque obliget ad observationem votorum, praesertim Paupertatis, Castitatis et Obedientiae ita, ut neque Romanus Pontifex facere possit ut professus maneat talis et servare vota non teneatur, *C. Cum ad monasterium in C. fin. de Statu monachor.; b*) liget Professum Religioni et hanc Professo ita, ut nec sola Professi, nec sola Religionis voluntate, neque mutuo utriusque consensu dissolvi possit. Unde alii duo sequuntur effectus: *c*) quod scilicet transferat personam Professi in dominium et potestatem Religionis, et Religionem vicissim obliget, ut illum alat, retineat, atque uti filium tractet: deinde *d*) per professionem patria potestas solvitur quoad ea, quae Professo damnosa et Religioni praeiudiciosa sunt: nam quoad ea, quae utrique utilia manet patria potestas, ne quod ob gratiam ipsi conceditur, in eius dispendium detorqueatur contra *Reg. Iur. 61. in 6.*

V. Perimit omnia vota in saeculo nuncupata et quidem ipso iure *C. Scripturae 4. de Voto.*

VI. Eluit infamiam forte contractam ex crimine, e. g. periurio, furto, falso testimonio deposito in iudicio, *Novell. 5. in princ.*, diluit notam ingratitudinis, quae de iure suffecisset ad exhaeredandum filium. *Can. fin. c. 19. q. 3.*

VII. Habetur professio ut secundus baptismus, quod pertinet ad poenas peccatorum, licet penes quosdam Auctores professio dicatur impertiri condonationem plenissimam omnium peccatorum sicut baptisma: nam cum professio non sit sacramentum, non quoad culpam, sed quoad poenam, si profitens sit in statu gratiae, dictum patet.

VIII. Tandem professio inducit vacationem omnium beneficiorum iam obtentorum, et inhabilitatem ad alia in posterum obtinenda, incapacitatem privati dominii, unde quidquid monachus acquirit, non sibi sed monasterio acquirit.

Ex dictis etiam intelligitur, qua ratione dici possit professum esse mortuum civiliter aut mundo.

367. Ad IV. effectum diximus ex votis nuncupatis oriri obligationem perpetuo manendi in Instituto iuxta quod vovit **una cum observantia votorum et regularum**: ad quem effectum praestat addere seqq.:

I. *Vi votorum* 1. paupertatis obligatur religiosus ut nil habeat proprium. Nomine autem proprii intelliguntur bona temporalia pretio aestimabilia, quorum dominium, vel certe facultatem disponendi liberam et independentem in perpetuo abdicavit. *Can. Non dicatis 1. cau. 12. q. 1.* Dixi *bona temporalia,* quia religiosus retinet dominium bonorum spiritualium honoris, famae....; cetera patent.

2. Castitatis voto obligatur ut abstineat se ab omni actu venereo tam interno, quam externo: unde castitas, ante votum obligabat ad temperantiam, post votum emissum obligat ex virtute religionis: unde duplex malitia, scilicet luxuriae contra castitatem, et sacrilegii contra religionem.

3. Ex obedientiae voto religiosus tenetur ad omnia, quae superior praecipit secundum regulam et constitutiones Ordinis, sive directe et expresse, sive indirecte et implicite. Et si praecipiat in virtute sanctae Obedientiae, in nomine Domini I. C. vel simili forma, tenetur obedire sub mortali. *S. Th. 2. 2. q. 104.* Unde subditus non tenetur obedire in iis, quae sunt vel contra

regulam, vel supra regulam, vel infra regulam: nec refert quod regulae iubeant in omnibus obedire: quod non de voti, sed de obedientiae perfectione intelligitur.

II. *Vi regulae.* praescindendo a materia voti, obligatio quaedam existit saltem ad poenam subeundam, si transgressori imponatur. Ceterum, votum obedientiae, ait Suarez, non obligat immediate ad servandam regulam (nisi regula ipsa exigat voti obligationem) sed ad *obediendum secundum regulam, De Relig. tr. 8. l. 1. c. 2. n. 7.* Nam 1) si regula *sileat* circa obligationem ex ipsa exurgentem, ex communi sententia regula non obligat sub gravi. Sed an *sub levi:* dignoscendum ex adiunctis atque interpretatione apud unamquamque religionem recepta; 2) si in regula expresse cavetur *eam obligare quantum potest,* tunc peccatum erit grave vel leve, prout materia gravis aut levis est: 3) si expresse cavetur sub levi obligare, tunc, etsi materia sit gravis, leve erit peccatum.

Quod si regula per se non obligat, poterit obligare per accidens ex adiunctis scilicet: Porro adiuncta, quae peccaminosam reddere possunt violationem regulae, haec recensentur: 1. violatio facta ex contemptu, adnexum habens periculum proximum labendi in peccatum. Si damnum inferat religiosae disciplinae, ruinam aut voti violationem. Si religiosum exponat eiectioni, vel si secum trahat violationem praecepti tendendi ad perfectionem. *Cf. Suarez. De relig. tract. 8. l. 1. c. 2. et cap. 4....*

Ceterum sedulo distinguendum aliud esse delinquere in votum, aliud delinquere in desiderium ulterioris perfectionis in virtute, qua votum continetur: in 1°. casu habes verum peccatum, quod definitur legis transgressio: in 2°. casu habes merum ulterioris perfectionis defectum. Sic ad perfectionem obedientiae non sufficit quilibet exequendi modus; sed requiritur in exequendo alacritas et affectus voluntatis tum in rem ipsam, quatenus iniunctam, tum in superiorem quatenus eam praecipientem. *Cf. Bouix de Regul. t. 2. p. 568.*

368. *Declaratur 4^m.* Antequam tractatio de professione dimittatur, I. animadvertenda est adhuc *immutatio facta per triplicem classem decretorum Congr. super statu Regularium* post Tridentinum. II. Quodnam sit principium essentiae seu formale

votorum solemnium, seu *in quonam reponenda sit votorum solemnitas.* III. *exorto dubio de invaliditate, qui haec probetur.*

Ad 1^m. quod attinet, sufficit revocasse in mentem 1°. *Decretum die 25 Ian. 1848* datum pro Italia et Insulis adiacentibus, quo statuitur ut nullus in Religionem admittatur absque literis testimonialibus Episcopi tum loci, in quo postulans post expletum 15^m. aetatis annum, ultra annum moratus fuerit. 2°. *Decretum Regulari disciplinae eodem anno 1848,* quo statuitur modus tum probandi eos, qui Religionem ingredi postulent, tum eos ad professionem admittendi: 3°. *Decretum 19 Martii 1857,* quod incipit *Neminem latet,* quo statuitur ut peracta probatione iuxta Synod. Trid. 1) novitii vota simplicia emittant, modo XVI. aetatis annum expleverint, vel aetatem maiorem habeant, forte a Constitutionibus proprii Ordinis requisitam; 2) laici vero et conversi tunc admittantur ad professionem, cum ad eam aetatem i. e. ad XXI. expletum annum pervenerint, quae in Constitutione Clem. VIII, quae incipit *In supremo,* praefinita est; 3) tum vero professi votorum simplicium, post triennium, si digni habiti fuerint, ad solemnium votorum professionem admittantur, nisi ratio et lex Instituti proprii longius exigat tempus. Coeterum superiori fit facultas professionem differendi ultra triennium, modo ultra aetatem annorum 25. non procedatur.

369. Ad 2^m. **In quonam consistat solemnitas votorum,** seu quodnam sit principium essentiae? R. distincto principio assentiae a principio existentiae, dicimus principium existentiae esse Ecclesiae constitutionem et probavimus in anteced. Principium autem essentiae seu ipsa ratio formalis solemnitatis non est confundenda cum effectibus iuridicis, ut plures assolent; illam enim per se semper et ubique eadem est, effectus autem, qui a positiva Ecclesiae voluntate pendent, pro variis temporum, personarum, locorum adiunctis varii esse possunt, atque historia teste, varii hucusque fuere. *Cf. Nilles l. c. n. 20-23.*

Ad quaestionem quodnam sit hoc principium formale, seu in quonam consistat haec solemnitas, videtur tenendum quod Victor de Buck S. I. tradit in suo praeclaro opere *de Solemnitate votorum, c. 4. ad 8. Cf. et Nilles l. c. p. 22.*

Nonnulli sic exprimunt: solemnitas votorum consistit in perfecta traditione et acceptatione; debet autem intelligi traditio et acceptatio 1°. nomine Ecclesiae; 2°. utrinque perfecta; 3°. ex contractu ultro citroque oneroso. P. de Buck votorum solemnitatem videtur reponere in interventu Ecclesiae eadem singulariter auctoritate sua confirmantis, sicut de quolibet alio actu solemni dicitur: nam iuridice *solemnis* ille actus dicitur qui, auctoritate publica efficaciter interveniente, *rite* celebratur. Unde ea vota dici poterunt solemnia, quae publica Ecclesiae auctoritate, per legitimorum rituum observationem, efficaciter interveniente, *rite* emittuntur. « Id enim solemne est, ait, quod vim habet non a privata auctoritate, verum etiam ab auctoritate publica, sive haec interveniat per personam publicam, sive per certos ritus et caeremonias, quae iure naturali necessaria non sint: ita ut actus sub singulari custodia reipublicae positus sit, quoniam haec in eius confectione partem habuit..... quemadmodum testamenta et contractus solemnia singularem firmitatem accipiunt ex auctoritatis publicae interventu, sic etiam vota solemnia ex Ecclesiae confirmatione ». In hac porro confirmatione Ecclesiae positam esse solemnitatem votorum probat citatus auctor; dein significatione communi et iuridica verbi *solemnis* quod illustrat historicis exemplis *c. V.-VI.*, tum ex vi vocabuli cum *vota* simplicia et solemnia primum diligentius distincta sunt. Hoc idem argumentum evolvit animadversionibus in Gregorii XIII. Bull. *Ascendente Domino*. Postea doctrinam applicat solemnitati voti castitatis, et fusius voti paupertatis.

370. Ad 3^m. **qui diiudicandum sit in dubio de validitate ob vim, et metum, vel ob defectum aetatis aut alterius requisiti necessarii**, respondemus iuxta Tridentinam Synodum *Sess. XXV. de R. Regul.*, quam Benedictus XIV. *Const. Si datam IV. nonas Mart. 1748* explicat, et modum procedendi magis determinat quoad illa, quae a Tridentina Synodo *l. c.* disposita erant ita, ut fere omnia Constitutione citata inveniantur, quae ad huiusmodi spectent iudicium. In primisque mandat Pontifex 1) ut non extraiudicialiter, sed legitime omnino procedatur; 2) ut religiosus habitum non dimittat; secus non debet audiri, sed tamquam apostata puniri; 3) ut iudicium fiat

coram superiore Regulari simul cum Ordinario, qui si inter se non conveniant, causa devolvitur ad Romanum Pontificem; 4) ut citentur et audiantur Protectores monasterii, consanguinei, et qui bona Professi habent, imo et auctores ipsi e. g. metus incussi, si de invaliditate ob metum res sit; 5) mandat insuper, ut Episcopus deputet Defensorem professionis religiosae (sicut in causis matrimonialibus), qui debeat in causa validitatem ipsius Professionis sustinere, et a prima contraria sententia appellare: et Regulari suam dimittere Religionem sine duabus absolutoriis sententiis non permittitur. Unde si hic nullitatem professionis plene probare nequeat, in foro externo ceu professus semper habetur.

371. Porro quandoque adhibetur ex auctoritate dumtaxat Sedis Apostolicae remedium, quod vocant *restitutionis in integrum*. Restitutio in integrum *formaliter* sumpta, et in genere, est repositio in pristinum statum: *causaliter* vero et specifice est remedium extraordinarium a Praetore introductum, quo laesi ex aequitate vel iusta causa per officium iudicis reponuntur in statu, in quo fuerunt ante laesionem. Extraordinarium est remedium, quia conceditur pro causa, in qua deficit remedium iuris ordinarium seu actio. Ab initio quidem fuit introducta a Praetore: postea tamen ab Imperatoribus extensa, et petitur non per actionem, sed per implorationem officii iudicis. Quod extraordinarium remedium pluribus in casibus adhibendum concedit Sedes Apostolica, ut heic ubi iustis de causis aliquis admittitur ad impugnandam suam professionem etiam post elapsum inutiliter quinquennium: et tunc duplex fit quaestio: 1°. utrum detur locus restitutioni in integrum post lapsum quinquennium; 2°. utrum constet de nullitate professionis. Hodie pertractatur apud *S. C. Episc. et Regul.* utraque quaestio: efformando processum scilicet super causis restitutionis in integrum: tum discutiuntur causae pro invaliditate professionis, eodem prorsus modo, ac si ante quinquennium facta fuisset reclamatio. Porro causae ad implorandam restitutionem in integrum reduci possunt 1. ad ignorantiam impedimenti et nullitatis professionis; 2. ad impotentiam instituendae querelae contra professionem in decursu quinquenii.

Cum vero satis non constat iudicialiter de nullitate pro-

fessionis, ex eadem Apostolica auctoritate adhibetur remedium *dispensationis ad cautelam* ut, exorto dubio, graves ob causas, de validitate professionis, tranquillitati conscientiae prospiciatur. *Cf. Lucidi Visit. ss. Liminum v. II. ed. 1883. p. 3. et seqq.*

372. **Appendix**. Quoad **Moniales** haec pauca animadvertenda censemus: quamvis 1. stricto sensu Moniales illae veniunt, quae solemnia emittunt vota, atque proinde clausuram papalem servant; latiori intelliguntur foeminarum instituta votorum simplicium: unde quae in iure de monialibus habentur, omnia intelligenda veniunt quoad priores: licet posterioribus quaedam sua proportione servata aptentur.

2. Quae post Tridentinum fuerunt immutata a Pio IX. et declarata per S. Congreg., v. g. quoad receptionem aut probationis ac professionis tempus, nonnisi de viris intelliguntur: Moniales vero, nisi expresse nominentur, iis decretis non comprehenduntur, sed adhuc iure Tridentini reguntur.

3. Tridentini has potissimas leges recensere sat est circa moniales, quibus statuit I) quoad *vocationem* dignoscendam, ut examinetur et exploretur puellae voluntas ab Episcopo, vel ab alio, quem Episcopus designaverit, an libere vel coacte religionem ingrediatur. *Sess. 25. c. 17. de Regul.* Unde ne Episcopus professionis tempus ignoret, Praefecta monasterii, sub poena suspensionis ab officio (ad Episcopi beneplacitum), tenetur eum ante mensem facere certiorem. Episcopus autem, ne professio diutius protrahatur, hoc examen fieri curabit infra 15 dies a monitione Abbatissae: quo in examine, nec Vicarius generalis, aut quilibet alius deputatus, nec ipse Episcopus ingredi potest monasterium, sed tantum ad crates sedere. *Pii V. Const. Etsi mendicant 16 Maii 1567.* Etsi cit. decretum Trid. non sit pro Congregationibus votorum simplicium; tamen laudabilis praxis invaluit, ut iuxta dispositionem Trid. et Pii V. *ll. cc.* examinentur puellae ad simplicia vota emittenda.

II) Ut constituatur dos, etsi monasterium, in quo novitia profitetur, iam reditus habeat sufficientes ad congruam sustentationem; eaque transeat in dominium monasterii post novivitiae professionem. In sustentationem monialis in monasterio profitentis constituenda est a patre puellae dos congrua, *Pellizar. de Mon. Const. Apost. Sedis tit. 2. n. 10, ea quantitate* quae

respondeat sustentationis expensis: unde varia est pro variis locis, temporibus, et Institutorum dispositionibus; *fundata in bonis stabilibus*, et his deficientibus, in *censibus* securis: alias recurratur ad superiores ut tuto conservetur; quae alienari nequit pro extinguendo aere alieno, aut pro monasterii necessitatibus, absque licentia Sedis Apostolicae. Et haec dispositio valet etiam pro Congregationibus *votorum simplicium:* in quibus Moniales profitentes certo retinent suae dotis dominium: unde e monasterio egredientibus dos integra restituatur, *S. C. Episc. 3 Mart. 1792:* nisi aliter ex ipso contractus tenore diiudicandum foret, aut pars pro expensis subtrahenda.

III) Quoad *clausuram:* ut primo prohibeatur omnino ingressus virorum et foeminarum, cuiusvis generis et aetatis in earum monasteria: et omnis egressus ipsarum a monasterio, si tamen religionem profiteantur: adeo ut hac lege teneantur tempore educationis etiam puellae in monasterium receptae educationis gratia, in loco tamen seiuncto a monialibus.

IV) Quoad visitationem ut Episcopus, vel praelatus regularis si monasterium exemptum sit, visitet.

V) Quoad dimissionem a monasterio ut neque expelli, neque in aliud monasterium transferri possint absque Apostolicae Sedis auctoritate.

4. Non videntur esse solemnia Monialium vota, nisi haec emissa fuerint in domo clausurae Pontificiae adstricta: patet ex *C. Periculoso De statu Regul. in 6; Trid. Sess. 25. c. 5. de Ref. Reg.; Bened. XIV. Const. Quamvis 30 April. 1749:* ut in Gallia ubi post perturbationem 1789 clausurae episcopali dumtaxat subiiciuntur. *S. Poenit. ad Episc. Coenoman. 2 Ian. 1836, et S. C. Episc. et Reg. in Americana 2 Sept. 1864.*

IV. DE CONGREGATIONIBUS RELIGIOSIS.

Summarium. — Ab ordinibus seu religionibus stricte sumptis 1) distinguenda sunt quaedam alia religiosa Instituta, praesertim Congregationes religiosae sic dictae, 2) quarum ius in genere breviter indicatur.

373. *Declaratur 1^m.* scilicet **distinguendae sunt Congregationes ab Ordinibus religiosis.** Vox *Institutum* per se

significat stabilem vivendi modum, quem sibi quis assumat, sed una cum addito *religiosum:* quod vel late sumptum dicit omnes modos, qui statum religiosum imitantur et aliquo elemento participent, quamvis ab eius essentia deflectant, vel stricte sumptum denotat essentiam status religiosi. Nos priori sensu dicimus dari Instituta, distinguenda a Religionibus proprie et stricte sumptis, scilicet habentibus votorum solemnitatem.

Et praeter eos Ordines, qui hac solemnitate gaudent, dari in Ecclesia eiusmodi pia et religiosa Instituta in comperto est penes omnes. Neminem namque latet varias utriusque sexus existere Congregationes, quae minus perfecta ratione religiosam vitam profitentur: quatenus e. g. tum carent votorum solemnitate, tum etiam saltem in quibusdam eorum perpetuitate, vel quia contentae vita dumtaxat communi, nulla prorsus habent vota. Hinc et harum distinctio apud recentiores Canonistas in Congregationes scilicet Regulares proprie dictas, et in Congregationes Regulares improprie dictas. Ex praesenti Ecclesiae disciplina priori numero censentur tantummodo quae *a*) vota habeant perpetua, *b*) emissa in Religione aliqua approbata, *c*) atque a legitimo eiusdem Religionis superiore acceptata: nam haec, ut supra vidimus, ad status religiosi substantiam penitus requiruntur. Censu autem posteriorum veniunt quotquot Congregationes his omnibus simul requisitis, nominatim votorum perpetuitate non gaudeant, et merito saecularibus personis sunt adcensendae.

Porro dari discrimen inter Religiones stricte sumptas et Congregationes e. g. proprie dictas Regulares ita, ut per religiones stricte dictas seu formales intelligenda sint instituta, quae essentiam status religiosi habent *cum votis solemnibus;* per Congregationes vero Regulares Instituta intelligantur, quae essentiam status religiosi habent, tamen cum votis simplicibus; patet 1) ex supra expositis; 2) ex praxi et stylo. I. Coeperat esse an. 1693 tamquam merum sodalitium in Indiis Occidentalibus confraternitas Bethlehemitarum nuncupata, pauperum in hospitalibus aegrotantium levamini addicta, quam uti merum sodalitium an. 1674 adprobavit Sedes Apostolica. Huic autem porrectis precibus *ut in veram et religiosam Congregationem erigeretur,* Innoc. XI. asserit *in Congregationem sub re-*

gula S. Augustini erigimus ; atque ita erigitur cum votis simplicibus : quia postea ulterius postulatum fuit, ut *non vota simplicia sed solemnia emitterentur :* huic ultimo postulato fecit satis Clemens XI. qui *Const. Ex debito 3 Apr. 1710.* ait « *praefatam Congregationem in veram Religionem cum votis solemnibus erigimus* ». II. Idem dicendum de Confraternitate S. Hyppoliti in civitate mexicana, quam in Religionem erexit Innoc. XII. *Const. Ex debito 20 Maii 1700.* III. Pariter Congregationem Presbyterorum, quae uti Congregatio regularis tria tantum simplicia vota emittebat, Greg. XV., *Const. In supremo 3 Nov. 1621,* in Religionem trium votorum solemnium erexit. Idem Pontifex congregationem Clericorum regularium scholarum piarum, *Const. In supremo 18 Novemb. 1621,* in religionem trium votorum solemnium instituit.

Vel ab initio huius paragraphi patet quod, uti synonima nobis sunt, iuxta plures praesertim recentiores, vox *Religio* et *Ordo religiosus,* quamvis Suaresio, *de Relig. t. 3. l. 2. Cap. 16. n. 22,* vocabulum *ordo* sit veluti genus comprehendens sub se varias species, quales sunt Religio formalis, *h. e. votorum solemnium,* Congregatio proprie religiosa cum votis scilicet simplicibus, et Congregatio improprie religiosa, i. e. institutum, carens quidem essentia status religiosi saltem totali, imitans tamen illius formam.

374. *Declaratur 2^m^.* **Quo iure nempe regantur eiusmodi Congregationes.** I. Non reguntur eodem prorsus iure quo Religiones stricte sumptae. Nam *a*) quae in iure de Regularibus continentur, de religiosis *per se* intelliguntur, qui habent vota solemnia, atque adeo dictis Congregationibus non sunt applicanda : *b*) unde *per se* nullatenus iis Congregationibus communia sunt privilegia, quae ex iure Regularibus tribuuntur : *c*) nominatim per se iure exemptionis ab Episcoporum iurisdictione non gaudent, nisi ex peculiari Apostolico privilegio, eodem exemptionis iure ac ordines religiosi fruuntur : quod si constet, hae congregationes quoad eiusmodi iura et exemptionem Regularibus stricte sumptis adcensendae sunt.

II. Vi votorum simplicium tenentur Regulares 1. cedere bonorum suorum administrationem, usumfructum et usum.

S. C. C. 12 Iun. 1858. n. 9. 2. Non obstante voto paupertatis possunt retinere et acquirere *dominium* radicale bonorum temporalium tam mobilium, quam immobilium antea habitorum, vel postea per haereditatem, donationem, vel quovis modo obtentorum. Unde si nil specialiter in ipsis constitutionibus Instituti, de quo agitur, cautum sit, poterit religiosus non modo valide, sed et licite cum licentia disponere de bonis ad se spectantibus.

III. Ceterum, regula est, has Congregationes non esse exemptas et *per se* Ordinariorum iurisdictioni subiici: exceptis iis, quae ab superiore potestate constituta prorsus sunt. Hinc, Sede Apostolica inconsulta, immutare aliquid nequit circa constitutiones ab eadem Apostolica Sede approbatas, nec sese immiscere potest circa internum religiosorum regimen.

IV. Professentes vota simplicia tenentur quoque ad vitam communem ut professi solemniter. Dicuntur autem vivere vitam communem, qui bonis omnibus et iuribus abdicatis in favorem Instituti, cui nomen dederunt, nullo privatae proprietatis iure sibi reservato, providentur de necessariis ab ipso superiore vel eiusdem Procuratore.

V. DE PRIVILEGIIS REGULARIUM.

Summarium. — Merito Romanus Pontifex Regularibus *a*) **nonnulla concessit privilegia inter se communia, nominatim exemptionem a iurisdictione Episcopi, cui, quamvis pluribus in casibus ob tale privilegium,** *b*) **nefas sit se subiicere, tamen in multis** *c*) **sive tamquam delegato Apostolicae Sedis,** *d*) **sive tamquam Ordinario iidem subesse tenentur.**

375. *Declaratur 1^m^*. scilicet **praecipua Regularium privilegia praesertim exemptionis.** Iamdiu Ordines religiosos stricte sumptos sive ante, sive post Tridentinam Synodum frui nonnullis privilegiis ex historia ipsorum universa et constanti usque ad nos evidenter compertum est. Utique a Tridentino revocata fuerunt privilegia quaedam Regularium propria: sed ea, quae adversabantur decretis Sessionis XXV. et aliis decretis eiusdem Concilii clausula *non obstantibus quibuscumque privilegiis* munitis: nam *c. 22. eiusd. Sess.* dicitur « omnia et

singula in superioribus decretis contenta observari praecipit... non obstantibus eorum omnium et singulorum privilegiis sub *quibuscumque* verborum formulis ac mare magnum appellatis », ubi το sacris canonibus et decretis intelliguntur soli canones Tridentini.

Attamen tum ab ipso Tridentino, tum a Romanis Pontificibus pluribus concessa sunt privilegia plurima, quorum praecipua sunt: I°. *quoad subditos suos posse absolvere a reservatis, dispensare super irregularitatibus* occultis ex delicto, excepto homicidio voluntario: ex defectu animae, scilicet ob dementiam, quae iam cessaverit, ex defectu natalium, ex defectu sacramenti, ob bigamiam veram, ex defectu lenitatis publico: quoad saeculares, licet per *Const. Apostolicae Sedis* sublatae viderentur, tamen *Instruct. S. Off. supr. Inq. data 1 Febr. 1871.* legitur: « Per const. *(Apostolicae Sedis)* Sanctissimus Pater nullatenus intendit, ne minimum quidem detrimentum inferre facultatibus cuiuscumque indolis, quae a S. Sede ante promulgationem eiusdem Constitutionis concessae fuerant, sive hae quinquennales sunt, sive extraordinariae...; atque vult, ut in suo pleno vigore permaneant tempore perdurante in dictis constitutionibus sive Indultis praefinito »: sed haec ultima saltem verba indicant in abrogatione non comprehendi facultates temporaneas etiam alicui coetui, Ordini, aut Instituto concessas. Unde possunt Regulares confessarii, modo ex adprobatis ab Episcopo sint, absolvere poenitentes saeculares, si Ordines ad quos spectant, eiusmodi temporaneas facultates ipsis communicaverint, *a casibus papalibus etiam iis, quos forte Episcopus simul sibi reservavit.* II°. *Circa praecepta Ecclesiae id possunt erga suos subditos regulares* quod Episcopi cum suis dioecesanis. *S. Ligorius De Privil. n. 106.* III°. Confessarii regulares possunt *irritare et remittere iuramenta et vota;* possunt dispensare quoad impedimentum *debitum petendi* oriens ex incestu, et etiam in voto castitatis, cum coniugibus quoad debitum petendum: ita Doctores communiter: IV°. possunt *celebrare una hora ante auroram* ex Gregorio XIII., Alexandro VI. et Clemente VIII., et tribus horis post meridiem ex Eugenio IV. V°. *Quoad divinum Officium* possunt 1. anticipare officia longiora; 2. infirmos et infirmarios satisfacere praecepto, recitando

ex superioris assignatione 7. Psalmos cum 7. Pater, et duobus Credo; 3. moniales satisfacere si ob quamlibet rationabilem causam Officium recitent conversarum; VI°. *possunt sibi eligere Conservatores dotibus requisitis praeditos;* et VII°., ut cetera omittam, *exempti* praesertim sunt ab episcopali iurisdictione.

Iamvero haec et eiusmodi privilegia *merito concessisse* Romanum Pontificem omnibus Ordinibus proprie dictis, dicunt tot tantaque merita ab Regularibus parta, tot tantaque bona tam ipsis Ordinibus, quam Ecclesiae universae obvenientia etc. etc.; quod si singularibus personis optime meritis de republica christiana conceduntur passim privilegia, quanto magis coetui, Ordini universo?? Dixi illa esse *communia omnibus Ordinibus stricte sumptis,* in quibus omnes subditi gaudent, vel gaudere possunt, mediante superiore.

Dixi *merito Romanum Pontificem concessisse* ob bona obvenientia e. g. ut unitas regularium Ordinum procuretur et conservetur et promoveatur disciplina religiosa, ut Religiosorum quies obtineatur, et gravamina arceantur ab eis. *Leo XIII. Const. Romanos Pontifices ad Episc. Angliae VIII. idus Maii 1881.* Dixi *communem esse Ordinibus stricte sumptis* privilegium exemptionis certe quoad regulares viros: at quoad moniales votorum solemnium distingui debet: vel hae moniales immediate subiiciuntur Praelatis regularibus et tunc ab Ordinario loci sunt exemptae, nisi in casibus a iure expressis: vel immediate subsunt Romano Pontifici et tunc exemptae quidem sunt ab ordinaria Episcopi iurisdictione, sed ab hoc regi debent ceu a Sedis Apostolicae delegato. Hoc exemptionis privilegio per se non gaudent Congregationes religiosae.

Privilegia autem haec conceduntur Regularibus *a*) vel *immediate* concessione, quae ipsis fit a Sede Apostolica; vel *b*) communicatione privilegii alterius Ordinis, cui immediate sint concessa; modo haec privilegia non exhibeant eiusmodi clausulam, quae dicat opus esse immediata concessione, ut quis eis utatur, et modo non sit privilegium ipsum exemptionis, quod immediate et in individuo conceditur. *c*) Haec autem communicatio, ait *Reiff. t. de Privileg. § III.,* currit de Praelatis ad Praelatos, de fratribus privatis ad fratres privatos, de conventibus ad conventus, de festivitatibus ad festivitates; nisi

tamen privilegium vel alicui religioso, vel alicui Ecclesiae ob rationem specialem sit proprium, vel ad tempus, vel contra Constitutiones.

Dixi nominatim exemptionem ab Episcopi iurisdictione, qua nempe fit ut *immediate Romano Pontifici subiiciantur*. Hoc privilegium id quidem contineret, ut Episcopi circa Regulares nihil possent, nisi quadamtenus ab Ecclesia praesertim in Tridentina Synodo coarctatum fuerit : ita ut Tridentinum quaedam directe Episcopis tribueret tamquam Ordinariis circa Regulares; plura autem iisdem concesserit tamquam Apostolicae Sedis delegatis. Quod ita etiam Leo XIII. *Const. Romanos Pontifices VIII. idus Maii 1881.* describit: « Ad regularium exemptionem quod attinet certa et cognita sunt canonici iuris praescripta. Scilicet quamvis in ecclesiastica hierarchia, quae est *divina ordinatione* constituta presbyteri et ministri sint inferiores Episcopis horumque auctoritate regantur; tamen quo melius in religiosis Ordinibus omnia essent inter se apta et connexa, ac sodales singuli pacato et aequabili vitae cursu uterentur; denique ut esset incremento et perfectioni *religiosae conversationis* consultum, haud immerito Romani Pontifices, quorum est dioeceses describere ac suos cuique subditos sacra potestate regundos attribuere, Clerum regularem Episcoporum iurisdictione exemptum esse statuerunt. Cuius rei non ea fuit causa, quod placuerit religiosas sodalitates potiore conditione frui, quam Clerum saecularem; sed quod earum domus habitae fuerint iuris fictione quasi territoria quaedam ab ipsis dioecesibus avulsa. Ex quo factum est ut religiosae familiae, quas iure communi et Episcopis propter hierarchicum principatum, et Pontifici Maximo propter primatum pontificium immediate subesse oporteret, in eius potestate esse perrexerint, ex Episcoporum potestate per privilegium exierint. Quum autem re ipsa intra fines dioecesium vitam degant, sic huius privilegii temperata vis est, ut sarta tecta sit dioecesana disciplina, adeoque ut clerus regularis in multis subesse debeat episcopali potestati sive ordinariae sive delegatae ». Hinc ceterae partes propositae doctrinae intelliguntur.

376. *Declaratur 2^m^*. Hinc nefas est: scilicet **Quid non possint Episcopi in exemptos** ita tamen, ut exemptio haec

dum regulares liberat a subiectione quoad Ordinarium, eos reservet iurisdictioni immediatae ac privativae Sedis Apostolicae. *Bonif. VIII. Const. Sacer Ordo vester 16 Ian. 1288.* Ergo nefas est Regularibus sese Ordinario subiicere in iis, in quibus exempti sunt. Attamen rectus huius privilegii usus exigit certum determinatum numerum religiosorum in monasterio degentium, h. e. pro Italia et insulis adiacentibus non fruuntur ii conventus erecti ante *Const. Urb. VIII. 21 Iun. 1625,* qui actu non habent sex religiosos probatae vitae, quorum quatuor saltem sacerdotes et aetatis quadraginta annorum sint. Quod si post dictam Urbani VIII. Constitutionem erecti sint, iuxta nonnullos auctores requiruntur saltem 12 regulares, quorum octo sint sacerdotes ita, ut si porro minores tali numero erunt, debeant subesse Ordinario, qui non cum iis agat ac si essent sacerdotes saeculares, sed *omnino ut in parvis regularium virorum conventibus pie et religiose vivatur* (verba sunt Innocentii X). *Idcirco eos omnimodae iurisdictioni Ordinarii loci, tamquam super hoc a Sede Apostolica delegati* plane in omnibus subiecit, ac subditos esse declaravit.

Dixi *iuxta nonnullos* quia ex *Const. Innoc. X. Instaurandae 15 Octobr. 1652, et Constit. Ut in parvis 10 Febr. 1654,* communiter tenetur, ut domus, quae sodales religiosos *sex* ad minimum non capiant, careant privilegio exemptionis et in potestate Episcoporum omnino esse debeant. *Leo XIII. Const. Romanos Pontifices § De hoc itaque.*

Hinc Regulares, ut pauca quaedam attingam, I. quoad confessiones suorum subditorum et saecularium familiarium neque Episcopi adprobatione indigent; II. adprobatis autem Confessariis pro audiendis ceterorum saecularium confessionibus, Episcopi non possunt limitare aut tempus etiam paschale, aut certa loca, aut personarum genus. *Clem. X. Const. Superna, Greg. XV., Urb. VIII. in resp. ad II. dub.* inter relata ad calcem *Const. Inscrutabili.* III. Nec possunt Episcopi, inconsulta Sede Apostolica omnibus simul unius conventus confessariis, iam a se vel a suis praedecessoribus adprobatis, prohibere, quominus saecularium confessiones excipiant. *S. C. Episc. et Reg. 20 Nov. 1615.* IV. Nec possunt visitare Ecclesias, domos, conventus Regularium, in quibus officium parochiale non est unitum; V. non possunt

exigere ut sibi exhibeantur libri sacristiae, quibus adnotantur celebrationes missarum. VI. Nec possunt visitare regulares parochos in domo Regularium seiuncta ab Ecclesia parochiali, nec eos iudicare aut punire in iis quae ad animarum curam non pertinent; VII. non possunt convenire Regulares intra claustra degentes et habentes suos Conservatores legitime electos, in causis civilibus. *Decr. C. Conc. relato a Fagn. in C. 11. Tuarum de Privil. et Paul. V. Const. Religiosorum 14 Aug. 1607.* VIII. Non possunt confessarios regulares non parochos cogere ad conferentias casuum conscientiae, *S. C. super statu Regul. 15 Ian. 1682,* nec ad audiendam Sacrae Scripturae lectionem, si haec suis in monasteriis iam habeantur. IX. Non possunt examinare sententiam expulsionis a Religione latam a iudice regulari atque de eius iustitia vel iniustitia iudicare; X. nec ideo possunt censuris compellere superiores Regulares ad recipiendos expulsos licet correctos. *Cf. De Amoeno De Incorrigib. expulsione t. 2. p. III. q. 1. n. 3. et q. 10. n. 72.*

377. *Declaratur 3^m^.* scilicet **Episcopi tamquam delegati Apostolicae Sedis:** 1. possunt corrigere et punire religiosos degentes extra claustra, si deliquerint. *Conc. Trid. Sess. 25. c. 14.* 2. Episcopi possunt et debent procedere iuxta iuris dispositionem locive consuetudinem contra praedicatores, etiam exemptos, si haeresim praedicaverint. *Trid. Sess. 5. c. 2.* 3. Episcopi summarie debent cognoscere per seipsos de subreptione et obreptione gratiae, quae super absolutione criminis publici, de quo inquirere coeperunt, vel remissione poenae ad quam condemnaverunt, cum falsis precibus impetrata sit. *Trid. C. 5. Sess. 13. de Ref.* 4. Possunt compellere abbates negligentes ut instituant lectionem Sacrae Scripturae in monasteriis ubi commode fieri potest. *Trid. Sess. 5. c. 1.* 5. Metropolitae possunt compellere abbates monasteriorum nullius dioecesis in eorum provinciis negligentes, ut praedicetur in paroeciis, quae ab his dependent. *Trid. l. c. c. 2.*

378. *Declaratur 4^m^.* I. Si Regulares etiam in claustris degentes notorie rei sint, Episcopi exigere possunt, ut a superioribus suis puniantur; qui si id neglexerint, possunt eos per semetipsos punire. *Trid. Sess. 25. c. 14.* II. Regulares absque Episcopi adprobatione nequeunt saecularium confessiones au-

dire, neque possunt absque eius facultate absolvere a casibus, quos sibi Episcopus reservavit, etsi facultatem habeant absolvendi a casibus et censuris reservatis Romano Pontifici, modo in iis non contineantur. Porro nequeunt concionari in aliena Ecclesia, Episcopo non approbante, nec in suis, Episcopo contradicente. III. Regulares parochi subiiciuntur Episcopis, quoad visitationem, correctionem et iurisdictionem in iis, quae pertinent ad curam animarum; atque adeo ad administrationem sacramentorum: item Regulares subiiciuntur Episcopo quoad examen Vicarii etiam amovibilis per ipsos in propriis Ecclesiis parochialibus constituendis. *Trid. de Reg. Sess. 25. c. 11.* IV. Item Regulares servare debent censuras, interdicta, dies festos ab Episcopo in sua dioecesi statutos. V. Quoad publicum cultum nil etiam in suis Ecclesiis absque Episcopi approbatione inducere possunt.

Haec sunt potiora quantum ad praesentem materiam spectat: nonnulla quaedam addenda ubi de Monasteriis et Cappellis Monachorum. Ceterum cf. praeclarum opus *D. Bouix de iure Regular. et de Episcopo:* nominatim quoad exemptionem legendum omnino est opus iam indicatum doctissimi maximeque laudandi scriptoris *P. Victoris de Buck S. I. De exemptione Regularium conservanda et confirmanda commentarius.*

VI. DE REGIMINE ORDINUM RELIGIOSORUM.

Summarium. — 1) **Distincta potestate dominativa a potestate iurisdictionis in quolibet ordine religioso,** 2) **indicatur subiectum potestatis gubernativae intra religiosos Ordines existentis,** 3) **et huius potestatis obiectum.**

379. *Declaratur 1m.* **Distinguenda est potestas dominativa et potestas iurisdictionis:** quia illa oritur ab ipsa religiosa professione atque ad instar est auctoritatis patrisfamilias in suos: haec vero est potestatis clavium, quam Christus Dominus Ecclesiae suae contulit, participatio et procedit ad instar illius, qua Episcopus gaudet in suam dioecesim, legifera, iudiciaria, coactiva. *Suarez de Relig. tract. 7. l. 2. c. 18.* Addidi *in quolibet Ordine religioso:* ibi enim necessario esse debet potestas dominativa utpote necessario consequens ex

voto obedientiae et traditionis, qua Religiosus se Deo et Ordini suo ligat. Intra ipsum autem Ordinem non semper existit potestas iurisdictionis, ut patet in monasteriis Monialium, quae ceu incapaces habentur iurisdictionis ecclesiasticae. Unde Moniales subduntur Abbatissae ut matrifamilias, eique iuxta regulam parebunt.

Dixi *intra ipsum Ordinem non semper existit potestas iurisdictionis:* at potest et debet esse in alio subiecto extra Ordinem potestas iurisdictionis non solum in totum Ordinem, sed et in singulos conventus, monasteria, atque in singulos religiosos. Ordo enim religiosus ab Ecclesia erectus est status sacer et ecclesiasticus natura sua; spectato scilicet fine et mediis.... Unde posita approbatione et erectione alicuius Ordinis religiosi, hic evadit societas minor seu collegium subordinatum societati suae maiori, in cuius sinu coalescit et existit formaliter: unde Ordo ille subordinatur iurisdictioni Praelatorum Ecclesiae, atque adeo omnis conventus alicui Ordinario subest.

Et facto ipso videmus 1. in Congregationibus privilegio exemptionibus carentibus potestas iurisdictionis ordinario et regulariter ab Episcopo exercetur... 2. In Ordinibus et Congregationibus exemptis Ordinarii sunt Praelati Regulares, qui conventibus praesunt, sed non plene ut vidimus *tit. de Praelatis Inferioribus.* Coetus enim religiosus exemptus, manet immediate subiectus Romano Pontifici: sed convenienter gubernari nequit immediate per unum Pontificem: ergo necessarii Praelati proprii uniuscuiusque religionis, gaudentes et in foro externo, potestate quasi episcopali.

380. *Declaratur 2m.* seu **distinguitur subiectum potestatis gubernativae** varium pro gradu potestatis, quam obtinent Praelati regulares ad intra. Alii enim sunt *infimi,* qui conventuales seu locales superiores dicuntur uni monasterio praesidentes, ut Abbas, Prior, Guardianus, Rector: alius est supremus, qui scilicet intra illam religionem non habet superiorem, et omnes alios Praelatos eiusdem religionis sibi obnoxios habet; atque audiunt vel Minister seu Vicarius Generalis vel simpliciter Generalis. Sunt et *Praelati medii* qui intra eamdem religionem subduntur quidem superiori Praelato, tamen ipsi Praelati sunt habentes plures domos, pluresque alios Prae-

latos sibi obnoxios: ceu Provinciales. De modo quo ad Regularium praelaturam quis vocetur diximus ubi *de electione*. Unum tantum, ad quaestionem « utrum Praelatura regularis sit perpetua vel temporalis » notamus, quod etsi res sit controversa inter Doctores, experientia tamen diuturna nos docet, et praxis ipsa Ecclesiae, praescindendo a Praelato supremo, *saltem* relate ad alios superiores **maxime expedire ut sit temporalis.** *Suarez. de Relig. l. 2. c. 7. n. 5. et seq.*

381. *Declaratur 3^m*. Ad quodnam obiectum se extendat dicta potestas. Resp. Ad intimanda praecepta obligantia in conscientia, etiam sub gravi, supposita sufficienti materia: quod procedit ex potestate dominativa. Nec solum personalia praecepta, sed etiam statuta perpetua uti veras leges condere valet Praelatorum regularium potestas. Haec autem potestas legifera ex iure communi residet penes supremum Magistratum totius Ordinis i. e. Generale Capitulum: quod generale Capitulum nova statuta condere non potest nisi consona Regulae.

An sese extendat ad prohibitionem s. Synaxeos, ad aperitionem conscientiae et huiusmodi?; standum est decretis *S. C. Episcop. et Reg. 17 Aug. 1891, 17 Dec. 1890.* Cf. quae hac de re *in Theologia morali* traduntur.

Ad *coercendos* subditos quod attinet, superior habens dumtaxat potestatem dominativam poenis illis, eoque modo coercere potest, quo paterfamilias. Quod si gravior poena irroganda sit, recurrendum ad Praelatum, qui vera iurisdictione gaudeat. *Suarez de Relig. tract. 8. l. 2. c. 9.*

Praelati porro Regulares Ordinum exemptorum cum potestatem habeant coercitivam quasi episcopalem, per censuras aliasque ecclesiasticas etiam corporales poenas coercere possunt, atque personis non locis infligere. Qua coercitiva potestate gaudent non tantum Generales et Provinciales Ordinis, sed etiam Rectores et Praelati locales. *Suarez l. c. n. 6.*

Si spectetur superior ut iudex suorum subditorum, notamus quod non praerequiritur *iudicialis processus* pro coercitione, quae fit ex potestate dominativa: instar patrisfamilias potest superior coercere absque ulla iudicii forma. At si agatur de imponenda poena tali delicto, quae dominativam excedat potestatem ut excommunicatio, suspensio, eiectio ab Ordine, in-

carceratio...., superior nonnisi ut *iudex* coercere potest, servata de iure servanda processus criminalis forma. Hic autem criminalis processus apud Regulares expediri potest per iudicium summarium, servatis tamen consuetudinibus et satutis cuiusque Ordinis. *C. Qualiter et quando; C. Olim de Accusat.*

Peracto iudicio et lata sententia quaer. an ab hac possint Regulares appellare? Et resp. Non posse in communibus correctionibus, quae nec infamiam, nec acerbam poenam inducunt, etsi iniustae sint: quamvis recursus ad superiorem Praelatum nulli religioso denegetur. In causis gravioribus, Religiosus non tantum recursum, sed et proprie dictam appellationem interponere potest, utex iure naturali patet et ex *decis. S. C. Episcop. et Regul.*

382. Ad hoc ut Praelatus regularis rite diiudicet de crimine, debet visitatione canonica inquirere de subditorum vita et moribus, in hunc finem instituta, ut delinquentes coerceantur et opportunis mediis vitae sanctitas promoveatur. *Trid. Sess. 25. c. 8. de Regul.* Porro visitatio canonica a Praelatis regularibus facienda distingui solet 1°. in *ordinariam* et *extraordinariam,* prout in, vel extra stata tempora instituitur; 2°. in *iudicialem* et *paternam,* prout Praelatus procedit ut iudex vel ut pater; 3°. in *generalem* et *specialem,* prout de omnium subditorum statu et moribus, aut de aliquo vel aliquot, vel circa aliquam materiam fiat inquisitio. *Quoad moniales* visitatio est *partialis,* si circa clausuram, vel *totalis,* si circa omnia, quae ipsarum bonum concernere possunt, versetur. Harum, si sint exemptae, visitator est Episcopus loci ceu Sedis Apostolicae delegatus, modo non sint subiectae Praelatis regularibus: tunc enim Episcopus est visitator quoad clausuram, et Praelati regulares sunt visitatores quoad cetera omnia. *Greg. XIII. 23 Dec. 1581.* Cf. quae diximus supra *de visitatione dioeceseos* et quae dicemus infra *de inquisitione.*

De dispensatione a votis hic esset dicendum: sed sufficiant pro schola Institutionum quae diximus in libro Isagogico in genere et alibi.

Essent heic quoque parumper enucleanda cetera iura Regularium tam ad intra, quam ad extra nominatim de habilitate ipsorum ad omnia ecclesiastica munia, ac sacri ministerii

exercitium, praedicationem, administrationem suorum bonorum...., sed remittimus ad probatos Auctores, praesertim *Bouix de Iure Regular.; P. Victor de Buck de Exemptione Regular.*

Unum restat indicandum saltem, de *conservatore* et *Cardinali Protectore,* qui ad tuenda iura Regularium constitui solent.

Conservatoris itaque officium est tueri Regulares ab iniuriis et violentiis notoriis, si quis praesumat illorum iura invadere, aut turbare usum privilegiorum in causa manifesta, quae nullam indaginem iudicialem exigat.

Conservatores assumuntur ex iudicibus synodalibus: qui si desint, possunt Regulares assumere, ne suo iure priventur, quem voluerint: modo assumptus in conservatorem constitutus sit in dignitate ecclesiastica, aut personatum vel canonicatum in Ecclesia Cathedrali obtineat. *Greg. XV. Constit. SSmus. 20 Sept. 1621.* Dixi *ne suo iure priventur:* quia Regularium Ordines, sicut plures universitates et quaedam Canonicorum Collegia, inter cetera privilegia et hoc gaudent, ut iudices eligant suorum privilegiorum conservatores. *Bened. XIV. de Synod. l. 4. c. 6.* Sed nunc Regulares recurrunt ad Romanum Pontificem, si qua lis oriatur inter ipsos et Episcopos: ad Episcopum in aliis causis.

Cardinalis Protectoris, quem Romani Pontifices singulis Ordinibus et Congregationibus religiosis assignare consueverunt, quodnam sit ius et munus, quaenam potestas, *cf. Inoc. XII. Const. Christifidelium 17 Feb. 1694,* qui rem totam determinavit, et *Card. Platum de Cardinalatus dignitate....*

Licet Cardinalis Protector ex speciali delegatione Romani Pontificis aliqua iurisdictione gaudere possit, tamen iure communi nullam habet iurisdictionem proprie dictam: unde procedere nequit ut iudex et Praelatus Ordinis: neque potest corrigere vel mutare statuta Capituli Generalis aut Provincialis, nequit etiam ullum superiorem aliumve officialem instituere aut destituere: sed *potest* et *debet* Ordinem sibi commendatum in pacifico statu conservare et augere, ab adversantibus protegere ac tueri, invigilare tandem, ne subditi a superioribus opprimantur.

Corollarium totius libri **de Personis** est titulus *de Maioritate et obedientia, l. I. tit. XXXIII;* unde sequens

TITULUS XXVII.

DE MAIORITATE ET OBEDIENTIA.

I. DE MAIORITATE.

Assertum. — Necessitate 1) huius tituli et 2) notione maioritatis et obedientiae indicata, 3) forma imperii et status ecclesiastici ceu fundamentum exhibetur distinctionis et ordinis graduum in sacra Hierarchia; 4) hinc ratio multiplex accurate distinguitur, unde haec maioritas oriatur; 5) quos tum gradus, qui sequantur, honores et praerogativae recensentur. Porro ex his 6) regulae dimanant iuxta quas variorum graduum personae aliae aliis praeferendae; 7) quarum circa applicationem si inter personas, conventus.... controversia enascatur, Episcopus generatim est iudex.

383. *Declaratur 1^m^.* **Necessitas tractationis** inde patet, quod cum ab exposito supra personarum iure in Ecclesia variarum, quidam ordo exurgat seu habitudo maiorum et subditorum, imperantium et obtemperantium; et quidem multiplicis gradus, cumque ad hos gradus in suo ordine continendos Ecclesia suorum seriem quamdam canonum ediderit, uti probat *h. t.*, non abs re erit heic seriem illam breviter exponere, atque ita librum de personis concludere. Idque merito in qualibet rite ordinata republica, *ut dignitatum ordo servetur, Iustin. l. XII. C. t. 8,* scilicet ut varius magistratuum inter se atque subditos quoad potestatem et honorem ordo accuratius constituatur, atque servetur ad dissensiones evitandas et confusiones, quae communi atque privatorum bono adversari solent. *Theod. l. 6. Cod. t. 5.*

384. *Declaratur 2^m^.* seu **notio maioritatis et obedientiae.** Itaque etiam Ecclesia accurate determinavit atque recto ordine constituit quaenam iura atque honores superioribus hierarchicis ordinibus iuxta gradum unicuique suum competerent, quaenam subditorum obligationes sese iisdem subiiciendi. Haec relatio *a*) *subditorum ad superiores* obedientia; *b*) superiorum ad multiplices subditos maioritas est, quae pro-

inde maioritas duo dicit, α) potestatem scilicet superiorem, β) honoremque maiorem. Unde maioritas definitur « *praerogativa sive excellentia unius prae alio, vi cuius unus est honorabilior prae altero, ut in congressibus, consessu, stallo, suffragio et praerogativis aliis antecedat* ». *Obedientia* autem, prout huius loci est propria, *consistit in reverentia superioribus exhibenda;* in mandato *ab ipsis accipiendo et exequendo;* in *iudicio eorum subeundo.*

385. *Declaratur 3^m.* seu **fundamentum altius distinctionis graduum....** 1°. In iure publico et privato vidimus Ecclesiam Christi duplici distingui Hierarchia, *ordinis* et *iurisdictionis:* ipse enim Christus Dominus constituens in Apostolis *pastores* et *rectores,* pastoralem curam sacris ordinibus ornatam, ipsorumque regimen perfecta iurisdictionis potestate auctum voluit. In Hierarchia ordinis a gradu ultimo seu infimo adscenditur ad culmen sacerdotii: in hierarchia iurisdictionis a *summi pontificatus apice* descenditur ad infimum gradum eorum qui iurisdictione in foro dumtaxat interno sive ex officio sive ex delegatione gaudent. 2°. Ex iure privato patet etiam quod, ut in Hierarchia ordinis gradus superior non tollit sed elevat inferiorem, sic in hierarchia iurisdictionis: qui Episcopus est, idem eminenter est parochus proprius; qui Metropolita, idem et Episcopus in sua dioecesi; qui Primas, idem et Metropolita et Episcopus; qui Patriarcha, idem et Primas et Metropolita et Episcopus in sua dioecesi; qui Summus Pontifex seu pastor universalis supremus et ordinarius, idem Patriarcha totius Occidentis, Primas Italiae, Metropolita Provinciae romanae, Episcopus dioecesis romanae, Princeps supremus in re temporali quoad statum pontificium, prae quo vero imperio temporali est praeditus. Probatum namque est, *tit. de Rom. Pont.,* et definitum iam contra Wickleffitas et Hussitas, haud pugnare inter se Principatum sacrum et temporalem, baculum pastoralem seu pedum et gladium. 3°. Ex eodem iure pariter dimanat gradus ordinum inferiorum ad maiores suscipiendos praeparationem esse, atque probationem: unde Tridentinum *Sess. 23. c. 17. de R.* statuit ut ordinum etiam minorum publicum exercitium, quantum fieri potest, in usum revocetur.

Sed, praeter haec tria ceu remotum valde fundamentum,

magis proximum exhibent seqq.: 1) Laicos distingui a clericis ex iure divino, hos autem praeesse et imperare, illos subiici et obedire teneri. 2) In clero Episcopos iure divino presbyteris potestate tam ordinis, quam iurisdictionis superiores esse; presbyteros ministris quoad ordines. 3) Episcopis iurisdictionis actualis potestatem competere iure ecclesiastico: in quibus divino iure non quoad ordinis sed quoad iurisdictionis potestatem supremam, universalem et ordinariam eminere Romanum Pontificem. 4) Item ex iure divino adstringi Episcopos omnes ad servandam cum successore Petri consensionem in fide, communionem charitatis atque subiectionem. Petri autem successorem Episcopos ad id obligare atque idoneis mediis efficaciter compellere posse. Quae omnia si recte considerentur una cum iis, quae in Iure publico diximus de forma regiminis Ecclesiae, haec dicenda est monarchia temperata.

386. *Declaratur 4^m.* Ex dictis scilicet accurate distinguitur **ratio unde maioritas haec oriatur.** Scilicet oritur maioritas, I) vel *ratione ordinis*, vi cuius clerici digniores sunt laicis, et inter clericos, qui altiorem ordinem susceperunt, *c. 15. h. t.*, cui in pluribus Ecclesiis contraria consuetudine est derogatum, *c. fin. de Const. in 6;* II) vel ratione *dignitatis Ordinantis*, ut tamen is *solus*, cui Papa contulit ordines, *ceteris paribus*, aliis sit praeferendus, *c. 7. h. t.*, ubi ordinatus *subdiaconus* a Papa non eximitur ab obedientia Episcopi, sed ei inter alios subdiaconos ab Episcopo defertur ob reverentiam Papae; III) vel *ratione antiquitatis* seu prioritatis temporis, ut is, qui prius ordinatus, vel institutus fuit in Ecclesiasticis, ceteris paribus, posterius ordinato et instituto praeferatur, nisi particulare quoddam privilegium et ius nec non consuetudo aliud exigat, *C. 1. h. t. et Reg. 54. I. in 6;* IV) vel ratione *Privilegii*, quo e. g. Patriarcha Constantinopolitanus principem obtinet locum super Patriarcham Antiochenum et Alexandrinum, licet his sit posterior, *C. 23. de Privileg. et C. 6. dist. 22;* V) vel ratione *dignitatis, iurisdictionis* et *administrationis*. Hinc Romanus Pontifex eminet in omnes, *C. 6. h. t.;* hunc sequuntur Cardinales, hos excipiunt Patriarchae, et Primates, hos Metropolitae, quos tandem Episcopi: idque semper et ubique. At post hos in Conciliis Oecumenicis veniunt Abbates usum mitrae et baculi habentes,

tum Generales Ordinum religiosorum. Extra Concilia in dioecesibus, *sed de iure plena,* maior habetur Vicarius Generalis, utpote repraesentans Episcopum, *Cf. Leur. de Vic. Episc. q. 60. seq.;* tum subsequuntur Canonici Ecclesiae Cathedralis collegialiter incedentes, etiam ante Abbates, quia tum repraesentant Ecclesiam Cathedralem: secus si singuli incedant. *C. 12. ca. 16. q. 7.* Porro Ecclesia Cathedralis praecedit ceteras eiusque canonici reliquarum Ecclesiarum canonicos, qui immediate sequuntur: hos autem subsequuntur Parochi, Plebani, Curati, et Ecclesiarum parochialium Presbyter cum reliquo Clero saeculari. Post Clerum saecularem veniunt Ordines religiosi, quos inter primum obtinent locum Canonici et Clerici regulares, tum Monachi, denique Mendicantes. Conventus autem et monasteria eiusdem Ordinis seu Regulae seu Constitutionis, dum in una civitate concurrunt plures, praecedentiam habent, quorum fundatio sive introductio antiquior est.

Paucis maioritas acquiritur 1. ex ordine. 2. Ex iurisdictione. 3. Ex consecratione. 4. Ex tempore seu antiquitate. 5. Ex praerogativa ordinantis. 6. Ex relatione propinquitatis ad personas maiores. 7. Ex ordine compellandi unum prius prae altero.

387. *Declaratur 5^m^.* **Honores et praerogativae horum graduum recensentur.** Naturale est ad varias potestates tam ordinis, quam iurisdictionis, scilicet in Episcopis eorumque vicariis, officialibus, delegatis et universo clero subsequi certos gradus honoris et praerogativas aliorum prae aliis. Hae porro sunt: 1. insignia quaedam dignitatis; 2. tituli honorifici; 3. certi quidam ritus, quibus honorantur prae aliis sive in cultu divino obeundo, e. g. adsurgere in superioris adventu, manus osculum, thurificatio; ... vel extra Ecclesiam, ut obviam ire Praelatis...; 4. in Proaedria seu iure praecedentiae, h. e. digniorem locum habendi. Et haec sunt praecipua, quibus constat *Ius caeremoniale sacrum* in ordine ad singulas personas sive physicas sive morales. Quod ius caeremoniale suum cuique locum et honorem tribuens, in se referens sacram caelestium ordinum et graduum Hierarchiam, non sapit certo ambitionem, imo ad privatorum aemulationem atque ambitionem praecavendam, praecidendamque, introducta est ordinis et Proaedriae lex. Sic omnia honeste et ordine fient, prout poscit

S. Paulus, *1. Cor. XIV. 40. Cf. Grat. C. ult. dist. 89, et 93. per tot.* Hinc

388. *Declaratur 6m.* **Regulae** dimanant, iuxta quas alii aliis praeferendi sunt; quae regulae tum ex antecedenti p. 4. sequuntur, tum ex sacris canonibus in Decreto et capp. in Decretalibus exprimuntur. Nam I°. ex *C. 5. h. t., et Can. 14. Dist. 93:* Si unus ordo cum alio concurrit ac neutri adhaereat iurisdictio, vel in considerationem non veniat, ordo maior praefertur minori; II°. ex *C. 1. h. t.; C. 7. Dist. 17; Trid. Sess. 24. c. 2. de Ref.:* Si par utrobique est ordo, spectatur aetas ordinationis, modo quis non sit ordinatus a Papa, ut supra vidimus; III°. ex *C. 6. de Privil. in 6:* Si et ordo et iurisdictio aequalis, senior praefertur iuniori, nisi inaequalia sint ornamenta dignitatis, e. g. Abbates mitrati non mitratis regulariter praeferuntur, ut supra vidimus; IV°. in iurisdictione diversi generis iurisdictio externi fori praefertur iurisdictioni fori interni, criminalis civili, ordinaria mandatae. *Cf. Zalling in h. t.*

389. *Declaratur 7m.* seu **quis iudex in controversia de praecedentia.** Ad hanc partem *cf. Schmalzgr.,* cuius compendium sic tradit *P. A. Huth:* « R. (ad Q. 2.) 1. Episcopus tales controversias componit si inter Conventus et Communitates ecclesiasticas etiam exemptas lis versetur, *Trid. Sess. 25. c. 13. de Reg.;* 2. si inter Confraternitates laicorum lis sit, et agatur in iudicio petitorio, de ipso scilicet iure praecedendi, iterum cognitio et decisio causae spectat ad iudicem ecclesiasticum, *C. 2. de Iud.;* 3. si agatur in possessorio, et communitas conventa sit saecularis, nec admisceatur quaestio iuris, potest etiam iudex laicus cognoscere causam hanc et decidere, quia tum cognitio versatur solum circa aliquid temporale ».

II. DE OBEDIENTIA.

Assertum. — Ex maioritate 1) praesertim iurisdictionis sequitur obedientia, quae 2) Romano Pontifici ab omnibus; Cardinalibus autem Episcopis, Praelatis inferioribus seu Abbatibus, et Generalibus Regularium... a respectivis subditis debetur etiam in dubio; 3) quam vero obedientiam exprimit res et promissio; 4) tum indicatur quî sit componenda lis orta inter clericos de superioritate unius et subiectione alterius; et 5) tandem quibus inobedientes subiiciantur poenis.

390. *Declaratur 1^m.* seu **quid et qualis obedientia.** Obedientia inclinat ad faciendum quod praecipitur, quia praecipitur: eamque vidimus in tribus consistere, i. e. 1. ut ei, cui debetur, reverentia exhibeatur; 2. ut iusta eius mandata recipiantur et observentur; 3. ut ei in iudicio pareatur, nisi subditus ab hoc, interposita appellatione vel recusatione, absolvatur, vel ei controversia ab ipso superiore moveatur. Iamvero duo praesertim ultima in maioritate iurisdictionis fundantur ex parte superioris. Ergo.

391. *Declaratur 2^m.* **Ab omnibus fidelibus debetur Romano Pontifici,** *Cap. 2. 4. 6. h. t., et Bull. Unam Sanctam. A Dioecesanis* Episcopo proprio, *C. 4. cit.,* etsi Dioecesani sint Reges et Imperatores, et quidem Episcopo loci, seu civitatis, in qua illi suam fixerunt sedem, ibique ordinarie resident. Debetur *Cardinalibus* a Cappellanis, Presbyteris et aliis Clericis sibi, ratione Ecclesiae cuius Titulum possident, subiectis, *C. His quae 11. h. t.* Debetur Praelatis et Superioribus Regularibus a Religiosis sibi subiectis. Debetur Abbatissis et Superioribus Monialium, et a quibuscumque subditis superiori legitimo.

392. *Declaratur 3^m.* **Circa quas res obediendum?** Resp. Id praeprimis obiectum indicat, seu superiori obediendi obligatio datur solum in iis rebus, ad quas eius iurisdictio sese extendit: quia talis subditus in aliis rebus est instar non subditi. Hinc inferior qua talis non potest exercere iurisdictionem in superiorem, *nisi sponte se hic illi subiiciat, C. 16. h. t.,* quia inferior regulariter solvere nequit superiorem vel ligare, sed superior inferiorem: et sat absonum videtur, ut filius potesta-

tem habeat in parentem. Nisi superior sponte se illi subiiciat: tamen in casibus a iure permissis; quia tunc superior se illi subiiciendo fit minor, (e. g. Romanus Pontifex se subiiciens in foro poenitentiae Confessario suo) supponitur quod minor sit ei subditus seu qua talis, quia si e. g. Episcopus extraneus delinquat in territorio Abbatis vel Praelati exempti, potest ab hoc puniri, *arg. L. Praesens 3, iuncta Glossa v. Privatus est ff. de Off. Praesid.*, ubi praeses Provinciae in alieno territorio censetur privatus.

Dixi aut **promissio** *a*) ut Religiosos utriusque sexus comprehenderem, qui suis debent Praelatis obedientiam in iis, quae ad officium illorum spectant, idque ratione voti obedientiae. Qua in re distinguendum est inter obedientiam, quam Regulares suo superiori debent, tamquam vero Praelato, vi iurisdictionis Ecclesiasticae, qua hic pollet, et cuius incapax est Abbatissa, et obedientiam, quam debent omnes utriusque sexus vi voti, ex quo Regularium superior obtinet potestatem, quae audit dominativa; *b*) ut innuerem generalem obedientiam, quam in sua ordinatione promittunt neopresbyteri Episcopo proprio, atque specialem quam posito iuramento promittunt Episcopo curati, *C. 3. h. t.*, vel inobedientes, rebelles, aut contumaces. *C. 10. h. t.*

393. Ex duobus porro superioribus contraria praecipientibus parendum illi, qui maior est, quoad potestatem praecipiendi *respectu talis subditi, C. 2. dist. 8,* etsi contra sit *C. 5. 6. ca. 9. q. 3, et C. 11. de Off. Ordin.* Quod si uterque superior praecipiens aequalis sit in potestate praecipiendi, obediendum illi est, cui quis potiori titulo subiicitur, qui potestatem praecipiendi fundat.

394. *Declaratur 4^m.* seu **qui controversia finienda sit, si de obedientia enascatur.** Ad eiusmodi compositionem faciendam vocandos omnes, quorum interest, *arg. c. fin. h. t.*, quod procedit in quacumque causa ardua, quae concernit totam provinciam, quia omnium interest: ergo omnium requiretur consensus.

395. *Declaratur 5^m.* Ad poenas, quod attinet, dico 1. *inobedientes canonicis sanctionibus* incurrere notam inobedientiae, sive quamdam infamiam canonicam, quae tamen per poeni-

tentiam, sublato peccato, tollitur. *C. 5. h. t.* Dico 2. Inobedientes et rebelles statutis et decretis Episcoporum aliorumque Praelatorum et Superiorum ecclesiasticorum, per contumaciam *debent* excommunicari. *C. 2. h. t.* Abbatissae vero, cum, uti diximus, incapaces sint iurisdictionis ecclesiasticae, poenam hanc infligere in sibi inobedientes nequeunt: attamen superioris officium implorare possunt, ut sibi inobedientes excommunicet. *C. 11. h. t. Cf. Leur. in h. t. c. 8. qu. 922. et Pirh. n. 34.*

396. Nec solum inter personas singulas inter se datur haec maioritatis et obedientiae relatio, sed etiam inter Ecclesiam et Ecclesiam seu personas morales: unde suprema Maioritas est in Ecclesia Romana, quae est omnium Mater et Magistra, erga quam respondet in aliis Ecclesiis maximus honor et reverentia, exacta obedientia in omnibus mandatis eius, atque humillima subiectio in iudicio, idque semper ab omnibus usque ad consummationem saeculi: Ecclesia enim romana semper in omnibus et quoad omnes maior erit. Ad rem *De Angelis in h. t. n. 4:* « Profecto, excepta Ecclesia Romana, aliae singulares Ecclesiae possunt perdere maioritatem, sicut vicissim Ecclesiae subiectae possunt relate ad eas suam acquirere exemptionem; et id fit praecipue duobus modis: Primus est cum Ecclesia, quae obtinet maioritatem, fit *inobediens* et *rebellis*, seu secedit ab unitate per schisma: neque enim potest sua iura servare, si ab unitate Ecclesiae generalis abscedat. Id advenisse quoad Ecclesiam Constantinopolitanam declarat Pontifex *C. 8. h. t.;* quod porro non advenit ex crimine unius vel alterius administri eiusdem Ecclesiae, etiamsi esset Episcopus; sed per crimen, quod universae communitati imputatur, propter quod ipsa Communitas dicitur facta *inobediens* et *rebellis,* ut revera accidit in dicta Patriarchali Ecclesia.... Alter casus proponitur, *C. 16. h. t.,* nempe quando Ecclesia, quae erat subiecta, dignitatem aequalem vel superiorem consecuta est illâ, quam habebat Ecclesia, quae erat maior: species enim illius capitis est, quod Ecclesia aliqua, subiecta Archidiaconatui, fuit a Romano Pontifice elata in Cathedralem, et post id Archidiaconus volebat in illam Ecclesiam et in Episcopum suam exercere iurisdictionem: ex hoc enim Pontifex declarat Ecclesiam erectam in Cathedralem eo ipso evasisse de iurisdictione, et proinde Ec-

clesiam archidiaconalem amisisse super illam suam superioritatem ».

397. Speciatim **de Clericorum obedientia praesertim a presbyteris in sacerdotali ordinatione promissa.** I. Clerici generatim qua tales fiunt subditi Episcoporum per sacram ordinationem ex *Trid. Sess. 23. c. 16:* « Cum nullus debeat ordinari qui iudicio sui Episcopi non sit utilis aut necessarius suis ecclesiis... et illi Ecclesiae aut pio loco pro cuius necessitate aut utilitate assumitur, non adscribatur, ubi suis fungatur muneribus, nec incertis vagetur sedibus. Quod si locum inconsulto Episcopo deseruerit, ei sacrorum exercitium interdicatur ». *Cf. et Sess. 21. c. 2.*

Ex quo Tridentini decreto sequitur, Clericos, qui servitio alicuius particularis Ecclesiae sunt adscripti, non posse a propria dioecesi discedere absque sui Episcopi consensu. Constat enim ex omnium Doctorum interpretatione τὸ Episcopo inconsulto valere pro Episcopo invito. *Cf. Fagn. in C. Admonet nos de Renunt.* Quin imo Clerici, etsi nondum alicui sint Ecclesiae addicti, videntur tamen posse etiam inviti retineri; quia eos Episcopus ordinavit, ut suae deservirent dioecesi, et ut patet ex decisionibus Sacrae Congregationis Concilii *in Amerina 14 Dec. 1822; in Reatina 26 Ian. 1833.* Ad eos porro retinendos invitos adesse debet iusta causa, et eisdem de congrua substentatione provideatur.

II. Tenentur praesertim presbyteri acceptare et obire munus ab Episcopo eis commissum, salvo iure sibi a sacris canonibus quaesito: et ratio est, quia non solum pro dioecesis utilitate ad ordinem presbyterii promoti sunt, sed etiam quia reverentiam et obedientiam promiserunt in ipsa presbyterali ordinatione. Quae obedientiae promissio non est votum, quod Regulares emittunt, sed professio illius submissionis, quam ius divinum et sacri canones exigunt in presbyteris erga Episcopum. Addidi *salvo iure sibi a sacris canonibus quaesito:* sacri enim canones disponunt, Clericos cogi ab Ordinariis non posse ad praestandum servitium in iure non expressum. *Can. Quia cognovimus 6. ca. 10. q. 3; Fagnan. in Cap. Conquerente 16. de Off. iud. ordin. 8.*

At si necessitas et bonum publicum id exigat, deficientibus

aliis sacerdotibus, Episcopus sub praecepto obedientiae vel etiam sub censuris cogere potest sacerdotes sanos ac robustos ad suscipiendam curam animarum vel alia munera pro earum regimine necessaria. *S. C. C. in Tolosana 9 Iun. 1884; in Foroiulien. 31 Ian. 1891.*

398. Quo melius in tuto ponatur hoc vinculum charitatis et subiectionis debitae Maioribus in quibusdam personarum gradibus et officiis, exigunt sacri canones **iuramentum** atque **fidei professionem iuratam.** Nam, praetermissis iis, quibus doctoratus gradus academicus confertur: 1) tenentur Canonici Ecclesiae Cathedralis hanc professionem emittere iuxta clara verba Tridentini *Sess. 24. c. 2. de Ref.;* ait enim: « Provisi de canonicatibus et dignitatibus in Ecclesiis Cathedralibus, non solum coram Episcopo seu eius officiali, sed etiam in Capitulo fidei professionem emittere tenentur; alioquin fructus non faciant suos; nec illis possessio suffragetur ». Sufficit autem unica fidei professio, si Episcopus in Capitulo praesens sit, vel eius Vicarius. *S. C. C. 15 Ian. 1726.* Haec autem fidei professio emittenda est ad minus intra duos menses a die adeptae possessionis, iuxta formulam a S. C. C. editam 25 Ian. 1877. Insuper provisi de beneficiis professionem fidei emittere debent *in ea Synodo, quae primo quoque tempore celebrabitur,* si alias in Synodo dioecesana convenire tenentur, *secus secundum formam sacrorum canonum puniantur. Trid. Sess. 25. c. 2. de Ref.*

2) Item provisi de beneficiis curam animarum habentibus tenentur a die adeptae possessionis ad minus intra duos menses, *in manibus Episcopi,* vel, eo impedito, coram *generali eius Vicario* orthodoxae fidei publicam facere professionem et in Romanae Ecclesiae obedientia se permansuros spondere ac iurare. *Trid. Sess. 24. c. 12. de Ref.* Hanc emittere debent, etsi sint parochi amovibiles, *S. C. C. ad Epis. S. Deodati 15 Dec. 1866:* omnes dicti emittere debent per seipsos, non vero per procuratorem: adeo ut, si quando ex privilegio in casibus particularibus emittat quis per procuratorem, teneatur postea eam renovare, cum ad Curiam accedat.

Formulae porro ad eiusmodi professionem et obedientiae iuramentum a Pio IV., *Const. Iniunctum an. 1564,* determinatae, addidit Pius IX. per *S. C. C. 20 Ian. 1877,* praesertim

ad dogmata in Concilio Vaticano definita indicanda, verba: *et ab oecumenico Concilio Vaticano tradita, definita ac declarata, praesertim de Romani Pontificis primatu et infallibili magisterio.* Quae verba inserantur formulae post illa: *praecipue a sacrosancta Tridentina Synodo.*

Praeceptum autem Tridentini exigentis professionem fidei, obligat sub gravi, ut Doctores tenent communiter, omnem clericum, qui paroeciam quamvis adipiscatur, ita ut qui in adeptione alicuius parochiae professionem iam emisit, iterum hanc emittere teneatur, si praeficiatur alteri paroeciae. *Cit. S. C. C. ad Episc. S. Deodati.*

Dicitur parochum teneri emittere dictam professionem infra bimestre: qui terminus intelligatur non ad terminandam obligationem, eamque remittendam, sed differendam poenam. In poenam namque omissae fidei professionis parochus *fructus non facit suos* a die elapsorum duorum mensium, qui ad faciendam professionem conceduntur. Hi fructus tandem amissi in poenam, non *distributiones* sed praebendae fructus sunt (erogandi in pauperes vel in fabricam ecclesiae), neque condonandi ab Episcopo, sed ab una S. C. C., quae solet hos fructus condonare, si professio fidei omissa fuerit a Clerico in bona fide.

399. Diximus supra, Episcopos omnes ad servandam cum Romano Pontifice consensionem in fide, communionem charitatis atque subiectionem teneri iure divino, atque ad id a Romano Pontifice eos cogi posse efficaciter mediis opportunis. Cetera inter media Romani Pontifices et Concilia decrevere professionem fidei et iuramentum fidelitatis erga Romanam Sedem. Nam 1. promoti ad episcopatum tenentur professionem fidei emittere in prima Synodo provinciali, quae post eorum promotionem celebratur iuxta formulam a Pio IV. praescriptam, *Const. cit. Iniunctum 1564,* cum additamento Pii IX. Quod si quis renuerit, Episcopi comprovinciales statim Summum Pontificem admonere sub poena divinae indignationis teneantur; interimque ab eiusdem communione abstineant. *Trid. Sess. 25. c. 2. de Ref.*

2. Iuramentum fidelitatis et obedientiae praestare tenetur novus Episcopus ante suam consecrationem: quo iuramento

se obligat ad tractandum honorifice et in suis necessitatibus adiuvandum Legatum Apostolicum ad servanda decreta, ordinationes, reservationes et mandata Apostolica.... Si consecratio fit vigore literarum Apostolicarum, per quas etiam iuramenti per electum praestandi receptio consecratori committitur, legenda est formula, quae prostat in Pontificali Romano Clementis VIII. iussu edito.

3. Addi posset ad hanc subordinationem fovendam visitatio sacrorum Liminum: sed de hac iam suo loco sermo fuit (1).

Conclusio libri de Personis.

400. Et haec est series ac distributio potestatum, munerumque ecclesiasticorum, *sacra Hierarchia* appellata, a Deo, Optimo, Maximo instituta ut doceret, regeret, sanctificaret fideles suos, seu haec est Ecclesia docens, regens, sanctificans, variis distincta gradibus personarum, quae singillatim vel coniunctim suo in gradu docent, regunt, sanctificant fidelium plebem. « Christus (enim ait Devoti *Proleg. in Ius Can. C. 10. § 1*), qui Ecclesiam instituit societatem hominum; quorum finis aeterna salus est, duo curare debuit, et infinita illa, qua praestat, sapientia curavit revera, scilicet ut ea societas recte atque ordine regeretur, omnesque sub suis Rectoribus ad fidei communionisque unitatem sub uno communi centro conspirarent, ac spiritualibus bonis abundarent. Ea de causa duplicem instituit potestatem, alteram iurisdictionis, quae Ecclesiae regimen administrationemque respicit, alteram ordinis, quae pertinet ad sacrum ministerium, atque ad spiritualia bona, Christiano populo tribuenda, maxime sacramenta, quae sunt pignora divinarum promissionum et remedia ad animarum salutem vel tuendam vel recuperandam, et vincula christianae societatis. In utraque hac potestate certos constituit gradus, ut non

(1) Sunt qui *in hoc libro de Personis* ecclesiasticis agunt *de Seminariis, de Confraternitatibus, de Tertiariis*... at nisi velint hi considerari ceu appendix ad tit. *de Regularibus*: de illis, de istis, et his tractationem ad librum *de Rebus* remittendam censemus: seminaria enim, confraternitates... qua tales, nullatenus participant potestatem ordinis aut iurisdictionis quod huius libri obiectum esse diximus.

omnes in ea similes haberentur. In potestate iurisdictionis Petrum omnibus superiorem esse voluit, post eum ceteros Apostolos; in potestate ordinis cunctis praestare voluit Episcopos, post eos sacerdotes, postremo ministros, qui divina ordinatione in Ecclesia sunt ».

Inter hos gradus divina ordinatione dispositos Ecclesia alios in utraque Hierarchia constituit, alia distinxit officia ad ipsum divinum ordinem servandum, prout ei Christus Dominus reliquit facultatem. Unde magnopere adnitendum est omnibus ecclesiasticis viris, praesertim ut hic ordo graduum et officiorum ad maiorem Dei gloriam christianaeque Reipublicae salutem maxime servetur, uti vehementer hortatur *Canon 7. dist. 89,* seu *Gregorius M. epist. l. v. ep. 54: Ad hoc dispensationis divinae provisio gradus et diversos ordines constituit esse distinctos, ut dum reverentiam minores potioribus exhiberent, et potiores minoribus dilectionem impenderent, vera concordia fieret et ex diversitate contextio, et recte officiorum gereretur administratio singulorum. Neque enim* **universitas alia poterat ratione subsistere, nisi huiusmodi magnus eam differentiae ordo servaret.** *Quia vero creatura in una eademque aequalitate gubernari vel vivere non potest, caelestium militarium exemplar nos instruit, quia dum sunt Angeli et sunt Archangeli, liquet quod non sunt aequales, sed in potestate et ordine, sicut nostis, differt alter ab altero. Si ergo inter hos, qui sine peccato sunt, constat esse distinctio,* **quis hominum abnuat huic se libenter dispositioni submittere,** *cui novit etiam Angelos obedire?* **Hinc etenim pax et charitas mutua se vice complectuntur, et manet firma concordiae in alterna et Deo placita dilectione sinceritas.**

Quod si subiectio et concordia inter alios gradus et ordines sit servanda, ea maxime curetur oportet cum centro unitatis Catholicae, i. e. cum Romana Ecclesia. Nam « *Romana Ecclesia* (Lugdunensis II. Synodi verbis utar) *summum et plenum primatum et principatum super universam Ecclesiam Catholicam obtinet, quem se ab ipso Domino in beato Petro Apostolorum principe, sive vertice, cuius Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter recognoscit...* » Idem ac efficacius docet definitio Florentina quod professio

Lugdunensis ; ait enim illa : « **Romanum Pontificem esse verum Christi vicarium totiusque Ecclesiae caput et omnium Christianorum Patrem ac Doctorem existere, et ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a D. N. I. C. plenam potestatem traditam esse** ».

Cuius supremi Hierarchae correctioni et iudicio omnia hucusque dicta humillima ac devotissima mente submitto.

Laus Deo, Deiparae et Sancto Iosepho.

INDEX

LIBER PRIMUS

DE PERSONIS

TITULUS I.

DE IURE PERSONARUM

Divisio tractationis in libros **de Personis, de Rebus, de Delictis et poenis** consona est divisioni librorum, quibus tribuuntur Iuris Rom. Institutiones. Quilibet liber per titulos procedit: n. 1, pag. 3.

I. DIVISIO PERSONARUM IN CLERICOS ET LAICOS.

Assertum. — Declarata 1) notione personae, 2) statuitur in Ecclesia *divisio in clericos et laicos;* 3) illis autem, non his monachi adcensentur: n. 2–4, pag. 4–12.

II. DE LAICIS GENERATIM.

Summarium. — Laicorum habitus ad Ecclesiam hic est 1) *ut censeantur iure subditorum;* 2) *pro quibus* sint tum bona et iura dimanantia ex actuali cum Ecclesia communione, tum generatim exerceatur potestas ordinis et iurisdictionis, quarum incapaces sunt; ita 3) ut excepto matrimonio et baptismo in casu necessitatis, non valeant efficere Sacramenta, neque reliquos producere actus sacros, qui ex iure divino exigant potestatem ordinis; 4) potestatem autem iurisdictionis ordinariae non posse; 5) quibusdam vero in causis delegatam a Rom. Pontifice ad singulos casus, posse exercere: n. 5–9, pag. 13–20.

III. DE CLERICORUM DISTINCTIONE IN DUPLICI HIERARCHIA.

Summarium. — Porro *Clerici* α) inter se gradu et potestate *inaequales sunt, ut constituant veram Hierarchiam;* β) *duplicem ordinis et iurisdictionis;* γ) in quam initiationis ritus est prima tonsura, ut quis deinceps ad ordines sive minores sive maiores adscendat: n. 10–12, pag. 20–25.

Ordo dicendi de Clericis: n. 13, pag. 25–26.

PARS PRIMA

DE HIERARCHIA ORDINIS

TITULUS II.

DE IIS QUI PROMOVERI NON POSSUNT.

PRAENOTANDA de hoc et duobus titulis seqq.: n. 14, pag. 27.

§ 1. DE IRREGULARITATIBUS IN GENERE.

Summarium. — Irregularitatis 1) **notione** et 2) **divisione** tradita indicatur, 3) **quis** irregularitates **constituere,** et quis generatim 4) **contrahere,** 5) vel **auferre** possit: n. 15–19, pag. 28–33.

§ 2. DE IRREGULARITATIBUS EX DELICTO.

Summarium. — **Recensitis conditionibus,** 1) quibus purificatis contrahitur irregularitas ex delicto; 2) ostenditur primum delictum esse **homicidium voluntarium, criminosum** dumtaxat; 3) a qua irregularitate **unus Romanus Pontifex dispensare potest:** n. 19–22, pag. 33–38.

Summarium. — Secundum delictum ex quo contrahitur irregularitas, est **iteratio baptismatis** scienter facta tam activa, quam passiva: n. 23, pag. 38–39.

Summarium. — Tertio, ex **violatione censurae** contrahitur irregularitas, i. e. ab eo, qui cum sit irretitus aliqua censura, seu cum sit suspensus, interdictus vel excommunicatus, temere et culpabiliter exercet verum et proprium aliquem actum ordinis, quem habet, irregularitas poenae instar contrahitur ipso iure: n. 24, pag. 39–40.

Summarium. — Oritur irregularitas **ex pravo ordinum usu:** nempe fit irregularis clericus solemniter ministrans seu ordinem exercens, quem non habet: n. 25, pag. 40–42.

Summarium. — **Apostasiae a fide, vel haeresi formali publicae** adnectitur etiam irregularitas: n. 26, pag. 42–43.

Summarium. — Quaecumque delicta **infamiam** *sive* **facti,** *sive* **iuris,** *irrogant,* irregularem faciunt: n. 27–28, pag. 43–46.

§ 3. DE IRREGULARITATIBUS EX DEFECTU.

PRAENOTANDA. Cur proprie irregularitates ex defectu dicantur: n. 29, pag. 46–47.

I. EX DEFECTU ANIMI ET CORPORIS.

Summarium. — Irregularem faciunt 1) **defectus** animi scilicet *a*) **rationis,** *b*) **scientiae,** et *c*) **fidei confirmatae;** 2) defectus **corporis,** propter quos nempe vel simpliciter, vel prout decentia postulat, exerceri nequeant ecclesiastica munia; 3) a quibus ne contrahatur et cesset irregularitas, **quis** et **quomodo valeat dispensare,** exponitur: n. 30–32, pag. 47–49.

II. EX DEFECTU NATALIUM.

Summarium. — Natalium quoque defectu irregulares fiunt 1) scilicet ii, qui *a*) **nati** sunt **ex matrimonio illegitimo,** aut si β) ex legitimo, tamen **ex coniugibus iam vota professis,** γ) quibus accedunt **Clericorum filii;** 2) ab his porro eiusmodi macula abstergitur **legitimatione** aut **dispensatione:** n. 33–34, pag. 49–51.

III. EX DEFECTU AETATIS ET LIBERTATIS.

Summarium. — Pariter irregularitatem inducit 1) aetatis defectus, et 2) libertatis, scilicet quae restricta sit, eo quod iam quis existat *a*) aut **servus,** *b*) aut **obligatus ad ratiocinia,** *c*) aut **matrimonii vinculo** ligatus: n. 35–36, pag. 52–53.

IV. EX DEFECTU SACRAMENTI.

Summarium. — Irregularitas inducitur etiam ex defectu Sacramenti, seu **ex triplici bigamia vera, similitudinaria, interpretativa:** n. 37–38, pag. 53–57.

V. EX DEFECTU LENITATIS.

Summarium. — Denique irregularis fit ex defectu lenitatis, **qui voluntarie, efficaciter et proxime** ad necem vel mutilationem alicuius, etsi in causa iusta, quin ulla adsit culpa, sed **auctoritate publica, concurrit** per actum ad id natura sua ordinatum: n. 39, pag. 57–59.

TITULUS III.

DE REQUISITIS UT QUIS AD ORDINES POSSIT PROMOVERI.

Summarium. — Quid veniat nomine **Ordinationis,** et quid haec ad **validitatem** exigat tam ex parte ministri, quam ex parte materiae et formae: n. 40, pag. 60–61.

I. DE LEGITIMO ORDINATIONIS MINISTRO.

Summarium. — Cum minister legitimus Ordinationis 1) alius ordinarius distinguitur, alius delegatus; 2) ille talis determinatur **ratione originis,** aut **beneficii,** aut **domicilii,** aut **familiaritatis;** 3) hic vero non potest alienum ordinare subditum sine huius proprii Episcopi **dimissoriis:** n. 41–43, pag. 61–68.

II. DE EXAMINE ORDINANDI.

Summarium. — Ut ordinandus 1) idoneus et probatus reputetur; 2) eamque nominatim aetatem et qualitatem seu scientiam et pietatem habere, quam sacri canones exigunt, dignoscatur; 3) **varium** instituitur **examen** seu **scrutinium:** n. 44–46, pag. 68–73.

III. DE IPSA RITE PERAGENDA ORDINATIONE.

Summarium. — Ad ipsam sacram Ordinationem rite peragendam quod spectat, tria advertenda sunt: 1) **interstitia;** 2) **successio in ordinibus** suscipiendis ita, ut a minori ad maiorem adscendatur, nullo ordine per saltum intermisso; 3) **collatio** facienda **stato tempore et loco;** 4) praemissis sanctis **Spiritualibus Exercitiis,** scilicet ut sancte suscipiantur: n. 47–50, pag. 73–75.

IV. DE ORDINATIONIBUS REGULARIUM.

Summarium. — Ex Benedicti XIV. Constitutione *Impositi nobis* 27 Febr. 1747, quoad Regulares, tamquam 1) **proprius** ordinationis exhibetur **Episcopus** quilibet Antistes, communionem habens cum Sede Apostolica, pro habentibus privilegium; et pro hoc carentibus est Episcopus in cuius Dioecesi situm est eorum monasterium; 2) **titulus ordinationis** est religiosa paupertas, et superior regularis is est, qui dimissorias dare debet: n. 51–52. pag. 75–76.

V. DE POENIS IN MALE ORDINATOS EORUMQUE ORDINANTES.

Summarium. — Suspensionem tandem Romano Pontifici reservatam incurrunt 1) **Ordinantes** Clericos (praeter quam solemniter professos) **absque titulo:** aut subditum alienum vel suum absque necessariis dimissorialibus vel testimonialibus: 2) **Ordinatos** quod spectat, incurrunt **Religiosi eiecti** extra Religionem degentes, aut ordinati ab Episcopo nominatim excommunicato vel interdicto, vel suspenso, vel ab haeretico et schismatico notorio; et 3) tandem **Clerici seu exteri Romae commorantes** aut suburbicarii recipientes ordines contra Edicta Card. Urbis Vicarii: n. 53–55, pag. 76–79.

TITULUS IV.

DE CLERICIS PRIMAE TONSURAE.

I. DE ORIGINE.

Summarium. — Origo iam ab Apostolis et nominatim a S. Petro adsignatur iuxta plures; sed quamvis Apostolorum aetati referenda sit tonsura, si spectetur *a*) fundamentum et modus generalis; tamen apodictice ex historia probari nequit, ritum clericalis tonsurae seu coronae, qui nunc obtinet, *b*) ab Apostolorum immediata institutione prodiisse: *c*) illud tamen certum videtur talem ritum alicubi saec. IV. invaluisse; *d*) saec. vero VI. et VII. ubique receptum fuisse: n. 56–57, pag. 79–82.

II. NOTIO, REQUISITA, EFFECTUS TONSURAE.

Summarium. — Hinc notio intelligitur, requisita et effectus tonsurae, quae ex Trid. *Sess. 23. c. 4. de Ref.* definitur « *caeremonia seu ritus ecclesiasticus, quo fidelis per tonsionem capillorum et superpellicei traditionem clericali coetui initiatur, ad ecclesiasticos ordines disponitur, atque aptus fit ad clericorum beneficiis et privilegiis fruendum* »: n. 58, p. 82–83.

NOTA. — An Tonsura sit sacramentum et ordo.

Conclusio seu dictorum summa aliis sed paucis exponitur, scilicet Tonsura quid sit; eius suscipiendae requisita; Leges in ea conferenda atque effectus: n. 59–59 bis, pag. 83–85.

TITULUS V.

DE CLERICIS IN MAIORIBUS ORDINIBUS CONSTITUTIS.

INDICANTUR ordinum nomina: n. 60, pag. 85.

Summarium. — In Ecclesia Latina ordines minores 1) sunt **Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, Acolythatus,** quorum omnium in communi origo et institutio; 2) singulorum autem notio et ritus, officium seu munus, paucis inquiritur: n. 61–65, p. 86–89.

Animadversio cum nota: n. 66, p. 89.

TITULUS VI.

DE CLERICIS IN MAIORIBUS ORDINIBUS CONSTITUTIS.

PRAENOTANDUM. — **Cur** omnes et singuli **maiores** et **sacri** dicantur? n. 67, pag. 90.

I. DE SUBDIACONATU ET TITULO ORDINATIONIS.

Summarium. — 1) **Subdiaconatus, Diaconatus** et **Sacerdotium,** quod in Presbyteratum et Episcopatum diducitur, ordines sunt maiores et sacri: n. 68, pag. 91.

II. DE SUBDIACONATU.

Porro 2) **Subdiaconatus,** qui saltem a saec. XII. sacer habitus est in Ecclesia Latina, ritus et munus proprium breviter exponitur: n. 69, pag. 91–93.

III. SPECIATIM DE TITULO ORDINATIONIS.

Summarium. — Ad subdiaconatum 1) praerequiritur Ordinationis titulus seu cautio, qua provisum sit ordinando de sufficienti, eaque perpetua substentatione, cuius **tituli** 2) **species,** 3) **conditiones,** sive communes sive propriae, 4) nec non **poenae** si absque titulo ordinatio fiat, paucis exhibentur: n. 70–73, pag. 94–100.

IV. DE DIACONATUS ORDINE.

Summarium. — Diaconatus nomine declarato, **institutio, potestas** et **dotes** recensentur: nec non **ritus,** quo ille confertur: num. 74, pag. 101–104.

V. DE PRESBYTERATUS ORDINE.

Summarium. — Iuris divini est in Ecclesia sacerdotium, cuius nomen et potestas sacrificium proprie dictum in N. Lege offerendi, sacramenta administrandi, aliasque functiones exercendi, nec non dotes, praesertim singularis probitas et doctrina summarie explicantur: n. 75-78, pag. 104–108.

TITULUS VII.

DE EPISCOPATUS ORDINE.

PRENOTANDUM. — Duplex ordo sacerdotalis distinguitur; definitio Episcopi; ordo dicendi: n. 79, p. 108–109.

§ 1. DE IPSA POTESTATE ORDINIS IN FACTO ESSE CONSIDERATI.

Conclusio prima. — Episcopatus definitur: ordo et sacramentum, quo confertur alicui specialiter potestas in sacramentum Confirmationis et Ordinis, itemque peculiaris ex divina institutione habilitas ad gregem

Christi regendum, quae per legitimam missionem a Romano Pontifice acceptam ab eoque dependentem, ad actum reduci debet: num. 80, pag. 109-112.

Corollarium. — Ubi de brevi comparatione inter Episcopatum et Sacerdotium: n. 81, p. 112.

Conclusio secunda. — Dogma *a*) fidei est Episcopos esse **superiores Presbyteris:** et *b*) licet Episcopatus et Presbyteratus sint iure divino **duo distincti gradus** et Sacramenta, tamen, *c*) non denominantur duo diversi Ordines penes omnes: n. 82–84, p. 112-114.

Conclusio tertia. — **Potestas Ordinis,** si de Episcopis sermo sit *a*) ad potestatem refertur **conficiendi omnia Sacramenta;** character autem essentialis potestatis episcopalis in eo est, *b*) quod semel recepta **amitti non possit,** adeoque valide semper, etsi quandoque illicite suos actus exerceat. Item *c*) ratione ordinis **omnes Episcopi** sunt **aequales,** etiam quoad actus, eidem potestati subiectos, saltem relate ad validitatem: quod *d*) dici nequit de potestate iurisdictionis: n. 85–88, pag. 115–116.

Conclusio quarta. — **Sacramentum Confirmationis** *a*) iure ordinario et insito a solo Episcopo confertur. *b*) Hinc simplex sacerdos, nonnisi ex peculiari privilegio Apostolico potest confirmare; idque dependenter ab Episcopo,h. e. chrismate ab Episcopo benedicto: n. 89-90, pag. 117–118.

Conclusio quinta. — **Potestas vero Ordines conferendi** Episcopis competit non solum iure proprio, sed etiam exclusivo omnino, saltem si de ordinibus hierarchicis et sacris sermo sit: n. 91, p. 118.

Scholion. Duplex distinguenda pars potestatis ordinis Episcopalis seu rerum species et classis, ad quas sese illa extendit, altera quae ex divina, altera earum, quae ex Ecclesiae institutione ad Episcopos pertinent: n. 92, pag. 118–119.

§ 2. DE EPISCOPATU QUOAD ORTUM SEU DE MODO, QUO POTESTAS ORDINIS EPISCOPALIS ACQUIRITUR.

Conclusio sexta. — Ad Episcopalis **consecrationis** *a*) **essentiam** spectant tantum manuum impositio et verba « Accipe Spiritum S. »; *b*) **ad praeceptum** vero reliqua ritus pertinent, eam sive praecedant, e. g. mandatum Apostolicum et ieiunium, sive comitentur, quaeque nominatim versantur circa ministrum, tempus, locum, aliosque peculiares ritus; *c*) hanc tandem consecrationem varii consequuntur effectus; n. 93–95, pag. 120–123.

TITULUS VIII.

DE COMMUNIBUS CLERICORUM OFFICIIS.

PRAENOTANDA. — Ratio transitus et ordo rei tractandae: n. 96, p. 124.

I. DE POSITIVIS CLERICORUM OFFICIIS.

Summarium. — Ad positiva Clericorum communia officia, praeter **scientiam congruam** 1) recensentur **obedientia** Episcopo debita et **vitae honestas;** porro 2) ad honestatem vitae praeter **rectam intentionem** in suscipiendis atque exercendis ordinibus muniisque clericalibus, et praeter **exercitium virtutum** clericatui convenientium, referuntur α) **usus sacramentorum,** β) **Ecclesiae ministerium,** et γ) debitus corporis externus cultus exigens; 3) ita gestare **habitum et tonsuram,** ut si quis laicales vestes assumpserit, **puniri** debeat ad normam Clement. *Quoniam de Vita et hon. Cler., et Trid. Sess. 14. c. 6. de Ref.*, nisi **causa iusta excuset:** n. 97–99, pag. 124–133.

II. DE NEGATIVIS CLERICORUM OFFICIIS.

Summarium. — Clericis ad honestatem morum tuendam prohibetur 1) **crapula,** ebrietas, comessatio, **sumptuosa convivia;** 2) **alearum et taxillorum lusus;** 3) **venationem** *exercere* **clamorosam;** 4) profana spectare oblectamenta, e. g. **interesse choreis** *aut licentiis* **bacchanalium,** vel partem aliquam in iis habere: n. 100–103, p. 133–137.

Summarium. — 1) **Cohabitatio mulierum,** 2) nisi sint iure vel consuetudine exceptae, clericis generatim prohibetur, 3) sub poenis variis, prout varia est huius disciplinae violatio: n. 104–106, p. 137–142.

Summarium. — Alia vero sunt quae clericis sub variis poenis interdicuntur, habita **ratione decoris** statui clericali convenientis, uti, **artes viles exercere;** obsequiis abiectisque laicorum servitiis sese addicere; **officium medici vel chirurgi agere:** n. 107, 108, p. 142–143.

Summarium. — Neque minus in sacris Canonibus sub variis poenis prohibentur *quae* **aliena a clericali mansuetudine** existimantur, quaeque praecipue sunt 1) **militia;** 2) **armorum delatio;** 3) **iudicium sanguinis:** n. 109–111, p. 143–146.

Summarium. — Ad classem rerum mundanarum, quae clericis interdicuntur, utpote **quae a cura spiritualium avocantes,** ut plurimum pertinent 1) officia **politica et civilia;** 2) **quaedam studia** et 3) **negotiatio:** n. 112–114, p. 147–154.

Summarium. — Non 1) omnem negotiationem, sed 2) **quaestuosam tantum**, 3) Clericis omnibus etiam minoribus, sive per se sive per alios exercendam vetat Ecclesia, 4) sub gravi poena, 5) nisi legitima necessitas excusat: n. 115–119, p. 155–160.

TITULUS IX.

DE DUOBUS OFFICIIS MAIORUM ORDINUM SEU DE CAELIBATU SACRO ET HORIS CANONICIS

I. DE CAELIBATU SACRO.

Conclusio prima. — **Caelibatus** 1) etsi neque naturali, neque divina positiva lege clericis imponatur, 2) tamen est institutio ad **Ecclesiam proprie pertinens, eique maxime conveniens:** n. 120, 121, p. 160–164.

Conclusio secunda. — Caelibatus sacer est etiam **Officium impositum ecclesiastica lege sua sanctione munita** quoad omnes, qui modo ordinibus maioribus constituuntur: n. 122, p. 164–172.

Conclusio tertia. — Caelibatus quin ullum in societate sive α) ipsi individuo caelibi, sive β) ipsi statui afferat detrimentum, multiplicem potius utilitatem confert; ergo etiam qua **socialis institutio** permittenda est: n. 123, 124, p. 172–176.

II. DE HORIS CANONICIS.

Conclusio quarta. — **Merito Ecclesia horas canonicas quotidie recitandi clericos omnes in maioribus** constitutos officio **graviter obstrinxit** ita, ut eos, praeter legitimam dispensationem, nonnisi physica aut moralis impotentia ab ipso excusat: n. 125, p. 176–180.

TITULUS X.

DE CLERICORUM COMMUNIBUS IURIBUS AC PRIVILEGIIS.

Praenotandum. — Supposita institutione ordinis clericalis consequuntur sponte **iura** ac **privilegia Clericorum.** Quid illa, et quid haec sint. Ordo dicendi exigit, ut prius de iuribus ac de origine privilegiorum agatur, tum de singulis privilegiis in specie: p. 180.

I. DE IURIBUS AC PRIVILEGIORUM CLERICALIUM ORIGINE.

Propositio. — *a*) Indicatis breviter iuribus ac privilegiis seu immunitatibus, quae communes sunt, asserimus eas *b*) non ex iure civili, sed

ecclesiastico, *c*) atque generatim etiam **ex iure divino immediate derivari:** n. 126–129, p. 180–189.

Scholion, ubi magis explicatur **immunitates derivari ex iure divino:** n. 130, p. 189–191.

II. De singulis privilegiis in specie.

I. privilegium canonis.

Propositio. — Exponitur Privilegium canonis: « *Si quis, suadente diabolo, huius sacrilegii reatum incurrerit, quod in Clericum vel Monachum violentas manus iniecerit, anathematis vinculo subiaceat, et nullus Episcoporum illum praesumat absolvere, nisi mortis urgente periculo, donec apostolico conspectui praesentetur, et eius mandatum suscipiat* ». *Can. 29. Si quis suadente cau. XVII. q. 4:* n. 131–146, p. 192–201.

II. privilegium fori.

Propositio. — Existit privilegium fori, h. e. exemptio a foro seu iurisdictione laicali 1) clericis iure tam divino quam canonico tributum, 2) cuius *limites,* 3) tum *modi amittendi,* 4) nec non *violatores,* horumque *poenae* recensentur: n. 137–141, p. 201–209.

III. privilegium exemptionis, immunitatis.

Summarium. — *Privilegium exemptionis* seu *immunitatis* speciatim dictae in eo est, quod clerici ratione sui ordinis et status *a*) eximantur tum *a publicis tributis* atque *oneribus,* sive realia sint, sive personalia, *b*) tum etiam ab iis *muneribus atque officiis,* quae a dignitate vel sanctitate status censentur aliena: n. 142–144, p. 209–212.

IV. privilegium cap. odoardus.

Summarium. — Inter clericorum privilegia ad decentem vitae tuitionem pertinentia recensetur praesertim *a*) *inviolabilitas patrimonii* et *b*) *beneficium competentiae* seu *Cap. Odoardus:* n. 145, 146, p. 213, 214.

Appendix prima. — Praeter recensita solent alia etiam numerari clericorum privilegia: n. 147, p. 214.

Appendix altera. — Quî talia privilegia ex iure divino, et quî societas civilis commodum ex his referat: n. 148, p. 215.

PARS SECUNDA

DE HIERARCHIA IURISDICTIONIS

SECTIO I.

DE POTESTATE IURISDICTIONIS ECCLESIASTICAE IN GENERE

TITULUS XI.

DE NOTIONE, PARTITIONE ECCLESIASTICAE IURISDICTIONIS DEQUE AD EAM REQUISITIS.

Praenotandum. — Ratio transitus et ordo tractationis indicatur: n. 149, p. 216, 217.

I. NOTIO ET SPECIES IURISDICTIONIS ECCLESIASTICAE.

Summarium. — Tradita *a*) notione Iurisdictionis ecclesiasticae in genere, *b*) eius ab ordine potestate **discrimina** quaedam exponuntur, **variaeque species** exhibentur: n. 150–152, p. 217–225.

II. DE REQUISITIS AD IURISD. ECCLES. HABENDAM.

Summarium. — Inter requisita ad habendam ecclesiasticam iurisdictionem maxime recensentur: 1) **aetas legitima,** varia pro variis praeficiendorum gradibus; itemque 2) **varius ordo,** h. e. tonsura, vel ordo ecclesiasticus, si quis adnexus sit officio vel beneficio; 3) nec non **qualitas,** praesertim absentia impedimenti, probitas morum et scientia congrua: n. 153–155, p. 225–232.

TITULUS XII.

DE MODIS ACQUIRENDI ET EXERCENDI ECCLESIASTICAM IURISDICTIONEM.

I. DE MODIS ACQUIRENDI ECCLESIASTICAM IURISDICTIONEM.

I. DE ELECTIONE.

Summarium. — Ad Electionem 1) quae definiri solet « *idoneae personae ad Ecclesiam seu Praelaturam vacantem ab iis, quibus ius est, canonice facta vocatio* », 2) sunt **vocandi** non modo praesentes, sed etiam absentes, qui scilicet debent, volunt et commode possunt

interesse, 3) praestituto **tempore** et loco **electionis** ita, ut haec saltem intra tres menses a die notae vacationis, et iusto impedimento cessante, quoad cathedrales Ecclesias, intra sex quoad ceteras, sit completa: n. 156–159, p. 233–239.

Summarium. — **Ad formam electionis** quod attinet, praeter eam, quae appellatur quasi inspiratio, et compromissum est **forma scrutinii,** de quo exponitur quid electionis initio aut ipsa electione, quidve peracto scrutinio servandum sit: n. 160–162, p. 239–244.

Summarium. — **Electionis Romani Pontificis** leges, quae hodie vigent scriptae, praecipue sunt quae continentur Greg. XV. binis constitutionibus, altera quae incipit *Aeterni Patris* 16 Nov. 1621, altera, quae incipit *Debet Romanum* 12 Martii 1622, et quoad ius *exclusivum* Cardinalium est Const. Pii IX. *Cum Romanis Pontificibus* pridie nonas Decembris 1869: n. 163, 164, p. 244–247.

Summarium. — **Ad Regularium Praelatos** quod attinet **eligendos,** communibus Electionis legibus specialia quaedam quoad electores, eligendos, formamque electionis addenda sunt: n. 165, pag. 247–249.

II. DE POSTULATIONE.

Summarium. — Notione ac natura **solemnis postulationis** declarata, 1) quae definiri solet « Capituli vel Collegii ad superiorem decreta petitio, ut ope dispensationis pro Ecclesiae bono, ad Praelaturam ecclesiasticam certa persona admittatur, quae propter impedimentum canonicum, super quo dispensari potest et solet, eligi nequit »; 2) explicantur breviter **requisita, vis,** et **effectus,** quis **superior,** et quae **forma** postulationis: n. 166, 167, p. 249–252.

III. DE COLLATIONE.

Summarium. — **Collatio stricte dicta** *a*) est « beneficii ecclesiastici, ab eo cui tale ius est, personae idoneae libere facta concessio ». *b*) De iure autem communi et ut **ordinarius Collator** 1) in tota Ecclesia confert Romanus Pontifex beneficia quadruplici ex causa, iure scilicet praeventionis, devolutionis, concursus et reservationis; 2) in sua dioecesi Episcopus regulariter alia beneficia ipse solus, alia una cum Capitulo; 3) Capitulum vero quaedam conferre potest sive collegialiter sive per turnum; 4) Praelati *nullius* et Cardinales in suis titulis; *c*) **Extraordinarii** alii sive Collatores substituti sic dicti, sive Legati Romani Pontificis: n. 168–170, p. 252–261.

Summarium. — **Leges in Collatione ipsa** servandae communes sunt, ut *a*) ea fiat *legitimo tempore et modo; b*) ita ut acceptanti *ius in re* statim acquiratur: n. 171, 172, p. 262, 263.

IV. DE INSTITUTIONE ET IUREPATRONATUS.

Summarium. — Institutionis 1) *stricte sumptae* statuta **definitione;** atque 2) exhibitis **notione, variisque speciebus,** 3) nec non quinam *capaces* sint **iurispatronatus ;** 4) explicantur **originarii modi** tum ordinarii, tum extraordinarii, quibus acquiritur ius patronatus; 5) porro **modi, quibus** hoc iam constitutum **transfertur** in alios varii sunt, prout scilicet ipsum sit vel reale, vel haereditarium, vel familiare, vel mixtum: n. 173–177, p. 263–272.

Summarium. — **Iura et officia Patronorum** 1) vulgari exhibentur versu « Patrono debetur honos, onus, utilitasque »; 2) ad quod requiritur, ut sit ius certum, quod in **controversia** exorta generatim **sicut cetera iura, probatur;** 3) **amittitur** tandem triplici ex fonte, scilicet ex rei interitu, ex patroni facto, atque Romani Pontificis voluntate: n. 178–180, p. 273–278.

Summarium. — **Institutio stricte dicta,** cum qua iuspatronatus ceu medium cum fine connectitur, regulariter et iure communi 1) a **superiore,** 2) **quantocius fieri** debet favore eius, qui a Patrono, vel a maiori Patronorum parte sit praesentatus, modo idoneus reperiatur, praevio ad beneficia curata examine: n. 181, 182, p. 278, 279.

V. DE EXTRAORDINARIIS MODIS ACQUIRENDAE IURISDICTIONIS.

Summarium. — *Extraordinarii* quoque sunt modi acquirendae iurisdictionis ecclesiasticae; scilicet 1) *Privilegium Apostolicae Sedis,* 2) et *praescriptio* sive *directe*, sive *indirecte:* n. 183, p. 280–282.

II. DE EXERCITIO ECCLESIASTICAE IURISDICTIONIS.

Summarium. — Post varia percepta discrimina 1) inter voluntariam et contentiosam, 2) inter *ordinariam* et *delegatam* potestatem iurisdictionis, 3) breviter indicamus **quis nomine Ordinarii aut Episcopi,** aut dioecesani recensetur: n. 184–186, p. 282–288.

Summarium. — *Potestas delegata,* 1) quae generatim dimetienda est ex potestate delegantis et mandato concesso, 2) tum natura tum canone habilem exigit, cui soli 3) vel una cum pluribus committatur causa. Porro 4) a delegato ad delegantem generatim potest appellari: n. 187–190, p. 288–290.

TITULUS XIII.

DE CESSATIONE ECCLESIASTICAE IURISDICTIONIS.

Summarium. — Cum omnis res, per quas causas nascitur, per easdem dissolvitur, *Reg. 1. Iur.*, ecclesiastica iurisdictio *cessare potest voluntate tum superioris*, i. e. 1) **translatione**, 2) et **depositione** tum eius, qui illam obtinet resignando aut permutando, i. e. 3) **resignatione**, 4) **permutatione**, breviter de singulis: n. 191–194, p. 291–306.

SECTIO II.

DE IURISDICTIONE IN PARTICULARI PRO VARIO PERSONARUM GRADU ET OFFICIO.

Ordo tractationis: n. 195, p. 306, 307.

TITULUS XIV.

DE ROMANO PONTIFICE.

Ordo tractationis. — Revocantur in mentem quaedam ex Theologia dogmatica circa Petri et Romani Pontificis iurisdictionem in universam Ecclesiam: n. 196, p. 307, 308.

I. REGULAE GENERALES EX PLENA PRIMATUS ROMANI PONTIFICIS POTESTATE.

Summarium. — Ex omnino plena et perfecta Romani Pontificis potestate iurisdictionis in universam Christi Ecclesiam, 1) generales quaedam Regulae circa eiusdem potestatis amplitudinem, genus, exercitium derivantur, et 2) nominatim, excepto iure divino, quod Romanus Pontifex authentice interpretandi ius habet, omnia subesse Apostolicae potestati, quae est supra canones: n. 197, 198, p. 309–312.

II. IN SPECIE QUAE IURA ROMANO PONTIFICI COMPETANT PRO SUO PRIMATU VEL EIDEM SINT RESERVATA.

Assertum I. — Ad supremam et plenam potestatem Romani Pontificis in universam Ecclesiam pertinet eius **infallibile magisterium** 1) in iis, quae ad fidem et mores spectant dogmatice definiendis, tum 2) in iis, quae cum iisdem necessarium nexum habent, nec non 3) **ius** omnibus fidelibus **praecipiendi** aut **vetandi quae ad fidei morum-**

que integritatem tuendam requiruntur: nominatim 4) **ius proscribendi libros** atque damnandi ipsos auctores, errores contra fidem, mores, disciplinam tradentes, et 5) tandem ius **veram fidem per sacras expeditiones propagandi** *ubique terrarum:* n. 199–203, p. 312–315.

Assertum II. — Competit quoque Romano Pontifici ius ea, **quae ad cultum pertinent** constituendi, nec non **ius canonizandi:** n. 204, p. 315, 316.

Assertum III. — Ex particularibus iuribus, quae Romano Pontifici pro suo Primatu competunt in ordine ad ipsum regimen supremum totius Ecclesiae recensetur speciatim 1) *ius* **leges quascumque** pro universa Ecclesia **ferendi;** 2) *ius* **dispensandi** in generalibus Ecclesiae legibus; 3) *ius* **approbandi ordines regulares;** 4) *ius* **tuendi custodiam sacrorum canonum:** n. 205–208, p. 317, 318.

Assertum IV. — Inter celebriora iura Primatus Romani Pontificis, sicut antecedentia ita et sequentia competunt, videlicet 1) ius **exercendi potestatem ordinariam et immediatam;** 2) **erigendi novas et supprimendi veteres dioeceses;** 3) **creandi Episcopos;** 4) **reservandi** sibi **beneficia;** 5) **concedendi exemptiones;** 6) *recipiendi a singulis Episcopis* **relationes status suarum dioeceseon;** 7) **recipiendi appellationes;** 8) ius **reservandi** sibi **causas maiores;** 9) ius tandem **convocandi, moderandi,** et **confirmandi Concilia oecumenica:** n. 209, p. 319–321.

Summarium. — Supradicta et cetera eiusmodi iura, quae sive *pro rei natura* ad Romanum Pontificem pertineant, sive in praesenti Ecclesiae disciplina *eidem reservata sint,* ad tria capita revocari atque ordinari possunt: quorum scilicet 1^m. continet ea, **quae involvunt supremam potestatem,** eiusque necessario propria sunt; 2^m. ea omnia, **in quibus unitatem in Ecclesia servari necesse est;** 3^m. continet ea, in **quibus eamdem servare unitatem,** saltem **decet,** aut **expedit:** n. 210–213, p. 321–324.

III. DE PARTICULARI ROMANI PONTIFICIS POTESTATE QUAM IN CERTAS ECCLESIAE PARTES IPSE EXERCET.

Summarium. — Praeter generalem potestatem, quam in totam Ecclesiam habet Romanus Pontifex, **particularem in certas Ecclesiae partes exercet,** quae **Episcopalis** in urbe Roma, **Metropolitica** et **Primatialis** in Italia, et **Patriarchalis** in Occidente audit: n. 214, p. 324, 325.

Appendix I. — De politica Romani Pontificis potestate seu de eius *civili principatu:* n. 215, p. 325.

Appendix II. — Iura honorifica et insignia Romani Pontificis: n. 215, p. 325, 326.

TITULUS XV.

DE S. R. E. CARDINALIBUS.

I. DE ORIGINE, SUBSTANTIA, SUBIECTO, ONERIBUS CARDINALATUS, DEQUE RITU ACCIDENTALI.

Summarium. — Ad Cardinalium creationis **substantiam** 1) sufficit una Romani Pontificis voluntas, 2) cui praerequiritur **capacitas subiecti,** et 3) adiiciuntur, ceu **ritus,** bireti et galeri rubri impositio, quaeque audit occlusio et aperitio oris; 4) **obligationes** vero illorum versantur circa officii proprii executionem ac specialem vitae honestatem: n. 216–220, p. 326–331.

II. DE CARDINALIUM POTESTATE.

Summarium. — Breviter 1) exponitur Cardinalium **potestas,** sive *propria* muneris singularis, quod cuique delatum est, sive *communis,* quam habent suis in titulis, aut quam exercent, sede vacante.

Porro 2) **recensentur privilegia, quibus fruuntur Cardinales tam communia cum Episcopis, quam ipsorum propria:** n. 221, 222, p. 331-337.

TITULUS XVI.

DE CONGREGATIONIBUS ROMANIS, ALIISQUE SUMMI PONTIFICIS IN CURIA ADMINISTRIS.

Praenotandum. — Transitus et ordo dicendi: n. 223, p. 337.

I. DE CONGREGATIONIBUS ROMANIS.

Summarium. — Notio et institutio, negotia in genere, et quaedam alia propria indicantur Romanarum Congregationum, quarum praecipuae recensentur: I. *Consistorium* et Congregatio *consistorialis;* II. Congregatio *S. Officii;* III. *Indicis;* IV. *Concilii;* V. Congregatio *SS. Rituum;* VI. Congregatio *super disciplina et Statu Regularium;* VII. Congregatio *Episcoporum et Regularium.* VIII. Congregatio *de Propaganda Fide;* IX. Congregatio *super negotiis ecclesiasticis extraordinariis;* X. Congregatio *Indulgentiarum et SS. Reliquiarum;* XI. Congregatio *super residentia Episcoporum;* XII. Congregatio *Immunitatis ecclesiasticae:* n. 224-235, p. 338-356.

Summarium. — Appendicis instar ac subsidium antecedentium sunt: 1) Congregatio *caeremonialis;* 2) Congregatio *super examine Episcoporum;* 3) Congregatio *de eligendis Episcopis;* 4) Congregatio *Fabricae S. Petri;* 5) Congregatio *Visitationis Apostolicae pro Urbe;* 6) Peculiaris Congregatio *Studiorum:* n. 236, p. 356–360.

II. DE CETERIS ADMINISTRIS ROMANAE CURIAE.

Summarium. — Ceteri administri Romanae Curiae constituunt sic dicta **Tribunalia Romana,** i. e. partiales **Curias,** sive gratiae, sive iustitiae. Porro 1) ad **Curiam gratiae** pertinet *Cancellaria Apostolica, Dataria* et *S. Poenitentiaria Romana, Reverenda Camera Apostolica* et *Secretaria Brevium* vel *supplicum libellorum* et *Status.* 2) Ad **Curiam** vero **iustitiae** pertinet *Rota Romana, Signatura iustitiae* et *Signatura gratiae.* 3) Praeter hos alii denique recensentur administri, qui aliquo honoris gradu in Romani Pontificis Curiam cooptantur: n. 237–239, p. 360–367.

TITULUS XVII.

DE PATRIARCHIS, PRIMATIBUS, METROPOLITIS, LEGATIS ETC.

I. IN GENERE QUO IURE HI GRADUS EXISTANT.

Assertum. — Nonnisi 1) iure ecclesiastico existunt in Ecclesia Christi varii, iique sublimioris gradus Episcopatus, qui *Patriarchatus* audiunt, *Primatus* et *Archiepiscopatus;* 2) *Merito* autem Romanus Pontifex eosdem gradus in Ecclesia *constituit:* n. 240–242, p. 367–370.

II. SPECIATIM DE PATRIARCHIS ET PRIMATIBUS.

Summarium. — Tam 1) Patriarcharum 2) quam Primatum *nomen, origo, officia* et *iura,* sive praeterita sive praesentia, breviter innuuntur: n. 243, 244, p. 370–373.

III. DE ARCHIEPISCOPIS SEU METROPOLITIS.

Summarium. — Indicatis breviter 1) tam *nomine* et *origine* Archiepiscopi, 2) quam lege *erectionis* Archiepiscopatus, 3) iura Archiepiscopi, quae olim ampliora fuerunt, 4) nunc generali hac regula includuntur: « *Archiepiscopum esse iudicem ordinarium suorum suffraganeorum in iis tantum, quae a iure ei sunt permissa; ceterum nullam habere iurisdictionem, neque in loca, quae intra eorum dioecesim sunt, neque in eorumdem subditos, nisi in casu iurisdictionis devolutae, vel in re, quae ad totam provinciam pertineat* »: n. 245–248, p. 374–378.

Summarium. — Duo sunt Archiepiscopi **insignia:** 1) **Pallium et Crux,** quae ante eum deferri solet. 2) Pallii tradita *notione,* ad ipsum dicimus 3) requiri *concessionem, petitionem, traditionem;* 4) *consequi* auctoritatem seu *exercitium archiepiscopalis muneris* quoad iurisdictionem et ordinis potestatem, 5) *nec non usum pallii* quoad locum et tempus: n. 249–253, p. 379–382.

IV. DE LEGATIS.

Summarium. — Legatorum 1) **specie** varia distincta, 2) **potestas** quamvis delegata sit, quoad originem, quoad exercitium tamen est ordinaria; 3) porro alia est *communis omnibus, alia propria legatorum a latere,* 4) quae omnis **expirat** completo termino legationis, Romani Pontificis voluntate, et facto ipsius legati: n. 254–258, p. 382–386.

Appendix brevis. — De Vicariatibus Apostolicis: n. 258, p. 386.

TITULUS XVIII.

DE EPISCOPIS.

Ordo tractandi et ex prolata definitione duplex Episcoporum species distinguitur: n. 259, p. 387, 388.

ART. I. DE EPISCOPIS ORDINARIIS.

PRAENOTANDUM. — Quo iure existant in Ecclesia Episcopi. Dispositiones necessariae et modi, quibus aut ad episcopalem dignitatem quis vocari potest, aut ea rite confertur. Ordo dicendi: n. 260, p. 388–392.

§ I. DE POTESTATE EPISCOPI ORDINARII.

Summarium. — **Regulae** quibus *variae* Episcopi *potestates* determinantur communes sunt: 1) Episcopus ut iurisdictionem validam exerceat, *eiusdem capax actu* esse debet; 2) ut iurisdictio quaecumque sit, *exerceri* ab Episcopo nequeat, *nisi in proprios subditos;* 3) ut *nonnisi intra propriam dioecesim exerceri* possit *iurisdictio contentiosa,* aut voluntaria cum propriae dignitatis apparatu; 4) ut *constitutioni* vel reservationi auctoritate *superiori* factae *non contradicat:* n. 261–265, p. 392–398.

Summarium. — Competit Episcopo **ius** 1) **ferendi leges,** sive in Synodo sive extra Synodum obligantes universam suam dioecesim; 2) nominatim relate ad rectum dioecesis regimen: atque ad exercendum ius quod habet; 3) **docendi rectam fidem,** eamque suo magisterio *fovendi* ac *tuendi;* 4) *ius per sacramenta omnia* fideles sibi *subditos*

sanctificandi; 5) nec non ius divinum *cultum promovendi,* et 6) tandem ius *bona* ecclesiastica **administrandi:** n. 266-271, p. 398-405.

Assertum. — Competit quoque Episcopo **potestas** 1) **iudiciaria** et 2) **coactiva** in foro externo, et 3) iurisdictio etiam delegabilis cum reservatione in foro interno, semper tamen dependente a Romano Pontifice: n. 272-274, p. 405-408.

§ 2. DE OFFICIIS EPISCOPI ORDINARII.

Summarium. — Inter officia, quae obire debet Episcopus in suo Episcopatu, praecipue commemoranda sunt: 1) Praedicatio; 2) Celebratio missae pro populo; 3) Residentia; 4) Visitatio dioecesis; 5) Visitatio sacrorum Liminum: n. 275-279, p. 409-421.

§ 3. DE LEGE DIOECESANA I. E. DE EPISCOPI ORDINARII EMOLUMENTIS.

Summarium. — Inter iura seu emolumenta Episcopi, quae fere omnia obsoleta sunt, recensentur 1) ordinarie **Cathedraticum, Procuratio canonica, Quarta decimationum, Quarta funeralium;** 2) extraordinarie **subsidium charitativum et census:** n. 280, 281, pag. 422-424.

ART. II. DE EPISCOPIS TITULARIBUS.

Summarium. — Tradita 1) notione Episcopi titularis, asseritur huiusmodi Episcopos iustis de causis esse institutos, et 2) circa eorum ius variae assignantur generales regulae: n. 282, 283, p. 424-427.

Appendix I. — De Episcopis Regularibus: n. 284, p. 428.

Appendix II. — De Electione Episcoporum: n. 285, p. 428, 429.

TITULUS XIX.

DE VICARIIS EPISCOPI.

PRAENOTANDA. — Varium genus Vicariorum, de quo hic sermo: n. 286, p. 429.

I. DE VICARIIS GENERALIBUS.

Summarium. — Iis, quae 1) ad **constitutionem** Vicarii generalis pertinent, breviter recensitis, 2) nec non huius officii *origine indicata,* 3) eius **potestatis natura,** atque 4) **amplitudo** exhibetur; 5) tandem eiusdem *Vicariorum* **substentatio,** 6) **dignitas,** 7) **cessatio** brevissime exponitur: n. 287-293, p. 430-439.

II. DE VICARIIS FORANEIS.

PRAENOTANDUM: n. 294, p. 439.

Summarium. — Vicariorum, qui foranei audiunt, 1) **notione** tradita, eorum **constitutio,** 2) **potestas** 3) et **cessatio** breviter exponitur: n. 294-297, p. 439-441.

TITULUS XX.

DE CAPITULO ECCLESIAE CATHEDRALIS.

Summarium. — Post Capituli Cathedralis Ecclesiae traditam 1) **notionem,** asseritur Capitulum 2) *sede plena* ita esse senatum Episcopi, ut hic in **pluribus illius consilia exquirere,** in **quibusdam** autem **consensum habere** teneatur: *Sede* autem *vacante,* Capitulum 3) **succedere** quidem **Episcopo in omnibus,** quae pertinent ad potestatem **iurisdictionis ordinariae,** tum in foro interno, tum in foro externo, tam in spiritualibns, quam in temporalibus, iis tantum exceptis, quae in iure reperiuntur reservata: sed 4) ita, ut **tota** haec **iurisdictio devolvatur in unum Vicarium Capitularem** rite **eligendum intra octo dies ab accepta notitia vacationis,** qui, praesertim ad normam « *Ne Sede vacante aliquid innovetur* » dioecesim administrabit, **donec** novus Episcopus apostolicas **collationis litteras exhibuerit:** n. 298-301, p. 442-453.

TITULUS XXI.

DE PRAELATIS INFERIORIBUS.

Summarium. — **Triplex** 1) est Praelatorum inferiorum **species;** 2) ab uno apostolico privilegio oriens; 3) quorum iura et officia singulis speciebus propria exhibentur: n. 302-304, p. 453-458.

TITULUS XXII.

DE PAROCHIS.

Assertum. — Tradita 1) **Parochi notione,** 2) huius **officium a iure ecclesiastico repetendum;** 3) atque eius **iurisdictionem** in foro dumtaxat *interno,* **ordinariam** esse dicimus: n. 305-307, pag. 458-462.

Summarium. — Hinc intelliguntur 1) **Iura** parochi *a*) circa religionis doctrinam ; *b*) circa sacramenta et ceteras parochiales functiones ; *c*) circa Ecclesiae bona administranda ; 2) intelliguntur **emolumenta,** et 3) tandem officia seu *onera parochialia:* n. 308-310, p. 462-465.

Summarium. — **Constitui** porro **debent** 1) **paroeciae** et **parochi** pluribus ornati requisitis ; 2) **ad haec** autem **requisita dignoscenda** debet **examen** omnium competitorum per praevium concursum institui ; 3) **ratio** porro **formae concursus** ea est, quae iuxta Conc. Trid. a Pio V. Const. *In conferendis* 8 Mart. 1566 et a Clem. XI. datis literis die 20 Ian. 1721 constituta fuit ; 4) **modi** tamen innuuntur, **quibus** officium parochi **cesset:** n. 311-314, pag. 466-471.

Summarium. — **Parochi Vicarii** *a*) alii perpetui sunt, alii temporales. *b*) Porro de illis inquiritur 1) a quo et quibus de causis **constituendi** sint ; 2) quodnam **ius et potestas** ipsis competat ; 3) quid servetur Rectori principali ; *c*) de his vero asseritur *quotuplex classis,* cur et *ad quaenam officia* et *iura* deputantur: n. 315-317, p. 472-475.

TITULUS XXIII.

DE CAPITULIS ET GENERATIM DE CANONICIS.

Summarium. — Explicata 1) Canonicorum **notione,** atque 2) **historia** paucis indicata, 3) horum *Capitulum* **spectatur** breviter **quoad primam erectionem,** posterius **augmentum** et **statuta** seu leges pro eiusdem regimine: n. 318, 319, p. 475-481.

Summarium. — **Obligationes** omnibus capitulis communes sunt: 1) **Chori servitium** per se, legitimo loco, tempore, modo peragendum ita, ut vel fructus beneficii, vel quotidianae distributiones amittantur ab eo, qui integrum vel non integrum annum absit, nisi iusta causa excuset ; 2) **Residentia** iuxta Tridentidum Sess. 22. c. 4 de Ref.: n. 320, 321, p. 482-491.

Summarium. — Ad onera 1) consequuntur iura, **honores** seu **praeeminentiae ;** 2) nominatim recensentur, quae dicuntur *dignitates* et *personatus,* et quaedam *officia* in Ecclesia Cathedrali, e. g. Poenitentiarii et Theologi: n. 322-323, p. 491-501.

TITULUS XXIV.

DE CONCILIIS OECUMENICIS.

Summarium. — Concilii *a*) *Notio, Partitio, b*) et *obiectum* indicatur Concilii Generalis: n. 324, 325, p. 501, 502.

Summarium. — **Personae,** quibus coalescunt Concilia oecumenica duplicem in classem sunt distinguendae: 1) in eorum, qui ex proprio ac nativo iure, i. e. Episcopi Ordinarii, 2) et in eorum, qui ex privilegio eisdem intersunt, quales sunt alii quotquot Romanus Pontifex admittere solet: n. 326, 327, p. 502, 503.

Summarium. — **Partes** autem **quae eisdem in Conciliis competunt,** 1) duae sunt, *legislatorum* et *iudicum,* quas quidem unusquisque exercet non in eam tantum fidelium partem, quae sibi commissa est, sed in Ecclesiam, 2) universam sive iure ab universae Ecclesiae Primate communicato, sive quoad Episcopos iure proprio supposita divina Conciliorum institutione. Quorum veritas ac natura in eo sita est, quod singuli 3) auctoritate propria (sive communicata ea sit a Romano Pontifice, sive divinitus delata), leges ferunt ac sententias dicunt, atque universos fideles obligant: n. 328–330, p. 504-506.

Scholion, in quo asseritur *divinae institutionis* esse *concilia oecumenica:* n. 331, p. 506, 507.

Assertum. — **Eorumdem exercitium duplici conditioni alligari** sive ex ipsa rei natura, sive ex divina Ecclesiae constitutione, i. e. *a*) ut in iudiciis fidei, quae natura sua varia esse non potest, **secundum rem iudicatam,** siqua forte praecesserit, sive alterius Concilii, sive solius Romani Pontificis, non autem contra illam **iudicandum sit;** *b*) ut **cum Romano Pontifice,** sine quo Ecclesiae corpus truncum et acephalum est, Concilii **Patres** in sententiis ac legibus ferendis **coniuncti esse debeant,** ita ut illae eiusdem confirmatione indigeant, ut firmae sint ac legitimam habeant exequutionem: n. 332, 333, p. 507, 508.

Assertum **in Febronium.** — Quod ex dictis consequitur, perperam a Febronianis asseri *eiusmodi conditionibus, utramque potestatem* et legislatoris scilicet et iudicis *ab Episcopis abrogari, Concilia* autem *inutilia* effici: n. 334, p. 508, 509.

Assertum **in quosdam Theol.** Minus etiam proprie a nonnullis Theologis Conciliorum *de causis fidei iudicia* in duplicem classem *distinguit: in iudicia auctoritatis,* quae scilicet ex intimo caussae merito seu ex intima caussae cognitione deducatur, et *in iudicia adhaesionis,* quae ex extrinseca auctoritate, i. e. quae ex antecedente re iudicata feruntur. n. 335, p. 509, 510.

Assertum. — **Requisita** ad legitima ac firma Concilia sunt 1) ut *legitima indicantur auctoritate,* i. e. a Romano Pontifice; 2) ut convocentur omnes Episcopi ordinarii generali evocatione, quae omnibus maioribus Christianis Provinciis innotescat, etsi non omnes adesse necesse sit, *Bellarm. l. 1, c. 17;* 3) ut *Romanus Pontifex* sive per se, sive per

legatos *praesideat;* 4) ut *libertas* sententias dicentium *non laedatur,* vi scilicet iniuste illata; 5) ut peractum *Concilium a Romano Pontifice confirmetur,* etiamsi eius legati eidem adfuerint ita, ut absque ea confirmatione neque infallibilitatem, neque vim ullam habeat: n. 336–340, p. 510–514.

Summarium. — Ad **ordinem** quod spectat 1) *circa materias* in Concilio tractandas, α) is tenendus, qui a Romano Pontifice vel eius legatis sit definitus; β) ut Generalibus Congregationibus veluti praeparatorii speciales seu *particulares coetus praemittantur;* 2) *circa personas,* quo ordine scilicet illae sedere debeant, sic erit, ut in Tridentino et Vaticano servatum est, scilicet 1. Legati Romani Pontificis, 2. Cardinales, 3. Patriarchae, 4. Archiepiscopi, et 5. Episcopi: omnes secundum tempus promotionis suae: n. 341, 342, p. 514, 515.

TITULUS XXV.

DE CONCILIIS PARTICULARIBUS.

Praenotandum. — Distinguuntur varia haec Concilia: num. 343, p. 515, 516.

I. de concilio provinciali.

Summarium. — Lex est 1) celebrandi *quibusvis trienniis provinciale Concilium;* 2) in quo **Episcopi ita** 3) **deliberant** circa suae Provinciae negotia, 4) **ut eorum decreta** omnes eiusdem Provinciae fideles **obligent:** n. 344–347, p. 516–524.

II. de synodo dioecesana.

Summarium. — Synodi dioecesanae 1) **notione** et **legislatore** indicatis, breviter exponitur; 2) ad eam **quinam,** 3) et **a quo sint vocandi**; 4) quos inter *officiales* erunt *eligendi;* 5) *obiectum,* circa quod deliberandum sit; tandem *Synodi duratio* eiusque **decretorum vis et auctoritas:** n. 348–353, p. 525–531.

PARS TERTIA

DE REGULARIBUS

TITULUS XXVI.

DE REGULARIBUS.

Ratio transitus et ordo dicendi: n. 354, p. 532.

I. DE NATURA ET IURIDICA ORIGINE STATUS RELIGIOSI.

Summarium. — α) Statuta Ordinis religiosi proprie dicti **natura,** asserimus β) statum Regularium **quoad substantiam esse divinae,** licet **quoad modum ecclesiasticae sit institutionis.** — Porro γ) Ecclesiae quoad determinatos Ordines exclusivum inest **ius** eos **approbandi** et canonicis legibus moderandi; δ) **potestati autem civili,** sicut et cuilibet catholicorum, quantum ipsos attinet, agnoscendi, protegendi atque **omnia Religionibus iura sarta tecta tuendi** gravissima incumbit obligatio: n. 355–361, p. 532–553.

II. QUI INGREDI POSSINT RELIGIONEM; QUALIS NOVITIATUS FIERI DEBEAT.

Summarium. — Quodnam sit 1) **subiectum capax regularis vitae;** 2) cuius inchoationis stadium, **probatio** scil. quoad tempus et modum ex Tridentino praesertim determinata breviter exhibetur: n. 362–363, p. 553–558.

III. DE PROFESSIONE VITAE RELIGIOSAE.

Summarium. — Tradita tam late, quam stricte sumptae **professionis** 1) **notione,** huius praeter 2) **subiectum capax,** 3) **effectus** breviter recensentur; atque 4) indicatur quid constituat **solemnem professionem:** n. 364–372, p. 558–567.

IV. DE CONGREGATIONIBUS RELIGIOSIS.

Summarium. — Ab Ordinibus seu Religionibus stricte sumptis 1) distinguenda sunt quaedam alia religiosa Instituta, praesertim Congregationes religiosae sic dictae, 2) quarum ius in genere breviter indicatur: n. 373, 374, p. 567–570.

V. DE PRIVILEGIIS REGULARIUM.

Summarium. — Merito Romanus Pontifex Regularibus *a*) nonnulla concessit privilegia inter se communia, nominatim exemptionem a iurisdictione Episcopi, cui, quamvis pluribus in casibus ob tale privilegium *b*) nefas sit se subiicere, tamen in multis *c*) sive tamquam Delegato Apostolicae Sedis, *d*) sive tamquam Ordinario iidem subesse tenentur: n. 375–376, 77, 78, pag. 570–576.

VI. DE REGIMINE ORDINUM RELIGIOSORUM.

Summarium. — 1) Distincta potestate dominativa a potestate iurisdictionis in quolibet ordine religioso, 2) indicatur subiectum potestatis gubernativae intra religiosos ordines existentis, 3) et huius potestatis obiectum: n. 379–382, p. 576–580.

TITULUS XXVII.

DE MAIORITATE ET OBEDIENTIA.

I. DE MAIORITATE.

Summarium. — Necessitate 1) huius tit. et **notione** 2) maioritatis et obedientiae indicata, 3) *forma* imperii et status ecclesiastici ceu fundamentum exhibetur distinctionis et ordinis graduum in sacra Hierarchia; 4) hinc ratio multiplex accurate distinguitur, unde haec maioritas oriatur; 5) quos tum gradus, qui sequantur, honores et praerogativae recensentur. Porro ex his 6) *regulae* dimanant, iuxta quas variorum graduum personae aliae aliis praeferendae; 7) quarum circa applicationem si *inter personas conventus... controversia enascatur... Episcopus generatim est iudex:* n. 383–389, p. 581–585.

II. DE OBEDIENTIA.

Summarium. — Ex maioritate 1) praesertim iurisdictionis sequitur obedientia, quae 2) Romano Pontifici ab omnibus; Cardinalibus, Episcopis, Praelatis inferioribus seu Abbatibus et Generalibus Regularium, a respective subditis debetur etiam in dubio; 3) quam vero obedientiam exprimit res et promissio; 4) tum indicatur quî sit componenda lis orta inter clericos de superioritate unius et subiectum alterius; 5) et tandem quibus inobedientes subiiciantur poenis: n. 390–399, p. 586–592.

Conclusio totius libri de personis: n. 400, p. 592–594.

FRANCISCUS M. CARINI

Praepositus Provinciae Romanae S. I.

Cum opus cui titulus « Praelectiones Iuris Canonici quas in schola Institutionum Canonicarum habebat P. Marianus De Luca S. I. nunc Textus Decretalium Professor... Liber de Personis » aliqui eiusdem Societatis Theologi, quibus id commisimus, recognoverint et in lucem edi posse probaverint, facultatem damus ut typis mandetur, si iis ad quos pertinet, ita videbitur.

In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas et sigillo Societatis nostrae munitas dedimus.

Romae, die 18 Octobris 1897.

P. Franciscus M. Carini
Praep. Prov. Romanae S. I.

IMPRIMATUR

Fr. Albertus Lepidi Ord. Praed. S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

Franciscus Cassetta Patriarcha Antioch. Vicesg.